This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



Digitized by Google

109

Digitized by Google

D 128/12

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VETERUM ALIQUOT SCRIPTORUM

Qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum latuerant,

SPICILEGIUM.

Tomus Octavus continet

1. ATTONIS Vercellenſ. Epiſcopi Capitulare, *Pag.* 1
2. Ejuſdem Libellum in tres partes diviſum de Preſſuris Eccleſiaſticis, *id eſt*,
   De Iudiciis Epiſcoporum, 44
   De Ordinationibus eorumdem, 65
   Et
   De Facultatibus Eccleſiarum, 90
3. Epiſtolas ejuſdem, 99
4. MISCELLANEA Epiſtolarum, Chartarum, Diplomatum, &c. 138
5. Vitam S. MEDARDI Noviomenſis Epiſcopi, Auctore Fortunato Presbytero, 391
6. Actus ejuſdem Sancti ab Anonymo Monacho, 397
7. Chronicon NICOLAI Trivethi Ordinis Prædicatorum, ab Anno MCXXXVI. ad MCCCVII. 411

Prodeunt nunc primùm in lucem

Operâ & ſtudio DOMNI LUCÆ ACHERII *è Congregatione Sancti Mauri Monachi Benedictini.*

TH

PARISIIS,

Apud CAROLUM SAVREUX, Bibliopolam Pariſienſem, in atrio Templi Beatæ Mariæ, ſub inſigni trium Virtutum.

CIↃ. IↃ C. LXVIII.

Cum Privilegio Regis, & Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

ATTO hoc nomine II. qui primum in hujus Spicilegii Tomo VIII. locum tenet, *Aldegarii filius* (inquit Ferdinand. Ughellus in Ital. Sacr.) *Episcopus Vercel. fuit an.* 945. *doctissimus Theologus & Canonista, plura sui ingenii doctrinæque monimenta reliquit, quæ continentur in antiquo Codice manuscripto, in Vaticana Bibliotheca, ac Vercellensi Archivio,* &c. *Canones rursùs, Statutáque Vercel. Ecclesiæ, eruta è Conciliis Epistolísque Decretalibus, quod Opus in* 100. *Capita aptè distinxit*. Item de Pressuris Ecclesiasticis Opus in tres partes divisum, quarum prima est* De Judiciis Episcoporum: 2. De Ordinationibus eorumdem: 3. De Facultatibus Ecclesiarum. *Hujus temporibus* UGO *&* LOTHARIUS *Reges Vercellensem Ecclesiam exornârunt,* &c..

I. Attonis Vercell. Episcopi Opera.

* *Id est Capitulare à nobis editum.*

ATTONIS Opera, V. Clarissimus JOHAN-

Digitized by Google

NES BONA Abbas Generalis Reformatæ Congregationis S. BERNARDI, ex MS. codice Vaticano, num. 4322. eruit, describi curavit Romæ an. 1664. atque ad me transmisit. Sed dolendum maximopere est, quòd lacunis codex ipse pluribus in locis fædatus, nempè in superiori parte tota, vel pluviâ infectus, seu carie corrosus, fuerit repertus, ut in unaquaque pagina desit linea. Spem tamen mihi suis litteris dans eruditiss. Abbas integrum habendi codicem asseruit, quod jam apud doctiss. Ughellum in Italia Sacr.* legeram, exstare in Tabulario Vercellensis Ecclesiæ, rogavítque ea de re Episcopum Vercellens. ageret cum Canonicis, ut illa Opera exscribi sinerent. At is repulsam passus est. Unde isthoc negotium cùm indicassem Illustrissimo domino CAROCCIO tunc in Gallia Sereniss. Ducis Sabaudiæ Legato, viro religione, prudentiâ, & eruditione præstantissimo, actutùm ipse, qui suâ me, dum in vivis esset, familiari dignabatur amicitiâ, omnem curam & industriam adhibuit, tum per seipsum, tum per amicos Vercellis agentes obtinendo hujusce monumenti apographo, aut saltem opplendis Romani codicis lacunis. Mira primò polliciti sunt Canonici: sed post Epistolas ultrò citróque datas, demùm fatentur (ingenuè an fictè, judicent alii) in sua Ecclesia esse neminem rei antiquariæ peritum. Non hîc stetit Illustrissimi Caroccii diligentia & benignitas. Nam cùm legatione feliciter peracta rediisset in Sabaudiam, instat

* *In tom. 4. col. 2. pag. 1060.*

Digitized by Google

iterùm, expoſcítque ab illis Canonicis Taurinum ad ſe autographum tranſmittant, bonâ fide iſtud ſe reſtituturum, poſtquàm ſuis expenſis exſcribi curaſſet.

Ecquid agerem omni ſpe abjectâ integrè tanto potiendi theſauro? Ederem Opera hiatibus ſenſum ſæpè interrumpentibus labefactata, an aliis edendis operam darem meam? Anxio mihi adſunt eruditione præſtantes amici *; aiunt ſatiùs in lucem proferre rebus Eccleſiaſticis præclara Opuſcula, etſi nonnullis fœdata lacunis, quàm tenebris forſitan perpetuis ſinere involvi; aut ne incendio pereant, quam ſortem pleriſque in locis ſuſtinuêre multa anterioris ævi monumenta. Poſtremò adjecerunt rerum antiquarum etiam fragmenta in pretio haberi. Itaque hiſce rationibus adductus, illa typis mandari curavi.

* Iohan. Bona, Iacob. De Sainte Beuve, Hadrian. Valeſius, Stephan. Baluſius, & alii.

Et quandoquidem ATTO in rebus Divinis & Eccleſiaſt. verſatiſſimus ſuas lucubrationes teſtimoniis quaſi margaritis è S. Script. è Conc. & Eccl. Patribus deſumptis adornavit, háudque loca indigitavit, potiſſimùm in collectione Canonum, quam Capitulare inſcripſimus, nos haud levem impendimus operam locis quæ deſignata non erant margini apponendis: eóque labore quamplures ſupplevimus hiatus.

Sunt & præter ea quæ proferimus, ut ſcias Lector, ATTONIS Opuſcula cùm in Vercellenſi, tum in Vaticano codice: videlicet Sermones XVII: ad populum; & Polyptychum, *quod perpendiculum*

Digitized by Google

appellat, quo noxia redarguere, & honesta sancire decet, cum scholiis.

Porrò *codicem Vaticanum transscribi curârunt Bibliothecæ Custodes, ne totus periret: Continet primò Sermones, qui vix legi possunt, & ideò non sunt transcripti*, &c. Ita clariss. JOHANNES BONA in epistola mihi an. 1664. scripta.

In ATTONIS Capitulari animadvertenda sunt:

1. Hæc verba *Fides Catholica* signant Symbolum Athanasii, quæ in eo sensu bis ab Auctore usurpantur cap. IV. &c. & à Ratherio Veronensi, vel ut aliis placet Udalrico, perperam tamen*, in Synodica ad Presbyteros*: *Sermonem ut superiùs dixi, Athanasii Episcopi de fide Trinitatis, cujus initium est, Quicumque vult*, &c. Riculfus quoque eadem propè habet in Cap. 5. Constitut. *Vt unusquisque vestrûm psalmos, & sermonem fidei Catholicæ, cujus initium: Quicumque*, &c.

*Ita Henricus Valesius in l. 6. hist. Euseb. annot. c. 44.

* *In Spicilegij To. 2. p. 263.*

2. Circa sæculum IX. Conventus seu Collationes Presbyterorum memoratæ in cap. 29. institutæ fuisse videntur ex cap. 20. Riculfi Suess. *Rationi quoque proximum esse sanximus, ut in unoquoque mense, statutâ die, id est in Kalendis uniuscujusque mensis, per singulas Decanias Presbyteri simul conveniant, non pastis vel potationibus vacent, sed de suo ministerio, & religiosâ conversatione, atque de suis, quæ in eorum parochia accidunt sermonem habeant, & qualiter pro Rege, vel Rectoribus Ecclesiæ, atque pro suis familiaribus tam vivis quàm defunctis orare debeant, considerent.* Huc facit Ca-

Digitized by Google

pitul. 15. Hincmari ad Presbyteros*: *Vt quando Presbyteri per Kalendas simul convenerint, post peractum divinum ministerium, & necessariam Collationem, non quasi ad prandium ibi ad tabulam resideant*, &c.

* *Sub finem Tom. 1. operum.*

3. Caput XC. elucidare potest Beda in Præfat. de Remediis peccatorum, sive Pœnitentialis: *Sollerter admonentes doctum quemque Sacerdotem Christi, ut in universis quæ hîc adnotata reperit, sexum, ætatem, conditionem, statum, personam cujusque pœnitentiam agere volentis, ipsum quoque cor pœnitentis curiosè discernat, & secundùm ut sibi visum fuerit, singula quæque judicet. Quibusdam namque à cibis abstinendo, nonnullis sæpiùs genua flectendo, sive in cruce stando, aut aliud aliquid hujusmodi, quod ad purgationem peccatorum pertineat, faciendo.* Ipsissima repetit verba Heriveus Remens. in Epistola ad Witonem Rotomag. Cap. 23.

II. Miscellanea Epistolarum, &c.

Miscellaneorum Epistolas, Diplomata, Chartas, &c. universas propemodùm, non tantùm eruit communicavítque vir Illustriss. Antonius de Vion dominus d'Herouval, (cui præcipuum studium est de rerum antiquarum amatoribus bene promereri, eósque juvare). Verùm etiam cùm adversam valetudinem meis laboribus remoram injecisse vidisset, singulari in me benevolentiâ multas suâ manu Chartas descripsit, ut suis locis adnotavi.

In his autem Miscellaneis notes velim, Lector, formam electionis priscorum Ecclesiæ tem-

Pag. 154. Forma antiqua eli-

Digitized by Google

gendi Episcopum.

porum, quâ in eligendis Episcopis adhuc sæculo decimo utebantur Antistites provinciæ Bituricensis.

Pag. 161. Testamentum Geraldi Episcopi.

Testamentum pag. 161. insertum docet quàm necessariam in Ecclesiis Cathedralibus existimet Geraldus Episcopus disciplinam Canonicorum, regulam & stabilitatem profitentium, simúlque commorantium, quos Ecclesiæ suæ Caturcensi præficit; *Vt qui regularis disciplinæ studium recusaverint, & jugum ipsum ferre detrectaverint, talibus non sit participandi societas, vel invadendi præsumptio in hoc dono, per Dei tremendam omnipotentiam contradico, prohibeo, excommunico.*

Advertes in Fundatione sive Institutione Vallis-Scholarium à GUILLELMO Eduensi Episcopo approbata anno 1215. *Quòd loci Fratres* (habet Charta) *certam vivendi formam eligentes, proposuerunt sub Regula B. Augustini militare*, &c. *more Fratrum B. Victoris Paris. vacabunt laboribus, horis, & temporibus constitutis, more quo decet silentium servaturi.* [a] *Sani carnibus non vescentur, nec in domo, nec extra domum, nisi in ægritudine vera, & tunc ut citiùs convalescant.* [b] *A Pascha usque ad Exultationem S. Crucis bis reficientur die, residuum temporis sub jejunii abstinentia transcursuri*, &c. *More dictorum Fratrum B. Victoris habebunt lectualia culcitis & linteis carentia. Dormientes succincti tunicas & calciati, caligis laneis contenti, sicut & Fratres*, &c.

[a] *Sumpta sunt hæc ex Regula S. Bened. cap. 36. & 39.*

[b] *Item ex cap. 41.*

Ubi observandum ab insigni illa Sanvictoriana *Abbatia*

Digitized by Google

Abbatia tamquam è fonte limpidiſſimo ſanctitatis ac doctrinæ, Ordinem hunc Vallis-Scholarium, velut & plures Clericorum ſive Canonicorum ſuas hauſiſſe obſervantias: Deinde voces illas, *More Fratrum B. Victoris, &c.* primigenias ejuſdem Abbatiæ Conſuetudines inſinuare. In aliis enim multo haud dubiè pòſt tempore conſcriptis, nimirum in parte 2. LIBRI ORDINIS ita ſtatuitur cap. 17. de Jejuniis: *Ab Exaltatione S. Crucis uſque ad Adventum, & ab Octavis Epiphaniæ uſque ad Quinquageſimam, niſi fuerit feſtum duplex, ter in hebdomada carnibus abſtinentes jejunamus, ſcilicet Feriâ ſecundâ, quartâ & ſextâ, exceptis infirmis debilibus, & iis cum quibus Abbas diſpenſaverit*, &c. Et cap. 17. primæ partis, de Veſtiario. *Hæc ſunt veſtimenta quæ uni Canonico conceduntur, cappa, tunicæ laneæ ſuperior & inferior, pelliceum, ſuperpellicea, tunicæ lineæ* (rochetam vulgò dicimus) *interulæ, id eſt camiſiæ*, &c. *Quibus ad lectum utimur, ſunt, culcita ſine plumis, pulvillus humeri, cervical, coopertorium unum ex pellibus agninis: alterum ex lana alba*, &c. *Cappa apertum convenienter capitium habere debet, & aliquantulum amplum. Cappa & tunica lanea unius longitudinis eſſe debent diſtantis à terra uno ſaltem palmo. Et ultra ipſas nullum aliud veſtimentum deorſum prominere debet*, &c. *Et hujuſmòdi veſtimentis omnes Fratres ſive foris, ſive intus uti debent.*

De Abbatia Sancti POLYCARPI, cujus mentio habetur in duobus Præceptis CARLOMANNI In Miſcel. Epiſt. p. altera:

Digitized by Google

p. 352. & 354. & ODONIS Regum, agit Concilium Narbonense ineditum an. M. XC. celebratum, his verbis: *Abbatiam etiam ſancti Polycarpi prædicto Craſſenſi Abbati* (Roberto) *ejúſque ſucceſſoribus, prædictus Narbonenſis Archiepiſcopus cum voluntate Narbon. Eccleſiæ Cleri commiſit, & perpetuò regendam tradidit. Tempore autem quo prædicta loca* (Abbatiæ S. Laurentii, & S. Polycarpi) *ſecundùm qualitatem locorum juxta Regulam B. Benedicti Abbates habere potuerint, canonicè Abbates eligantur, conſentiente & laudante Narbon. Archiepiſcopo, ſi ſecundùm Regulam S. Benedicti eis aſſentiri voluerit, & benedictione præfatæ Sedis Narbon. benedicantur, & debitam ſubjectionem prædictæ Sedi promittentes in manu Archiepiſcopi obedientiam ſecundùm Deum profiteantur. Interim verò Priores qui præfuerint in prædictis locis, cum debita reverentia Narbonenſi Eccleſiæ ſubjacentes, jam ſæpedicto Archiepiſcopo & ejus ſucceſſoribus obedientiam debitam exhibeant*. Caret etiamnum hocce Monaſterium Abbatiali dignitate, & Prioratus dumtaxat nomen retinuit, éſtq; Abbatiæ Craſſenſi ſubjectum.

**Hoc fragmentum communicavit V. C. Stephanus Baluzius.*

Epiſtolæ XIII. ad HONORIUM Papam III. Auctor Jacobus de Vitriaco ex Epiſcopo Acconenſi S. R. E. Cardinalis, notior eſt, quàm ut pluribus à me commendetur. Is Epiſcopus certiorem facit Summum Pontificem de iis, quæ in Terra ſancta à Chriſtianis geſta ſunt an. 1219.

Hactenus de Miſcellaneis: ultrà progrediamur.

Digitized by Google

III. Vita S. Medardi Auctore Fortunato.

Vitam Sancti MEDARDI Noviomensis Episcopi damus, omnium vetustissimam & optimam, Auctore Fortunato Presbytero, cùm pura puta huc usque minimè prodierit, sed à sciolis quibusdam miserè interpolata & consarcinata, quod tum ex Actibus sanctissimi illius Pontificis ab anonymo compositis, tum ex vita quam edidit Radbodus Noviomensis itidem Episcopus* legenti & conferenti planum fiet. Unde ut id clarius innotescat, profuturum duximus Actus Medardi ab Anonymo Monacho conscriptos in medium producere: eâ enim viâ, Lector, quid manus aliena Fortunatianæ vitæ adjecerit, faciliùs agnosces, dubiíque nihil in posterum remanebit de vero Fortunati Opere: ac proinde viris doctis, qui eamdem vitam diutissimè desiderârunt & inquisierunt, fiet satis; & ob ipsam suscitata inter nonnullos contentio, tandem ut spero dissolvetur sopietúrque.

* Exstat apud Surium.

Animadvertes præterea Johannem à Bosco præfatæ quam conscripsit Fortunatus vitæ fragmentum in Bibliotheca Floriac. retulisse p. 150. Et MS. cod. Bibl. Thuaneæ vitæ S. Med. à Radbodo compositæ, quam in lucem Surius protulit, ac perperâ Fortunato adscripsit; hanc epigraphen præferre: *Incipit vita Beatissimi Confessoris Christiani**, *Episcopi Noviomensis, quam Domnus Radbodus Noviomensis & Tornacensis Episcopus sic dictavit.* Compendiensis autem codex tantùm hanc inscriptionem habet: *Vita S. Medardi, quam Domnus Rad-*

f. * Christi.

Digitized by Google

bodus Noviomenſis ſic dictavit.

Sancti porrò MEDARDI vitam quam damus, Fortunati germanum eſſe fœtum ſuadent ſtilus ipſius ubique æqualis, periodi interciſæ, ſententiarúmque gravitas & momenta. Deinde Reges, quorum floruit temporibus Fortunatus, deſignantur. Denique in Actibus vitæ ſubjectis in MS. cod. Resbacenſi verba inſerit Anonymus, quæ ab ipſomet Fortunato mutuatus eſt. Atenim Radbodi non Fortunati eſſe Surianã B. MEDARDI Vitam cóvincunt inter alia Drauſio & Warimbertus Epiſcopi ibidem nominati, utpote qui centum & ampliùs annis poſt Fortunatum vixêre. Boſciana quoque adulterata fuit. Nam ut omittam ſtili eſſe à Fortunati ſtilo longè diverſi, relata ab Auctore capp. 3. & 5. bina miracula à Sancto Medardo adhuc puero patrata, Fortunatum prætermiſiſſe docet vetus ille Scriptor Monachus Sancti-medardenſis. Vide (ſi lubet) adfixa marginibus, & obſervatiunculas, Vitæ Fortunatianæ & Actibus ſubjectas.

In Bibliotheca Floriac. p. 113.

IV. Chronicon Nicolai Trivethi.

NICOLAI Triveti Ordinis Prædicatorum Chronicon ſeu Annales beneficio V. Clariſſ. EMERICI Bigoti nunc primùm vulgamus; ſed priuſquàm in editionem incumberemus, HADRIANUS VALESIUS hoc Chronicon diligentiſſimè perlegerat, diſcuſſerátque, & menda plurima, non pauca graviſſima ac ferè inſanabilia, cùm vitio apographi, tum negligentiâ & inſcitiâ tranſcriptoris invecta, pro ſua hiſtoriæ notitia facilè,

Digitized by Google

ut ſolet, felicitérque correxerat. Tanti viri diligentia & opera huic Chronico, ſicut & Chartis compluribus impenſæ, maximo mihi adjumento fuêre.

Licèt autem illo in Opere Auctori propoſitum fuerit, potiſſimùm de rebus Anglicanis ſcribere, tamen res Francorum paſſim, & aliarum gentium ab ipſo recenſentur, adeò ut tria percurrens ſæcula, quæ in orbe digna notatu geſta ſunt ſtrictim narrare haud omiſerit.

Prolixè, ſed ſincerè ac modeſtè ſcripſit de S. Dominico, déque ipſius Ordine, (in quo religionis vota emiſerat) viros doctrinâ & pietate illuſtres commemorans, præcipuè verò S. Thomam Aquinatem, utpotè ſibi coævum; cujus amplum texuit indicem Operum: atque emunctæ vir naris, ac ſtudio partium minimè addictus, germanos à ſpuriis partus accuratè diſcrevit. Vide (ſi lubet) annum 1274. in Chronico pag. 633. & ſequenti.

Trivetum laudibus attollit Joh. Pitſeus, variáſque ejus ac permultas in omni propè ſcientiarum genere lucubrationes ſingillatim recenſet. *Nicolaus Trivetus*, ait, *claris in Anglia parentibus natus* * *in Comitatu Norfolcenſi, patrem habuit Thomam Trivetum, Equeſtris Ordinis virum, Regis aliquando ſummum Juſtitiarium* *. *Nicolaus autem iſte Londini apud Prædicatores Ordinis S. Dominici à pueritia educatus, adoleſcens eorum Regulam & ſanctiones ſanctiſſimas amplexus, habitu ſuſcepto, ſuo tem-*

* *De Illuſtr. Angliæ Scriptoribus anno 1328.*

* *Vide Chronic. pag. 626.*

Digitized by Google

pore professionem edidit, &c. Vir sanè vitæ sanctimoniâ perspicuus, eruditionis varietate clarus, Poëta, Rhetor, Historicus, Mathematicus, Philosophus & Theologus insignis, &c. Deinde enumeratis Triveti Operibus indigitat Chronicon à nobis editum, quod *Historiam sex Regum Angliæ*, inscribit.

Pericopen Trivetiani Chronici, ubi de Gilberto Institutore Ordinis Simplingam. agitur, insutam videas Monastici Anglicani tomo 2. de Hospital. Militum Ordinis Sancti Augustini pag. 787. an. 1146. itémque pag. 699. & sequentibus, Institutiones sive Statuta ejusdem Ordinis adtexuntur.

Ceterùm Nicolaus Trivetus & Matthæus Westmonasterienſis cùm fuerint æquales, ac in utriusque Operibus, ab anno nimirum 1301. ad annum 1307.* non idem modò sensus, sed verba ipsa sæpe reperiantur, utri attribuenda sint, an ab alio Scriptore & Westmonasterienſis & Trivethus hauserint, facilè haudquaquam dijudicari potest.

* *Ubi desinit Auctor uterque.*

Tomus hic Octavus in manus tuas, LECTOR, ociùs pervenisset, ni oculorum dolor acerbissimus, quo fui toto fermè anno proximè elapso affectus, ita obstitisset, ut inducias studiis dederim & lucubrationibus persæpe meis, desponderímque animum spicas colligendi, & Spicilegium ultrà in publicum producendi. Verumenimverò suppetias lubentissimè attulit carissi-

Digitized by Google

mus Sodalis, ac ſtudiorum laborúmque meorum ſocius Johannes Mabilio; queis fretus ego & adjutus, Tomum huncce nunc tibi exhibeo: huic ergo gratias habe, & mei dum votivas Deo preces exſolves, memento. Vale.

UT in Tomo VII. Spicilegii Petro Damiani Sermones V. in Orationem Dominicam tribuerem, ſuaſit Codex ante annos ſcriptus quadringentos, qui Petri Damiani nomen diſtinctè præferebat. At poſtquam in publicum prodiit Tomus ille, monuit me ſuis litteris doctiſſimus Theologus noſter Stephanus de Marcés, Sermones hoſce Petri Ravennatis ſive Chryſologi eſſe genuinos, ob varias ac minimè ſpernendas rationes; queis lubens calculum adjicio meum. Eruditis tamen relinquo judicium.

Digitized by Google

ERRATA.

Pag. 292. *lin.* 19. LX. *lege* LXI. *& ſic in ſequentibus.*
Pag. 451. *in margine lin.* 14. inventa, *lege* tranſlata.
Pag. 458. *in margine* Vaſconenſes, *lege* Vaſcones.

Corrigenda in Miſcellaneis Epiſtolarum.

Pag. 165. *lin.* 10. Berhandum, *lege*, Bertrandum.
Ibid. in marg. & in Charta, lin. 2. 1109. *lege* 1169.
Pag. 231. Conſtantiam, *lege* Sanciam.
Pag. 259. *lin.* 1. Filia, *adde*, naturalis, *nempe ex Saura de Monte Regali, ut innuit Iacobi Regis Majoric. Teſtamentum his verbis:* Volumus & mandamus ac rogamus noſtrum Heredem univerſalem, ut Sauræ de Monte Regali matri nobilis Sauræ de Pinoſo natæ noſtræ, detur quolibet anno, &c.
Pag. 263. *in marg. & pag.* 264. *lin.* 15. 1305. *lege* 1325.
Pag. 272. *lin.* 3. Iſabellam, &c. *Lege* Iſabellam filiam Philippi d'Ybellin Seneſcalli Cypri, & Margaretæ filiæ Guillelmi Achaiæ Principis.
Eadem in Elencho ſunt emendanda.

ELENCHUS

Digitized by Google

ELENCHVS CONTENTORUM IN TOMO OCTAVO SPICILEGII.

ATTONIS Episcopi Vercellensis Opera: *scilicet*,

CAPITULARE, *Pag.* 1

Libellus de Pressuris Ecclesiasticis in tres partes divisus, 44

Pars I. de Iudiciis Episcoporum, 44

Pars II. de Ordinationibus eorumdem, 65

Pars III. de Facultatibus Ecclesiarum, 90

Epistolæ ejusdem, 99

I. Valdoni Episcopo. Ipsum graviter reprehendit quòd seditionem adversus Regem excitaverit; probátque quamvis Rex injustè agat, non ideò sumenda arma, sed preces & exhortationes esse adhibendas, *ibid.*

II. Contra nefarios quosdam & superstitiosos, 110

III. Contra eos qui præstigiatoribus fidem adhibentes, illos Prophetas appellant, 111

IV. Ad pia exercitia adhortatur, & ut feriâ sextâ otio non vacent, sed abstinentiam, &c. observare non negligant, 112

V. Azoni Episcopo rationem reddit quare quemdam à nuptiis feminæ quæ ipsum de sacro fonte susceperat, fretus sacris humanísque legibus prohibuerit, 113

VI. Gunzo Levita Novaric. Attoni, &c. Ejusdem argumenti, 120

VII. Ambrosii Mediolan. Presbyteri Attoni, &c. Ejusdem argumenti, 122

VIII. Atto Episc. Ambrosio Sacerdoti. Quid in Canonibus Presbytera, quid Diacona signent interpretatur, 123

IX. Cunctis Sacerdotibus, eorúmque Ministris in diœcesi Vercellensi. Adversus concubinarios Clericos & Sacerdotes agit, & ad continentiam exhortatur, 126

X. Iisdem. Ut castitatem amplectantur, 131

XI. Sanctissimis & dilectissimis Confratribus Illustr. venerabilibus Episcopis. Quî fidelitas Regi exhibenda; & an ipsi dandi sunt obsides pro fidelitate asserenda, 132

Ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ.

Digitized by Google

MISCELLANEA EPISTOLARUM, DIPLOMATUM, &c.

DCCC-XXVI. I. DIploma LUDOVICI & LOTHARII Imperatorum. Confirmatur Privilegium JONÆ Aurel. Episcopi pro instauratione Monasticæ disciplinæ in S. Maximini Miciac. Monasterio, 138
Ex Chartul. Eccles. Aurel. à V. C. domino d'Herouval communicato.

DCCCLII. II. Præceptum Lotharii Imp. quo villam quamdam Ecclesiæ Eduensi restitui jubet, 141
Ex Chartulario Eduensi ab eodem.

DCCC-LVIII. III. Jonæ Eduensis Episcopi. Confert multa tum ad victum Canonicorum, tum ad ipsorum ædificiorum constructionem necessaria, 142
Ex majori Chartulario Eduensi ab eodem.

DCCCLXV. IV. Ejusdem. Fundatam ac dotatam à Tancredo nobili viro Ecclesiam consecrat, 145
Ex eodem.

DCCC-LXXXIV. V. Carlomanni Regis præceptum. Omnia quæ à prædecessoribus concessa sunt Ecclesiæ Aurel. approbat, 148
Ex eodem.

DCCCC-XXIII. cir. VI. Testamentum Herivei Eduensis Episcopi, 151
Ex eodem.

DCCCC-XCIX. VII. Forma electionis Episcopi. Gausbertus eligitur Episcopus Cadurcens. permittente Metropolitano, & Episcopis assensum præbentibus, 154
Ex Chartul. Cadurcensi eruit D. d'Herouval.

MLVII. VIII. Henrici Franc. Regis Diploma, quo abrogat injustam consuetudinem claudendi portas civitatis Aurelianensis, & custodes eis adhibendi tempore vindemiæ, 156
Ex Chartul. Eccles. Aurelian. à domino d'Herouval.

MLXXVI. IX. RAGINARDUS in Concilio Augustodun. excommunicatus, quæ abstulerat Canonicis Augustodun. Ecclesiæ restituit, 157
Ex eodem.

MLXXX-VIII. X. RAIMUNDUS Comes pœnitentia ductus erogat quædam Monasterio S. Andreæ Avenion. 159
Ex Chartis ejusdem Monasterii.

MXC. XI. Testamentum GERALDI Cadurcens. Episcopi. Constituit Canonicos Regulares in sua Ecclesia, 161
Ex Chartulario ejusdem Ecclesiæ sua manu descripsit dominus d'Herouval.

Digitized by Google

MCIV. XII. GODEFRIDI Ambian. Episcopi. Confirmat quæ Monasterio Lehunensi donata sunt à Comite Flandrensi ROBERTO juniore, & à ROBERTO Paronensi, 163
Idem communicavit.

MCIX. XIII. Pactum initum inter GUILLELMUM Montispessulani dominum, & Berhandum de Andusia, pro ineundo matrimonio filii & filiæ ipsorum, 165
Ex membranis domini d'Herouval.

MCXIII. XIV. BALDRICI Noviomensis Episcopi. BOSO Miles à suis prædecessoribus ablata Lehunensi Monasterio moribundus restituit, 169
Ex eodem.

MCXIV. XV. GODEFRIDI Ambian. Episcopi. Conferuntur eidem Monasterio Ecclesiæ de Herboneriis & de Hangesto, 171
Ex eodem.

MCXX. XVI. Compositio pro Abbatia S. Blasii diœcesis Basiliensis, 172
Eruit D. Iacobus de Lannoy, ex MS. Codice Abbatiæ Cisterc.

MCXXXI. XVII. BARTHOLOMÆI Laudunensis Episcopi. Judicium quo Lehunens. Monachorum terra de Cais à Roberto abjuratur, 173
Communicavit dominus d'Herouval.

MCXXXII. XVIII. ALDEFONSI Hispan. Regis. Abbatia SS. Facundi & Primitivi Cluniaco subjicitur. 175
Ex membranis ejusdem Monasterij.

MCXXXIII. XIX. INNOCENTII PP. Sententia. Quam pœnitentiam interfectores Archembaldi Subdecani Aurel. agere teneantur, ut satisfaciant & ab excommunicatione absolvantur, 177
Ex MS. D. d'Herouval.

MCLIII. XX. Henrici Huntindonens. Archidiaconi Lincoln. De contemptu mundi per ea quæ ipse vidit, 178
Ex MS. Codice Abbatiæ Gemeticensis.

MCLVI. XXI. Donatio facta MARIÆ Sorori Ducis Burgundiæ à GUILLELMO Montispessulani domino propter nuptias, 194
Ex membranis D. d'Herouval.

MCLXIV. XXII. GUILLELMI de Rocamaura & PETRI fratris. Conferunt Monasterio S. Andreæ Aven. quidquid in Jaxia habebant dum frater illorum Pontius cucullam induit, 196
Ex MS. Codice ejusdem Monasterii.

MCLXXI. XXIII. LUDOVICI VII. Francorum Regis Præceptum. Approbat donationem Aurelianens. Ecclesiæ factam à Manasse Episcopo, 197
Concessit dominus d'Herouval.

MCLXXX. XXIV. PHILIPPI Bellovac. Episcopi. Ecclesiam Ursivillarensem

Digitized by Google

dat Lehunenſ. Monachis, qui in die obitus Epiſcopi Miſſas & Anniverſarium celebrare pollicentur, 198
Ex eodem.

MCLXXX. XXV. RAIMUNDI Comitis Toloſani confirmatio donationis ab ISNARDO factæ dum habitum Monachalem ſuſcepit, 199
Ex MS. Codice Abbatiæ S. Andreæ Avenion.

MCLXXX-VII. XXVI. ARCHEMBALDI de Borbonio pactum initum cum Petro de Blot coram Rege Anglorum Henrico, 201
Ex Chartis D. d'Herouval.

MCLXXX-IX. XXVII. PHILIPPUS II. Rex Franc. quæ uſurpârat Regalia Eduenſ. Eccleſiæ reſtituit, 203
Ex iiſdem.

MCLXXX-IX. XXVIII. RAIMUNDUS Toloſan. Comes approbat ea quæ Bertrandus profeſſionem Monaſticam amplectens tradidit Abbatiæ S. Andreæ Aven. 204
Ex Chartis eiuſdem Abbatiæ.

MCXCI. XXIX. Dotalitium ob matrimonium inter GUILLELMUM Montiſpeſſulani, & TITBURGAM filiam Raimundi Attonis, 205
Ex membranis D. d'Herouval.

MCXCV. XXX. Sententia divortii facti inter GALCHERUM de Salinis, & M. de Borbonio conſanguineos, 210
Ex iiſdem.

MCXCV. XXXI. Johannes Portugal. Rex confert Menendo Abbati Monaſterium Ceicenſe, 213
Ex Chartis Abbatiæ Ciſtercienſis deſcripſit domnus Iacobus de Lannoy.

MCXCIX. XXXII. Titburga renunciat pactionibus matrimonialibus à parentibus confectis, quibus eam uxorem dum adhuc infans eſſet ſponderant filio Guillelmi Montiſpeſſulani, 214
Ex Chartis D. d'Herouval.

MCCIV. XXXIII. Donationes ob nuptias factæ inter Petrum Aragoniæ Regem, & MARIAM Montiſpeſſulani dominam, 216
Ex iiſdem.
Edita quidem eſt hæc Charta in Comment. Occitan. à Guillelmo Catel. ſed propter ſubſequentem neceſſariò iterum edenda fuerat.

MCCV. XXXIV. MARIA Regina dat Montempeſſulanum, &c. PETRO Regi Aragoniæ, 220
Ex membranis D. d'Herouval.

MCCV. XXXV. PETRUS Rex Aragon. RAIMUNDO Duci Narbon. ſpondet filiam SANCIAM daturum RAIMUNDO ejus filio in matrimonium, 222
Ex iiſdem.

MCCXV. XXXVI. INSTITUTIO Ordinis Vallis Scholarium, 227
Communicavit D. d'Herouval.

Digitized by Google

MCCXX-VIII. XXXVII. Littera de Præbendis Tornodorensibus conferendis, 230

Ex ejusdem membranis.

MCCXLI. XXXVIII. Initum matrimonium inter RAIMUNDUM Comitem Tolosæ, & CONSTANTIAM filiam Comitis Provinciæ, JACOBO Rege Majoricarum Procuratore, 231

Ex iisdem.

MCCXLIX. XXXIX. Litteræ Institutionis Monachorum Cistercienſium in Monasterio S. Mariæ Vratislavienſis. Amotis Augustinianis Monachis Cistercienſes subrogantur, 232

Eruit dominus Iacobus de Lannoy ex Chartis Cisterc.

MCCLIII. XL. Statuta ad instaurandam Monasticam disciplinam in Monasterio S. Andreæ Aven. O. B. 236

Ex MS. Codice ejusdem Monasterii.

MCCLXI. XLI. Testamentum ROSTAGNI de Podio-alto, 241

Ex eodem Codice.

XLII. Contractus matrimonii inter SANCIUM filium Regis ALDEFONSI, & GUILLELMAM filiam GASIONIS Vicecomitis Bearnensis, 245

Ex membranis D. d'Herouval.

MCCLXX. XLIII Testamentum Magistri ROBERTI de Sorbona, 247

Ex iisdem.

MCCLXXIV XLIV. Magistri GAUFRIDI de Barro donatio bonorum quæ ipsi contulit ROBERTUS de Sorbona, facta Congregationi pauperum Magistrorum Parisiis in Theologica Facultate studentium, Roberto jam mortuo, 249

Dedit idem D. d'Herouval.

MCCLXXII XLV. PETRI Electi Lugdunensis Archiepiscopi. Fidelitatem Regi exhibet eâ lege, ut id sibi nullum adferat detrimentum, 250

Ex minori Chartul. Eduenſ. à D. d'Herouval communicato.

MCCLXXV. XLVI. Matrimonium initum inter JACOBUM Regis Aragon. filium, & SCLARMUNDAM filiam Comitis Fuxensis, 251

Ex membranis ejusdem.

MCCLXXX-II. XLVII. AYMARI Lugdun. Archiepiscopi. Ordinat ut more antiquo Archiep. Lugd. & Episcop. Eduenſ. alter alterius sedem vacantem teneat & administret, 253

Ab eodem ex minori Chart. Eduenſi.

MCCLXXX-VII. XLVIII. RADULFI Archiep. Lugdun. & Hugonis Eduenſ. Episcopi Ordinationes pro administratione Archiepiscopatûs & Episcopatûs Sede vacante, 255

Ex eodem.

MCCXCIX. XLIX. SAURA filia Regis Majoric. contrahit matrimonium cum

Digitized by Google

Petro Gauceranni de Pinoſio. Donationes ob nuptias factæ ab utraque parte, 259
Ex Chartis D. d'Herouval.

MCCCV. L. Caroli Regis Francorum. Emancipatio filii ſeptennis auctoritate Regiâ, 263
Ex iiſdem.

MCCCXI. LI. Inſtrumentum, quo MARGARETA de Bello-joco renunciat omnibus bonis mobilibus & debitis JOHANNIS Comitis Autiſſiodor. mariti ſui nuper mortui, 264
Ex iiſdem.

MCCCXIII. LII. JACOBI Regis Aragon. & Majoric. Conceſſio feudi facta ab eodem Rege, 267
Ex membranis ejuſdem.

MCCCXIII. LIII. Matrimonium contractum inter FERRANDUM Regis Majoricarum filium, & ISABELLAM filiam GUILLELMI Achaïæ Principis filiam, 272

MCCCXVI. LIV. PETRI S.R. E. Cardinalis litteræ hortatoriæ ad tranſmarinam expeditionem, 276

MCCCXXVI LV. JACOBI Aragoniæ Regis CAROLO Regi Francorum. Reſtitutio facta à Rege Aragon. ob naves mercibus oneratas à ſuis militibus in mari ſublatas, 277

LVI. Regis Franc. Reſponſio, 282

MCCC-XXXII. LVII. JOHANNIS Papæ XXII. Ludovico Duci de Borbonio. Diſpenſatio juramenti, 283

MCCC-XXXIV. LVIII. Ejuſdem Papæ eidem Regi. Diſpenſatio conſanguinitatis ad contrahendum matrimonium, 284

MCCCC-XXXIII. LIX. Concilii Baſilienſis Patres à Comite de Villandrando auxilium contra Epiſcopum Albanum requirunt, 285
Huc uſque ex membranis D. d'Herouval.

MCCCC-LIII. LX. Cardinalis Sabinenſis, aliàs Ruthenenſis de expugnatione urbis Conſtantinopol. 286
Ex MS. Ciſtercienſi eruit D. Iacobus de Lannoy.

MCCCC-LIX. LXI. PII Papæ II. Reſponſio ad orationem Oratorum Gallicorum in celebri conventu Mantuano publicè habita, & divinitus uno ſpiritu pro ſua excuſatione recitata, 292
Ex MS. Viri Clariſſimi Claudij Ioly, Eccleſiæ Pariſienſis Canonici.

MCCCC-LXIII. LXII. Ejuſdem JOHANNI Duci Borbon. Hortatur Ducem ut contra Turcos arma ſumat, 325
Ex membranis D. d'Herouval.

MCCCC-LXIV. LXIII. PAULI Papæ II. LUDOVICO XI. Regi Francorum. Regem adhortatur ad ferendum ſuppetias adverſus Chriſtianæ Religionis hoſtes, 326
Ex iiſdem membranis.

Digitized by Google

MCCCCLIX LXIV. Propositio facta per Reverendissimum dominum Cardinalem Albiensf. (Johannem Goffredum) coram præcellentissimo Rege Castellæ HENRICO, &c. 328
Ex Monasterii Lyrensis Cod. MS.
MCCCC-LXXIV. LXV. Johannis Ducis Borbonii leges in blasphemos latæ, 345
Ex membranis D. d'Herouval.

MISCELLANEORUM
PARS ALTERA.

DCCC-LXXI. I. CAROLI Calvi Franc. Regis Præceptum. Approbat fundationem Monasterii S. Andreæ diœcesis Helenensis Ordinis Bened. 349
DCCC-LXXXI. II. Præceptum CARLOMANNI Regis in favorem Monasterii S. Polycarpi O. B. in diœcesi Narbonensi, 352
DCCC-LXXXIX. III. Præceptum ODONIS Regis pro eodem Monasterio, 354
XMLVIII. IV. LOTHARII Regis Præceptum. Quæ Monasterio S. Michaëlis de Coxano in diœcesi Helenensi dederat Gerberga Regina approbantur à Rege, 357
MXCVI. V. Canonicorum Cadurcensium Donatio facta GAUBERTO de Castro-novo, eâ lege ut filius ejus, cùm ad decimum ætatis annum pervenerit, induat habitum Canonicum, &c. 360
MCIII. VI. GUILLELMI Præpositi Cadurcensis Iusjurandum. Spondet se personas, omnia jura & bona Ecclesiæ Cadurcensis defensurum, 362
Circa an. MCIV. VII. GUILLELMI Vicecomitis Sancti Cirici. Quæ oppigneraverat ipse, data fuerant Canonicis Cadurcensibus, sed postea ablata restituuntur, 364
VIII. Donatio facta Canonicis Cadurc. à Ratherio de Bello-forte
Confer cum præcedente.
Circa an. MCIV. IX. BERNARDI Traucapeti. Induens habitum Canonicum multa tribuit, ac filium offert Ecclesiæ Cadurcensi, 366
Circa an. MCVII. X. RAIMUNDI de Banza & uxoris ejus Donatio dum filium offerunt ut fiat Canonicus Regularis in Ecclesia Cadurc. *Ibidem.*
An. circiter MCC. XI. HUGO de la Roca offert filium suum in Ecclesia Cadurcensi, 367
MCCXVII. XII. NUNONIS SANCII Edictum pro pace seu treuga servanda, 368
Hactenus eruit & concessit D. d'Herouval.
MCCXIX. XIII. J. Episcopi Acconensis ad Honorium Papam. Christianorum res gestas in Terra sancta narrat, 373
Ex Schedis D. Stephani Baluzii.
MCCXX-XXVIII. XIV. IACOBI Aragon. Regis Edictum pacis & treugæ, 383
Eruit D. d'Herouval & communicavit.

Digitized by Google

MCDXC-VII. XV. CAROLI VIII. Petit à Cameræ Computorum administratoribus, ut in Chartis perquirant quomodò prædeceſſores ſui Reges, præſertim Sanctus LUDOVICUS, audientiam populo præſtabant, 390

Vita S. MEDARDI Noviomenſ. Epiſcopi, Auctore Fortunato Presbytero, 391

Ex Mſſ. Codicibus S. Germani à Pratis & VV. CC. domini Claudii Ioly Canonici Pariſ. & domini d'Herouval, ac Monaſterij Reſbac.

Actus MEDARDI Præſulis almi. Auctore Monacho anonymo, 397

Ex Codice MS. Reſbacenſis Monaſterij.

Chronicon NICOLAI Trivethi Ordinis Prædicatorum ab anno MCXXXVI. ad an. MCCCVII. 411

Conceſſit V. C. Emericus Bigot ex paterna Bibliotheca.

ATTONIS

Digitized by Google

ATTONIS II.

VERCELLENSIS EPISCOPI

CAPITULARE.

INCIPIUNT CANONES.

CAPUT PRIMUM.

Admonitio Pontificis ad Presbyteros, qualiter erga Subditos agant.

OBSECRO vos, Fratres dilectissimi, ut erga subditarum plebium profectum & emendationem vigilantissimâ curâ laboretis, quatenus illis viam salutis ostendentes, & eos verbis & exemplis instruentes, & vos de eorum profectu, & nos de vestro, Domino JESU-CHRISTO auxiliante, fructuosos illi manipulos reportemus. Obsecro etiam fraternitatem vestram, ut hæc Capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digessi, assiduè legatis, & memoriæ commendetis; & eorum, sive cæterarum sanctarum Scripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, ut cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cælestia pergere certetis. Theodulfi. Caput 1. Capitularis.

Digitized by Google

CAPUT II.

Retractio ejusdem, & de Ordinis discretione bonæque vitæ exhortatione.

Ibid. VERACITER nosse debetis, & semper meminisse; quia nos quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his qui nostrâ negligentiâ pereunt, rationem reddituri sumus. Pro his verò quos verbis & exemplis lucrati fuerimus præmium æternæ vitæ percipiemus*. Quòd si populus fidelis cibus est Dei, ejusdem cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrum gradum nostro gradui secundum & penè conjunctum esse. Sicut enim Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum Presbyteri cæterorum Discipulorum Domini vicem tenent. Et illi tenent gradum Summi Pontificis Aaron, isti verò filiorum ejus. Unde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ quam in manibus suscepistis unctionis, ut nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro sanguine delibutas peccando polluatis: sed cordis & corporis munditiam conservantes, plebibus exemplum bene vivendi præbentes his quibus præestis ducatum ad cælestia regna præbeatis* .....

Theodulphus ad. * Nobis enim à Domino dictum est, *Vos estis sal terræ.*

* *Hucusque Theodulf.*

CAPUT III.

De ignorantia evitanda, & doctrina servanda.

Conc. Tolet. 4. c. 24. IGNORANTIA mater cunctorum errorum maximè Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere sanctas Scripturas frequenter admonet Apostolus dicens ad Timothæum: *Attende lectioni, exhortationi & doctrinæ. Semper permane his.* Sciant igitur Sacerdotes Scripturas, & Canones, ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina

2. Tim. 4. 13.

Digitized by Google

consistat; atque ædificent cunctos tam fide*, scientiâ, quàm operum disciplinâ. al. * fidei scientiâ.

CAPUT IV.

Vt omnes fidem Catholicam memoriter teneant.

PRIMÒ omnium fidem Catholicam* omnes Presbyteri & Diaconi, seu Subdiaconi memoriter teneant. Vt si quis hoc faciendum prætermittat, quadraginta diebus à vino se abstineat. Et si post abstinentiam neglexerit, condemnandum dupliciter in eo sententiâ. Id est, * Symbolum Athanasii. V. de Præfationem nostram.

CAPUT V.

De negligentia cavenda, justitia amplectenda, & vita emendanda.

NEMO Clericorum ultra hæc quæ jussa sunt, dissimulet, aut ullatenus negligere audeat, sed libenter expleat: & sacramenta divina nequaquam negligenter contrectet. Ideò tam juvenes quàm senes de his, & de omni conversione sua, ac conversatione & pœnitentia valde esse sollicitos, satisque agere oportet, ut hæc condignè agant, & de reliquo ornent tam Clerici quàm sæculares, animas suas ornamentis dignissimis, dogmatibus scilicet veritatis, decore pudicitiæ, splendore justitiæ, candore pietatis, aliisque omnibus, quibus comptam decet esse rationabilem mentem. Tum præterea declinare à consortiis inhonestis, & infidelibus, & societatem habere fidelium, atque illos frequentare conventus, in quibus de pudicitia, de justitia, de pietate tractatur. Orare semper Deum ex toto corde, & ab ipso petere quę decet, ipsi gratias agere, & veram pœnitudinem præteritorum gestorum. Aliquantulum etiam, si possibile est, per misericordiam pauperum juvare pœnitentiam.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quibus armis diabolus, & vitia expugnentur.

Theodulf. Cap. 2.

OPORTET vos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi. Quia vita viri justi lectione instruitur, oratione ornatur, & assiduitate lectionis munitur homo à peccato, juxta illum qui dicebat: *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Hæc sunt enim arma, videlicet lectio & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur. His alimentis virtutes nutriuntur.

Psal. 118. 11.

CAPUT VII.

Quòd Sacerdos Missam solus nequaquam celebret.

Idem Theodulf. Cap. 7.

SACERDOS solus Missam nequaquam celebret, quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione Sacerdotis, responsione plebis, admonitione Sacerdotis, responsione nihilominus plebis; ita nimirum nequaquam ab uno debet celebrari. Esse enim debent qui ei circumstant, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur: Et ad memoriam illi reducendum est illud Dominicum: *Vbicumque fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, & ego in medio eorum sum.*

Matt. 18. 20.

CAPUT VIII.

Quòd Sacerdos Missas nisi in sacratis ab Episcopo locis non præsumat celebrare.

Conc. Rom. sub Sylvestro in epil. Refertur apud Ansel. lib. 7. c. 137. & 138. & apud Grat. Cap. *Nullus Presbyter.* De consecr. dist. 1.

HIC in Romana Synodo constitutum est omnium cum consensu Synodi, ut nullus Presbyter Missas nisi sacratis ab Episcopo locis celebrare præsumat, qui particeps de cætero sui voluerit esse sacerdotii.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Quòd divina mysteria studiosè celebrentur.

IN sacrificiis, dilectissimi, ante omnia diligenter observetur, ut panis & vinum & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissimè atque studiosissimè tractentur. Et nihil in his vile, nihil non probatum inveniatur, juxta illud quod ait Scriptura: *Sit timor Domini vobiscum: & cum diligentia cuncta facite.* Theodulf. Cap. 5.

CAPUT X.

Item ex eisdem.

CORPUS Domini nullo modo consecretur nisi ex integra oblatione. Neque enim Dominus sui corporis aliquam sustinuit diminutionem; sicut scriptum est: *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et alibi: *Os non comminuetis ex eo.* Missæ etiam nisi à jejunis Sacerdotibus non celebrentur *. *Psal.* 15. 11. *Iohan.* 15. 36.

* Rather. Veron. serm. syn. pag. 160. Spicil To. 2. *Nullus cantet Missam, nisi jejunus.*

CAPUT XI.

Ut feminæ ad altare non accedant.

FEMINÆ Missam Sacerdote celebrante nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores esse debent feminæ infirmitatis suæ, & sexûs imbecillitatis. Et idcirco quælibet sancta in ministerio divino contingere pertimescant. Quæ etiam laïci viri pertimescere debent, ne Ozæ pœnam subeant, qui dum Arcam Domini extraordinariè contingere voluit, Domino percutiente interiit Theodulf. Cap. 6. 2. *Reg.* 6.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Vt feminæ sacrata vasa, vel pallas non contingant.

Soteris quæ fertur epist. 2. Episcop. Ital. Extat dist. 23. c. *Sacratas.* Et apud Yvonem Carnot. Decret. p. 2. c. 72. & p. 3. cap. 265.

SACRATAS Deo feminas, vel Monachas sacrata vasa, vel sacratas pallas penes vos contingere, & circa altaria incensum deferre perlatum est ad Apostolicam sedem. Quæ omnia reprehensione & vituperatione plena esse nulli rectè sapientium dubium est.

Quapropter hujus sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia resecare funditus quantocyùs poteritis censemus: & ne pestis hæc latiùs divulgetur, per omnes provincias abstergi citissimè mandamus.

CAPUT XIII.

Vt nullus præsumat quælibet ex sacris illicitè usurpare.

Theodulf. C. 18.

NULLUS præsumat aut calicem, aut patenam, aut quælibet vasa sacra, & divino servitio mancipata, ad alios usus retorquere, nec calice sacro aliud bibat præter sanguinem Christi, qui in Sacramento accipitur; nec patenam ad aliud officium admittere audeat, quàm ad altaris ministerium*. Et altaria non cooperianaur nisi nitidis & novis pannis. Corpora verò mortuorum in ipsis nullo modo involvantur.

**Huc usque.* Concil. Arver. 1. c. 3. & 7. Autissiod. cap. 12.

CAPUT XIV.

Vt vestimenta ecclesiastica sacrata & honesta sint.

Steph. Papa Hilario ep. 1. c. 3. Refertur de Consecr. distinct. 1. c. *Vestimenta.* Et apud Yvonem Carnot. p. 2. c. 74.

VESTIMENTA igitur ecclesiastica quibus Domino ministratur sacrata debent esse & honesta. Quibus aliis usibus nemo debet uti, quàm ecclesiasticis & Deo dignis officiis, quæ nec ab aliis debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus, ne ultio quę Balthasar Regem percussit, super hæc transgredientes, & alia præsumentes,

Digitized by Google

veniat divina; qui dum vasa Domini in usus communes adsumpsit, vitam cum regno pariter amisit.

CAPUT XV.

Vt Clerici sæcularibus indumentis non utantur.

PRÆSBYTERI, & Diaconi sæcularibus indumentis minimè utantur, nisi ut condecet tunicâ sacerdotali: sed neque dum ambulaverint in civitatem, aut in viam, aut in plateas sine operimento præsumant ambulare præter si in itinera longa ambulaverint. Quia sicut *mulier orans in ecclesiis non velato capite deturpat caput suum*, juxta Apostolicam vocem; ita Sacerdos sine operimento deturpat sacerdotium suum. Nam si temerè præsumpserit contra statuta agere, communione privetur, donec quæ statuta sunt adimplere maturet.

Zacharias Papa, & refertur 21. q. 4. c. *Episcopi.*

1. *Cor.* 11. 4.

CAPUT XVI.

Quando Symbolum competentibus tradatur.

SYMBOLUM etiam placuit ab omnibus Ecclesiis unâ die, id est ante octo dies Dominicæ Resurrectionis publicè in Ecclesia Competentibus tradi.

Concil. Agathens. c. 13.

CAPUT XVII.

De tempore Baptismi.

BAPTIZANDI sibi quispiam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam præter Paschale festum, & Pentecostes venerabile sacramentum: excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu, in quo verendum est ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis ægrotans exitio præventus abscedat.

Gelasius ep. ad Episcop. Lucaniæ cap. 12.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Qualiter Baptismi sacramenta celebrari oportet.

CATHECUMENI antequam baptizentur, instruantur qualiter credant, ut Sacerdotibus cùm baptizantur .....fraudes loquendi..... imminente periculo obmutuerint, per Christianissimos testes eorum fides examinetur, qui illis antequam obmutuerint adfuissent. Et si eorum testimoniis digni inventi fuerint, baptizentur. Hi verò qui ab infantia muti fuerunt, si aliquibus nutibus, aut indiciis Christianos se esse velle, vel baptismum petere videantur, non est illis vetandum. Pro infantibus verò quibus ætas adhuc loquendi non est, aliis non abnuimus respondendum, Catholicis tamen. Sed qui pro eis fidem promittunt, curam & sollicitudinem habere debent, & illi hoc impleant quod ipsi pro eis promiserunt. Si autem religiosi & docti talibus parentes fuerint, quòd sit cum hac protestatione committendi sunt. Qui fide * fuerint, isti eos frequentiùs instruant, suisque beneficiis sæpiùs studeant confortare.

* *Deest hic verbum aliquid, ut infirmi.*

CAPUT XIX.

Item de parvulis ægrotantibus.

Theodulf. Cap. 17.

SI parvulus ægrotans ad quemlibet Presbyterorum baptismi gratiâ de cujuslibet parochia allatus fuerit, baptismi sacramentum nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectaverit, & ille parvulus absque baptismi gratia mortuus fuerit, noverit se ille qui eum non baptizavit pro ejus anima rationem redditurum.

Digitized by Google

CAPUT XX.

Vt Presbyteri absque Diaconis Baptisma non celebrent.

VT nulla Ecclesia cujuslibet diœceseos ubi baptismus celebratur, Presbyter absque Diacono esse reperiatur. Unde omnis Presbyter non habens Diaconum, eligat sibi personam, & plebi suæ innotescat. Tunc ad Pontificem suum consignans deducat, cujus vitam probatam habeat, & Diaconus consecretur. Quòd si distulerit Presbyter, dicens eo quòd non habeat talem Clericum, Episcopus suus provideat ex Ecclesia sua, aut unde voluerit bonam personam. Tantùm est ut sine Diacono non sit.

CAPUT XXI.

Quæ in Ecclesiis recondi liceat.

VIdemus crebrò in Ecclesiis messes & fœnum congeri; unde volumus ut hoc penitùs observetur, ut nihil in Ecclesia, præter vestimenta ecclesiastica, & vasa sancta & libros, recondatur. (Si autem tempore persecutionis propter improbitatem prædonum sua pauperes alimenta inibi servanda reponunt, non sunt ejicienda: ita sanè ut de eadem Ecclesia pace receptâ illicò transportentur. Vendendi enim vel emendi ibi nulla detur licentia.) Ne fortè si alia ibi quàm oportet negotia exerceantur, à Domino audiamus: *Domus mea domus orationis est, vos autem speluncam latronum fecistis.* Theodulf. c. 8. *Hæc in editis codicibus desiderantur quæ parenthesi includuntur.* Luc. 19. 46.

CAPUT XXII.

Quòd in Ecclesia convivia & accumbitus non fiant.

QUòD non oporteat in Domini Ecclesiis convivia quæ vocantur agapæ fieri, nec intra domum Dei comedere, vel accumbitus sternere. Laodic. c. 17. Trull. c. 72. Aquisg. c. 80.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Quòd in Ecclesiis sepulturæ non fiant.

Theodulfi c. 9.

ANTIQUUS in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorum usus fuit, & pleraque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hostias præparata cœmeteria sive polyandria facta sunt. Unde volumus ut ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur, nisi fortè talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, qui per vitæ meritum talem vivendo suo corpori defuncto locum acquisivit. Corpora verò quæ antiquitus in Ecclesiis sepulta sunt nequaquam projiciantur, sed tumuli qui apparent profundiùs in terra mittantur, & pavimento desuper facto, nullo tumulorum vestigio apparente, Ecclesiæ reverentia conservetur. Ubi verò tanta est multitudo cadaverum, ut hoc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco constituto, ubi religiosè & purè Deo sacrificium offerri valeat.

CAPUT XXIV.

Ut sepulturæ non vendantur.

Greg. lib. 7. Ep. 55.

QUESTA nobis est NEREIDA clarissima femina, quòd ab ea centum solidos pro filiæ suæ sepultura fraternitas vestra velit exigere, atque ei super doloris gemitum majorem dispendii studeat inferre molestiam. Quòd si ita se veritas habet, quia grave nimis, & procul nimis est à Sacerdotis officio, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium. Ab hac se patratione fraternitas vestra contineat, & molesta ei de cætero non existat. Hoc autem vitium & nos, postquàm Deo auctore ad Episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & pravam denuò cõsuetudinem nequaquam usurpari permisimus, me-

Digitized by Google

mores quia dum Abraham à filiis Emor, hoc eſt Efron filio Segor ſepulcri terram pretio ad humandum corpus conjugis poſtularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere conſecutus. Si ergo tantæ conſiderationis paganus vir fuit, quantò magis nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus. Unde ne hoc avaritiæ vitium, vel in alienis denuo tentari præſumatur, admoneo; ſed ſi quando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſi quidem parentes ipſius, proximive heredes, pro luminaribus ſponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi, omnino prohibemus. Quod valde inreligioſum eſt, ne aut venalis fortaſſe, quod abſit, dicatur Eccleſia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtudetis quærere quolibet modo compendium.

CAPUT XXV.

Vt Diœceſes ſingulis annis viſitentur.

MULTORUM experientia caſuum magiſtrante reperimus nonnullas Diœceſes Eccleſiis deſtitutas. Pro qua re id conſtitutione decrevimus, ut antiquæ conſuetudinis ordo ſervetur, & annis ſingulis ab Epiſcopis Diœceſes viſitentur. Et ſi qua fortè Baſilica deſtituta reperta fuerit, ordinatione ipſius reparetur. Concil. Tarracon. ſub Hormiſda. c. 8.

CAPUT XXVI.

Qui Presbyteri Chriſma petant.

PRESBYTERI qui per Diœceſes Eccleſias regunt, non à quibuslibet Epiſcopis ſed à ſuo, nec per juniorem Clericum, ſed per ſe ipſos, aut per illum qui ſacrarium tenet, ante Paſchæ ſolemnitatem Chriſma petant. Conc. Carth. 4. c. 36.

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Quod singulis annis Synodus celebretur.

Tolet. 4. c. 5. NULLA pene res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quàm Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis universaliter definitum est, ut quia juxta antiqua Patrum decreta bis in anno difficultas temporis fieri Concilium non sinit, saltem vel semel à nobis celebretur.

CAPUT XXVIII.

Qualiter Majores Presbyteri ad Synodum veniant.

Theodulf. c. 4. QUANDO more solito ad Synodum convenitis, vestimenta, & libros, & vasa sancta cum quibus vestrum ministerium & injunctum officium peragatis, vobiscum deferte; nec non duos, vel tres Clericos sive Laïcos, cum quibus Missarum solemnia celebratis vobiscum adducite, ut probetur quàm diligenter, quàm studiosè Dei servitium peragatis.

CAPUT XXIX.

Quòd singulis Kalendis collatio in plebibus fiat.

Vide si Præfat. nostram. EXPERIMENTO didicimus, non minus bonam collationem, quàm etiam lectionem prodesse. Unde à præsenti statuimus, ut per singulas plebes singulis Kalendis omnes Presbyteri seu Clerici simul conveniant, ut de fide ac Sacramentis divinis, seu de vita & conversatione, & singulis officiis ad eos pertinentibus communiter tractent. Et si fortè aliquis inter eos negligens aut reprehensibilis invenitur, à cæteris corrigatur. Quòd si corrigi omnino non studuerit, mox suo nuncient Episcopo, ut hæc

Digitized by Google

acriùs emendare quantocyus ſtudeat. Ne cum eadem Diœceſi . . . . . tentur. Si autem Kalendæ in feſtivis fuerint, ſub . . . .

CAPUT XXX.

Quòd nullus abſolutè Clericus ordinetur.

NULLUM abſolutè ordinari debere Preſbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet in gradu eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia Civitatis, aut poſſeſſionis, aut Martyrij, aut Monaſterij qui ordinandus eſt pronuncietur. Qui verò abſolutè ordinatur, decrevit ſancta Synodus irritam haberi hujuſcemodi manus impoſitionem, & nuſquam poſſe miniſtrare ad ordinantis injuriam. Concil. Chalced. c. 6.

CAPUT XXXI.

Vt ſingulis Eccleſiis Sacerdotes ordinentur.

ECCLESIAS per congrua, & utilia facite loca, quas divinis precibus ſacrare oportet, & in ſingulis Sacerdotes divinis orationibus Deo dicatos poni, quos ab omnibus venerari oportet, & non à quoquam gravari. Clementis, quæ dicitur epiſt. 2. ad Iacobum.

CAPUT XXXII.

De Clericis qui loca in quibus ordinati ſunt derelinquunt.

DE Preſbyteris, aut Diaconis qui ſolent dimittere loca ſua, in quibus ordinati ſunt, & ad alia loca ſe transferunt, placuit ut eiſdem locis miniſtrent quibus præfixi ſunt. Quòd ſi derelictis locis ſuis ad alium ſe locum transferri voluerint, deponantur. Concil. Arel. 1. c. 21.

Digitized by Google

CAPUT XXXIII.

*De Presbyteris qui pro alterius Ecclesiis * munera promittunt.*

f. * Ecclesia.

Theodulf. c. 16.

SI quis Presbyter, vel quislibet in Clero inventus fuerit alicui Clerico aut Laïco deinceps munera dare, aut promittere, ut Ecclesiam alterius Presbyteri subripiat; sciat se pro hac rapina, & sæva cupiditate, aut gradum amissurum, aut in carceris ærumna longo tempore pœnitentiam agendo detinendum. [Ille verò quem fatigare præsumpserit, omne damnum quod ei pro hac acciderit querela, ipsósque actionis sumptus insuper restaurare cogatur.] * Nulluſque Presbyter fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius Presbyteri parochia, ut ad suam Ecclesiam concurrant relicta propria Ecclesia, & suas decimas sibi dent, sed unusquisque sua Ecclesia, & populo contentus quæ sibi non vult fieri alteri nequaquam faciat, juxta illud Evangelij: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis.*

Quæ in paretesi non sunt Theodulfi.

* Iterum Terdulfi. c. 14.

CAPUT XXXIV.

Vt nullus oblationes Ecclesiæ præter conscientiam Episcopi aut det, aut accipiat.

Concil. Gangrense c. 7.

SI quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam Episcopi, vel ejus cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.

CAPUT XXXV.

Vt nullus Presbyter absque permissu Episcopi aliquid in ejus Parochia agat.

Epist. 1. quæ Clemen Romani esse circumfertur.

NULLUM Presbyterum in alicujus Episcopi Parochia aliquid agere debere absque permissu docebat, sed

Digitized by Google

& cunctos Presbyteros propriis Episcopis in omnibus absque mora obedientes (instituente Domino) esse debere docebat. Nullum item aliena concupiscere, aut præsumere quæ eorum erant, sed unumquemque suis sibique commissis contentum esse docebat. Neminem etiam alicui aliquid facere, nisi quòd sibi fieri velit instruebat.

CAPUT XXXVI.

Vt nullus Clericus mulierem in consortio familiaritatis habeat.

ILLUD præterea speciali ordinatione decernimus, quod nec antiqua Concilia in universis pene canonibus siluêre, ut nullus Clericorum à gradu Subdiaconatus, & supra, in consortio familiaritatis habeat mulierem vel ingenuam, vel libertam, aut ancillam: sed si sunt ei hujuscemodi servitia matri, vel sorori, aliique cujuslibet propinquitatis contradat, & quidquid suis manibus profecerint, proprio Domino deferatur. Aut si propinquitas memorata deest, alia domus longè ad earum habitaculum requiratur, eo modo, ut nulla occasione introeundi domum Clericorum fœminæ permittantur, unde aut laqueum possit incurrere, aut noxialis fama innocenti fortassis possit inuri. Sanè si deinceps post datam hanc admonitionem quisquis harum consortio frui voluerit, noverit se non solùm à Clericatus officio retrahi, vel Ecclesiæ foribus pelli, sed etiam omnium Catholicorum, Clericorum, vel Laïcorum communione privari, nulla prorsus colloquij consolatione relicta. Concil. Toletan. 2. c. 5.

CAPUT XXXVII.

Vt Clericus nullam conversationem cum muliere post denominationem habeat.

VT si cui Sacerdoti ex qualibet muliere denunciatum fuerit, ut exinde suspicio malæ opinionis efficiatur, Vide Ricul. fum in c. 15.

Digitized by Google

nullam cum ipsa habeat conversationem, neque secretam, neque patentem. Si deinceps inventus fuerit per secundam & tertiam contestationem, ut contemptor gradus sui periculum sustineat.

CAPUT XXXVIII.

Qualem professionem Presbyteri & Diaconi faciant quando ordinantur.

Concil. Tolet. 4. cap. 26.

QUANDO Presbyteri & Diaconi per Parochias constituuntur, oportet eos primùm professionem Episcopo suo facere, ut castè & purè * vivant sub Dei timore, & ut eos talis professio alligatos sanctæ disciplinæ retineat.

* *pid.*

CAPUT XXXIX.

Item qualem Episcopus Diaconum faciat.

APræsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum facere Diaconum præsumant, nisi qui se castè victurum promiserit.

CAPUT XL.

Vt Clerici Episcopis suis obtemperent.

Concil. Carthag c. 31.

ITEM placuit, ut quicumque Clerici vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiasticarum rerum non obtemperaverint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in suo gradu unde noluerunt recedere.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XLI.

Quòd nullus Clericus die Dominico aliquod ſæculare negotium audeat vindicare.

VT nullus Preſbyterorum vel Clericorum die Dominico propoſitum cujuſcumque cauſæ negotium non audeat vindicare, niſi hoc tantùm, ut Deo ſtatuta ſolemnia peragant. Ceteris verò diebus cohibentibus perſonis illa quæ juſta ſunt, habeat licentiam judicandi, exceptis criminalibus negotiis. Concil. Tarracon. c. 4.

CAPUT XLII.

Vt Clerici ludicris ſpectaculis non interſint.

NON oportet Miniſtros altaris, vel quoſlibet Clericos ſpectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in ſcenis exhibentur intereſſe, ſed antequam thymelici ingrediantur, ſurgere eos de convivio, & abire debere. Concil. Laodicenſe c. 54.

CAPUT XLIII.

Vt Clerici per plateas, vel andronas, vel nundinas non ambulent.

CLERICI per plateas, vel andronas, aut nundinas non ambulent, & ad forum, vel tabernas non accedant abſque certa corporis vel officii ſui neceſſitate; vel ſi fuerint peregrinatione compulſi, nec ibi comedere aut bibere præſumant. Concil. Carthag. 4. c. 47. 48. Carth. 3. c. 27.

CAPUT XLIV.

Item Clericum ſcurrilem puniendum.

CLERICUM ſcurrilem, & verbis turpibus joculatorem, ab officio retrahendum cenſemus. Concil. Carthag. 4. c. 60.

C

Digitized by Google

CAPUT XLV.

Item Clericus adulator & proditor degradetur.

Ibid. c. 56. CLERICUS qui adulationibus & proditionibus vacare deprehenditur, degradetur ab officio.

CAPUT XLVI.

Clericus inter epulas cantans similiter.

Ibid. c. 61. CLERICUS inter epulas cantans supradictæ sententiæ severitate coërcendus.

CAPUT XLVII.

Quibus negotiis se miscere debeant.

Refertur tanquam Melchiad. distinct. 88. c. *Decrevit.* DECREVIT Nicæna Synodus nullum Clericum aut possessiones conducere, aut negotiis sæcularibus se miscere, nisi fortè Episcopus civitatis ecclesiasticarum rerum sollicitudinem habere præcipiat, aut pupillorum & orphanorum, aut viduarum. Ubi liquidò patet, quia alia sunt negotia sæcularia, & alia ecclesiastica.

CAPUT XLVIII.

Vt Clerici auguria non credant, nec divinationes exquirant.

Concil. Tolet. 4. c. 29. SI quis Episcopus aut Presbyter sive Diaconus, vel quilibet ex ordine Clericorũ magos aut aruspices, aut ariolos, aut certè augures vel sortilegos, vel eos qui profitentur artem magicam, aut aliquos eorum similia exercentes, consuluisse fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus monasterium ingressus pœnam excipiat, ibíque perpetuæ pœnitentiæ deditus scelus admissum sacrilegii

Digitized by Google

solvat*. Item, Si quis post hanc cognitionem, ecclesiasticam contemnens doctrinam, ad... Prophetas, aut Angelos, vel aliquos sanctorum defunctorum, quos æquivocos falsò vocant, abierit, eorúmque pravis doctrinis inhæserit, anathema sit. Nullisque mysteriis ecclesiasticis communicet, donec ad Pontificis venerit satisfactionem. Nam ipse Dominus in Evangelio docet: † *Surgent enim Pseudo-Christi & Pseudo-Prophetæ, & seducent multos.* Et Paulus Apostolus: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Similiter etiam de illis qui arbores colunt, aut ad fontes hujuscemodi religiosè accedunt, deliberare curavimus. Insuper nullus talibus communicare præsumat.

* *Hactenus Concilium Tolet.* Burchard l. 10. c 48. Ivo par. 11. c. 5. & 73. Vide Concil. Laodic. c. 34. 35.

† *Matt.* 24. 24. *Heb.* 13. 9.

CAPUT XLIX.

Ut Clerici usuras non accipiant nec laïciquoque.

ITEM placuit, ut Clericus si commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem, eandem speciem quantum dederit accipiat *. Similiter quoque laïci ab usuris se abstineant, quòd si non fecerint, excommunicentur.

Concil. Carthag. 3. c. 16.

* *Hucusque.*

CAPUT L.

Ut Clerici viliùs emendi & cariùs vendendi usum non habeant.

SICUT per Canonum statuta firmatum est, quicumque in Clero esse voluerit, emendi viliùs, vel vendendi cariùs studio non utatur. Certè si voluerit exercere, cohibeatur à Clero.

Concil. Taracc. c. 2.

CAPUT LI.

Ut Clerici sæcularem defensionem adversus Ecclesiasticam disciplinam non requirant.

ID etiam placuit, ut Clericus si relicto officio suo propter districtionem ad sæcularem fortasse defensionem *

Agath. Concil. c. 8.

* *al.* Iudicem.

Digitized by Google

transierit, & ei ad quem recurrerit solatium defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur.

CAPUT LII.

Vt Clerici Ecclesiastico judicio contenti sint.

Pseudo-Clemens Epist. 1. ad Jacob.

SI qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores sæculi non judicentur, sed apud Presbyteros Ecclesiæ quidquid illud est dirimatur.

CAPUT LIII.

Vt Clerici vigiliis non desint.

Concil. Carthag. 4. c. 49.

CLERICUS qui absque corpusculi sui inæqualitate Vigiliis deest, stipendio privetur.

CAPUT LIV.

Vt Presbyter in nuptiis bigami non prandeat.

Concil. Neocæs. c. 7.

PRESBYTERUM in nuptiis bigami prandere non convenit, quia cùm pœnitentiâ bigamus egeat, quis erit Presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum?

CAPUT LV.

Quòd ex collatis convivia non celebrentur.

Concil. Laodic. c. 55.

QUÒD non oporteat Sacerdotes, aut Clericos ex collatis, vel commessalibus convivia celebrare. Hoc autem nec laïcis posse congruere.

Digitized by Google

CAPUT LVI.

Quòd ad agapen vocati ciborum partes non accipiant.

QUÒD non oporteat ſacro miniſterio deditos Clericos ad agapen vocatos ciborum partes accipere: propterea quòd hinc eccleſiaſtico ordini fiat injuria. Laodicenſ. c. 27.

CAPUT LVII.

Quòd Clericos orare, & legere, ac manibus laborare inſtanter conveniat.

CLERICUS victum & veſtimentum ſibi artificio vel agriculturâ abſque officii dumtaxat ſui detrimento præparet: [a] & ſi quando à lectione ceſſatur, debet manuum operatio ſubſequi, quia [b] *otioſitas inimica eſt animæ*, & antiquus hoſtis quem à lectione ſive ab oratione vacantem invenerit, facilè ad vitia rapit. Per uſum namque lectione diſcetis qualiter & vos vivatis & alios doceatis. Per uſum orationis & vobis, & his quibus in charitate conjuncti eſtis, prodeſſe valebitis. Per manuum operationem, & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & veſtris neceſſitatibus ſubvenietis, & habebitis quod neceſſitatem patientibus porrigatis. Concil. Carthag. 4. c. 50. 51. 52. 53.

a *Ex cap. 3. capitul. Theodulphi Aurel.*

b *Reg. S. Benedict. cap. 48.*

CAPUT LVIII.

Qui Pſalmi in Eccleſia cantentur vel Libri legantur.

QUÒD non oporteat plebeos pſalmos in Eccleſia cantari, nec libros præter canonem legi, ſed ſola ſacra volumina novi Teſtamenti, vel veteris. Licet etiam legi paſſiones Martyrum, cùm anniverſaria eorum celebrantur. Mart. Brac. Collect. Orient. Can. c. 67. Carth. 3. c. 47.

Digitized by Google

CAPUT LIX.

Vt oratio Dominica quotidie proferatur.

Exc. 10. Conc. Tolet. 4.

ORATIO quæ Dominica dicitur, quam Dominus proprio ore composuit, suósque Discipulos per eam orare docuit, non tantùm diebus Dominicis, sed quotidie in omni operatione frequentanda est. Consideret tamen unusquisque conscientiam suam, quia si ex puro corde omnibus à quibus læsus fuerit non dimiserit, hæc oratio magis ad occasionem, quàm ad veniam illi esse videtur.

CAPUT LX.

Quòd profundiores quæstiones penitus non adstruantur.

Cælestinus 1. ad Episc. Galliæ c. 13.

PROFUNDIORES verò difficilioréque partes incurrentium quæstionum, quas latiùs pertractarunt qui Hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cujus operi ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus, quicquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis nos Scriptura docuerit, ut prorsus non opinemur catholicum, quod apparuit præfixis sententiis esse contrarium.

CAPUT LXI.

Vbi, & qualiter Scholæ habeantur.

Theodulf. c. 20.

PRESBYTERI etiam per villas & vicos scholas habeant, & si quislibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis committere vult, eos suscipere & docere non renuant, sed cum summa eos charitate doceant. *Dan. 12. 3.* *Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firm-*

Digitized by Google

mamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates. Cùm ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes charitatis studio sua voluntate obtulerint.

CAPUT LXII.

Quibus Libertis manumittatur.

QUICUMQUE libertatem à dominis suis ita percipiunt, ut nullum sibimet in eis obsequium patronus retentet; isti si sine crimine sunt, ad Clericatus ordinem liberè suscipiantur; quia directa manumissione absoluti noscuntur. Qui verò retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adhuc à patrono servituti tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad ecclesiasticum Ordinem promovendi, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex Clericis servi. Concil. Toletc. 4. cap. 72.

CAPUT LXIII.

Quales ad ministerium Clerici eligantur.

TALES ad ministerium Clerici eligantur, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare: melius est enim Domini Sacerdoti paucos habere ministros, qui possint dignè exercere opus Dei, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant. Clementi Epist. 2. ascripta.

CAPUT LXIV.

De jejunio Quadragesimali Clericorum.

COGNOSCITE à nobis, & cunctis Episcopis in hac sancta & Apostolica sede congregatis statutum esse, ut septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha omnes Clerici in sortem Domini vocati à carne jejunent. Quia sicut discreta debet esse vita Clericorum à Telesphoro attributa Epist.

Digitized by Google

laicorum conversatione, ita & in jejunio debet fieri discretio. Has ergo septem hebdomadas omnes Clerici à carne & deliciis jejunent, & hymnis, ac vigiliis, atque orationibus Domino inhærere diu noctúque studeant.

CAPUT LXV.

Quòd nulli Sacerdotum liceat canones ignorare.

Cælestin. Episcopis per Calab. constitutis Epist. 3.

NULLI Sacerdotum suos liceat canones ignorare, nec quicquam facere quod possit Patrum regulis obviare: quæ enim à nobis res dignè servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliquorum libitu licentia populis permissa frangatur?

CAPUT LXVI.

Quomodò adversa pro Christo patienter tolerare oporteat.

Anacleti, quæ dicitur, Epist. 2.

NOLITE mirari, Carissimi, qui persecutiones patimini, quasi vobis aliquid novi contingat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis. Hæc pro aliqua cupiditate, vel segnitie, aut metu, hæc quæ vobis facienda, vel dicenda sunt dimittatis. Nec à populi increpatione, si deviaverit, ullo modo cessetis. Nemo autem vestrûm patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine, quia scriptum est: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Cavete, quia propter justitiam dixit. Nam qui pro aliquo crimine patitur, ob hoc non erit beatus.

[1] *Matt. 5. 16.*

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT LXVII.

Quod cum excommunicato non ſit orandum.

SI quis cum excommunicato ſaltem in domo ſimul oraverit, iſte communione privetur. Canon. 11. Apoſt.

CAPUT LXVIII.

Quòd oblationes diſcordantium, vel pauperes opprimentium refutandæ ſint.

OBLATIONES diſcordantium fratrum, neque in ſacrario, neque in gazophilatio recipiantur. Eorum etiam qui pauperes opprimunt donaria à Sacerdotibus refutanda ſunt. Concil. Carthag. 4. cap. 93. & 94.

CAPUT LXIX.

Ut ebrietas vetetur.

ANTE omnia Clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt. Itaque eum quem ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patet, aut trium dierum ſpatio à vino ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali ſubdendum ſupplicio. Quòd ſi hoc in uſum adſumpſerit excommunicatio proteletur: Si verò corrigi non potuerit, à ſacerdotali ordine repellatur. Concil. Agathenſ. c. 41.

CAPUT LXX.

Qualiter ſingulis Feriis agendum ſit.

QUI die Dominico ſtudioſè jejunat, non credatur Catholicus. Et nullum negotium, nullúmque opus ſervile eodem die fiat.*] Quinta feria quiſquis non eſt jejunandus, ut inter jejunium Chriſtianorum & Gentilium, Concil. Carthag. 4. c. 74. *Hucuſque.

Digitized by Google

Malchiad. ut fertur Epist. ad Episc. Hispan. refert. de consec. dist. 14. *Jejunium.*

Catholicorum, atque hæreticorum discretio sit. . . . . Die Dominico Dominus JESUS-CHRISTUS . . . . . resurrexit à mortuis, sive quia eo die gratia Spiritus sancti post ascensionem ad cælos, inflammavit discipulos, eis mittens tradidit carismatum dona. Quintâ feriâ autem cum eisdem discipulis ultimæ cœnæ mysteria celebravit. Nec multò pòst eodem die revolvente illis videntibus ad cœlos ascendit; ipso etiam die chrisma conficitur; eodem quoque die pœnitentes reconciliantur. Quartâ verò, sextâ & septimâ feriâ præ cæteris jejunandum est, quia quartâ feriâ Judas de proditione Salvatoris cum Judæis statuit, sextâ autem Christus crucifixus est; sabbato quidem inter metum & spem Apostoli tristem duxêre diem, dubii aliquantulum de Resurrectionis gloria permanentes. Qui ergo istis tribus diebus in crapula, vel epulis absque magna interveniente festivitate, vel necessitate fuerit, videtur aut cum tradente tradere, vel cum crucifigentibus crucifigere, aut Apostolorum injurias deridere. Nam qui vult de Domini cum ipsis Resurrectione gaudere, tristari quodammodò cum ipsis debet de Passione.

Innocent. 1. Epist. 1, c. 4.

CAPUT LXXI.

Quòd die Dominico stantes oremus.

Nicænum Concil. 1. c. 20.

QUONIAM sunt quidam in die dominico ad orationem genuflectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio stantes in his diebus Domino vota persolvere.

CAPUT LXXII.

Ut Sacerdotes admoneant populum qualiter festis diebus se habeant.

SACERDOTES admoneant populum ut in diebus festis non vacent conviviis malis, & jocis turpibus, sed orationibus.

Digitized by Google

CAPUT LXXIII.

Quibus festis populus communicet.

SÆCULARES verò qui Natalem Domini, Pascha, & Pentecostem non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur. Conc. Agath. c. 18.

CAPUT LXXIV.

Si sacrificium per negligentiam ceciderit.

SI cui sacrificium per negligentiam ceciderit, aut lingua lambat, ut nihil inde remaneat, aut diebus quadraginta jejunet. Si autem per negligentiam alterius hoc factum fuerit, pœniteat ipse cujus est negligentia. Locus autem in quo ceciderit aut igne succendatur, aut penitus extergatur, & quod extersum fuerit, comburatur. *Ex Decreto quod Pij Papæ nomine circumfertur, refertur que de Consec. dist. 2 c. Si per negligentiam, verbis nonnullis immutatis.*

CAPUT LXXV.

Si vomitus infra tres dies post communionem negligenter evenerit.

SI quis post accepta sacrosancta Mysteria infra tres dies * vomitum per negligentiam fecerit. .... & quidquid rejectum fuerit comburatur. * *f.* Horas

CAPUT LXXVI.

Vt Energumeni non communicent, & balnea in sacratis a quis non faciant.

NULLI liceat porrigere Corpus, vel Sanguinem Domini nostri JESU-CHRISTI Energumenis donec in eadem passione sunt, nisi fortè discrimen mortis incur-

Digitized by Google

rerit; nam cùm criminosis talia sacramenta vetentur, quantò magis illis quos ipse auctor criminis invadit? Si autem divinâ misericordiâ liberati fuerint, longo tempore in abstinentia & oratione permaneant secundùm arbitrium Sacerdotum, & sic demum communicent inter cæteros Christianos. Quod si baptizati vel consignati non fuerint, licet eos omni tempore baptizare, vel consignare. In aqua verò sanctificata nullus balneum facere audeat pro aliqua infirmitate vel necessitate, quæ spargi tantummodò concessa est. Hujuscemodi enim lavacra nec in sacris invenimus, nec à Patribus acta audivimus, nec nobis utilia videntur.

CAPUT LXXVII.

Qualiter mysteria baptismatis vel Chrismatis custodienda sint.

QUI sacri baptismatis mysterium, vel donum Spiritus sancti in Chrismate susceperint, ante nonum diem cum mulieribus nullo modo coëant: similiter hujuscemodi mulieres omni modo à viris se abstineant, nec ullo turpi ludo, vel negotio ullo modo misceant; à carnium usura diu abstineant, donec Episcopus loci pro qualitate personæ, vel temporis præviderit. Nec de sacro fonte aliquem levare, aut ad consignandum ante Episcopum tenere aliquis audeat. Nec Clericus ullum sacrum ordinem assumere præsumet, nisi priùs hæc eadem prædicta Sacramenta in se celebraverit. Si quis autem in aliquo supradictorum prævaricator extiterit, judicio Episcopi pœniteat.

CAPUT LXXVIII.

Ut spectacula ludorum diebus festis non celebrentur.

Concil. African. 61. NECNON & illud petendum, ut spectacula theatrorum, cæterorumque ludorum die Dominica, vel cæteris Religionis Christianæ diebus celeberrimis amo-

Digitized by Google

veantur. Maximè qui ſancti Paſchæ octavarum die populi ad circum, magis quàm ad Eccleſiam conveniunt, deberent tranferri præfiniti ipſorum dies quando evenerint, nec debet ullus Chriſtianus cogi ad hæc ſpectacula.

CAPUT LXXIX.

Vt nullus Kalendas Ianuarii colere, aut choros ducere præſumat.

VT nullus Kalendas Januarij & brumas ritu Paganorum colere præſumat: ſi quis Kalendas Januarii & brumas colere præſumpſerit, aut menſas cum lampadibus in domibus præparare, aut per vicos & plateas cantiones & choros ducere præſumpſerit, quod magna iniquitas eſt, coram Deo anathema ſit. Zachar. in Concil. Rom. c. 9. referturque 27. quæſt. 7. c. *Si quis.*

CAPUT LXXX.

Vt quòd ad Eccleſiam conveniendum ſit.

NON debetis ad Eccleſiam ob aliam cauſam convenire, niſi ad laudandum Deum, & ejus ſervitium faciendum: diſceptationes verò & tumultus, & vaniloquia & cæteras actiones, ab eodem loco ſancto penitus prohibendæ ſunt. Ubi enim Dei nomen invocatur, Deo ſacrificium offertur, Angelorum frequentia ineſſe non dubitatur periculoſum eſt tale aliquid dicere, vel agere quod loco non convenit: ſi enim Dominus illos de templo ejecit qui victimas quæ ſibi offerrentur, emebant vel vendebant, quantò magis illos iratus inde abjiciet, qui mendaciis, vaniloquiis, riſibus & hujuſcemodi nugis locum divino cultui mancipatum fœdant? Theodulf. c. 10.

Digitized by Google

CAPUT LXXXI.

De doctrina virorum & mulierum.

Concil. Carthag. 4. c. 98. * Ibid. c. 99.

LAïcus præsentibus Clericis nisi ipsis probantibus docere non audeat. * Et mulier quamvis docta & sancta viros in conventu docere non audeat vel præsumat.

CAPUT LXXXII.

Item de indumentis eorum.

Concil. Gang. cap. 12.

SI quis virorum propter continentiam, quæ putatur, amictu pallii utitur, quasi per hoc habere se justitiam credens, & despicit eos qui cum reverentia birris, & aliis communibus solitis utuntur vestibus, anathema sit. * Similiter & mulier quæ propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, & pro solito muliebri amictu virilem sumit, anathema sit.

* Ibid. c. 13.

CAPUT LXXXIII.

Vt natalitia seu nuptiæ in Quadragesimâ non fiant.

Concil. Bracar. c. 48.

QUòD non oporteat in Quadragesima Martyrum natalitia celebrare, sed eorum in sabbato, & Dominico die tantùm memoria fieri. Nuptiæ verò aut natalitia iisdem diebus nullo modo celebrentur.

CAPUT LXXXIV.

De jejunio Quadragesimali.

Conc. Agat. cap. 12.

PLACUIT etiam ut omnes Ecclesiæ exceptis diebus Dominicis in Quadragesima etiam die sabbati sacerdotali ordinatione, & discretione * communionis debeant jejunare.

* *al.* distributionis commutatione.

Digitized by Google

CAPUT LXXXV.

Item de obſervatione ejuſdem.

QUòD non oporteat in Quadrageſima in ultima ſeptimana quintæ feriæ jejunium ſolvere, totamque Quadrageſimam ſine veneratione tranſire, magiſque conveniet omnem Quadrageſimam diſtricto venerari jejunio. Concil. Laod. cap. 50.

CAPUT LXXXVI.

Item unde ſupra.

QUIDAM in die ejuſdem dominicæ paſſionis ad horam nonam jejunium ſolvunt, conviviis abſtinent. Et dum ſol ipſe eodem die tenebris palliatus lumen ſubduxerit, ipſaque elementa turbata mœſtitiam totius mundi oſtenderint, illi jejunium tanti diei polluunt, epuliſque inſerviunt. Et quia totum eundem diem univerſalis Eccleſia propter paſſionem Domini in mœrore, & abſtinentia peragit, quicumque in eo jejunium, præter parvulos, ſenes & languidos, ante peractas indulgentiæ preces reſolverit, à paſchali gaudio depellatur, nec in eo ſacramentum corporis, & ſanguinis Domini percipiat, qui diem paſſionis ipſius per abſtinentiam non honorat. Tolet. 4. c. 43

CAPUT LXXXVII.

De jejunio Quatuor-temporum.

IEJUNIUM quod ter in anno apud nos celebrare didiciſtis, convenientiùs nunc per quatuor tempora fieri dicimus; ut ſicut annus per quatuor volvitur tempora, ſic & nos quaternum agamus ſolemne jejunium per quatuor tempora, juxta Prophetæ Zachariæ vocem, qui ait: *Hæc dicit Dominus exercituum: jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit domui* Calixti Papæ quæ dicitur, Epiſt. 1. Zachar. 8. 19.

Digitized by Google

Judæ in gaudium & lætitiam, & solemnitates præclaras: veritatem tamen & pacem diligite, dicit Dominus exercituum. In hoc ergo omnes nos unanimes oportet esse, ut secundum Apostolicam doctrinam, *Idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata.*

CAPUT LXXXVIII.

Jejunium Ecclesiasticum non dissolvendum.

Gang. Concil. c. 19.

SI quis eorum qui continentiæ studeut absque necessitate corporea tradita in commune jejunia, & ab Ecclesia custodita superbiendo dissovlit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

CAPUT LXXXIX.

Vt pœnitentibus infirmis oleum sanctificatum non infundatur.

Innoc. 1. Epist. ad Decentium c. 8.

POENITENTIBUS istud infundi non potest, quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodò unum genus putatur posse concedi.

CAPUT XC.

Qualiter Presbyteri erga pœnitentes agant.

Vide Præfationem nostram.

NON debet Presbyter injungere pœnitentiæ leges sine aliquo respectu personæ, aut causæ: sed tempore pœnitentiæ aut reconciliationis Episcopi arbitrio concedat. Et ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi Episcopo permittente, sed potiùs Presbyteri qui in plebibus ordinantur providentiam magnam habeant, ne eorum parochiani in criminalia incidant delicta. Quòd si evenerit, tam ab ipsis, quàm ab omnibus vicinis diligenter qualiter acta sunt inquirant & scriptis

Digitized by Google

& ſcriptis notare non differant, eoſque admonere frequenter. . . . . .

. . . . . .

fuerit, veniat, idémque quòd ſcripſerat ſecum adferat. Quòd ſi iiſdem pœnitentes venire diſtulerint, ipſe in capite jejunij ad primam ejuſdem Epiſcopi ſedem eſſe nullo modo cum eodem diſſimulet ſcripto, ſuoque ſuggerat Epiſcopo, ut quod ei exinde agendum ſit, conſideret. Si autem etiam pœnitentes adfuerint, leges, quæ illis pœnitentiæ imponuntur, rurſus deſcribat, curámque & ſollicitudinem erga eos maximam gerat, ut eorum converſationem pleniſſimè cognoſcere poſſit. Quòd ſi obnixè aliquem pœnitentiæ viderit incumbere, ut debilitate incurrente periculum ſperet, aut ſi infirmitas quemquam oppreſſerit, ad ſuum Preſbyter recurrat Epiſcopum, ut illi per ipſum remedia concedantur. Quòd ſi defuerit, Cardinalibus primæ ſedis interim ſuggeratur. Ad diem namque reconciliationis, id eſt Cœnæ Domini ipſe quoque cum ipſis pariter adeſſe feſtinet, ut rurſus quæ illis juſſa fuerint, cognoſcere & deſcribere poſſit.

CAPUT XCI.

Vt pœnitentes quotidie genua flectant.

PŒNITENTES etiam diebus remiſſionis genua flectant. Concil. Carthag. c. 82.

CAPUT XCII.

Vt mortuos pœnitentes ſepeliant.

MORTUOS pœnitentes offerant Eccleſiæ & ſepeliant. Ibid. cap. 81.

Digitized by Google

CAPUT XCIII.

Pœnitentes negotiis sæcularibus se abstineant.

Leo M. Epist. 91. c. 9. QUALITAS lucri negotiantem aut excusat, aut arguit, quia est honestus quæstus, & turpis: verumtamen pœnitenti utilius est dispendia pati quàm periculis negotiationis obstringi; quia difficile est inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.

Huc usque. [Unde monemus ne pœnitens aliquo negotio, seu venatione se obstringat, sed sub custodia Sacerdotis, qui loco præfuerit, orationi, atque jejuniis vacet. Victum autem suum si egenus est, tali artificio quærat, cui nulla inhæreat macula peccati, quatenus ita testimonio Sacerdotis fultus ad Pontificis sui securiùs recurrat sententiam] [Sed

Ejusdé Epist. cap. 10. neque post pœnitentiæ actionem pergat ad militiam sæcularem: Cùm Apostolus dicat: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Quapropter non est liber à laqueis diaboli qui se militiæ mundanæ voluerit implicare.] Ergo illicitorum veniam postulantem oportet etiam

2. *Tim.* 4. Ejusdem Leonis c. 8. à multis licitis abstinere, dicente Apostolo: *Omnia licent, sed non omnia expediunt*: unde si pœnitens habet causam, quam negligere fortè non debeat, meliùs expetit Ecclesiasticum quàm forense judicium.

1. *Cor.* 6. 12.

CAPUT XCIV.

Qualiter sponsus & sponsa à Sacerdote benedicantur.

Carth. 4. c. 13. SPONSUS & sponsa quum benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis, vel paranymphis offerantur: Qui cùm benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant.

Digitized by Google

CAPUT XCV.

Quæ nuptiæ vitandæ ſint.

VT nullus præſumat Deo dicatam fœminam, aut commatrem ſuam, vel novercam, ſeu matrem, aut ſororem, aut filiam ſpiritualem, vel de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, ſibi in conjugio copulare. Et virginem aut viduam nullus rapere præſumat, aut furari in uxorem, niſi deſponſatam habuerit à propriis parentibus, vel à tutoribus ejus, etiamſi ipſa voluerit. Si quis verò, vel ſi qua in aliquo prædictorum nefario conjugio convenerit, & in eo permanſerit, ſciat ſe auctoritate canonica anathematis vinculo eſſe innodatum. Conſentientes verò atque conſiliantes etiam anathematis vinculo implicentur. Si autem ij, qui conjuncti ſunt, ad . . . . . declinaverint, & ab alterutro fuerint diviſi, pœnitentiæ ſubmittantur, ut Epiſcopus loci præviderit Similiter illi qui in hoc conſiliati fuerint, vel aliquam habuerint portionem. Quicumque verò Sacerdotum vel Clericorum in talibus aſſenſum præbuerit, aut communicaverit eorum conſortio, condemnatus ſacerdotij, vel miniſterij ſui honore privetur. Conc. Rom. 1. ſub Greg. 2. Rom. ſub Eug. 2. & Leone 3.

CAPUT XCVI.

Qualiter unuſquiſque docendus ſit.

CUM ergo omnium ſanctarum Scripturarum paginæ inſtrumentis bonorum operum refertæ ſint, & per ſanctarum Scripturarum campos poſſint inveniri arma quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur, licuit nobis huic noſtro Capitulari inſerere ſententiam cujuſdam Patris * de inſtrumentis bonorum operum, in qua magna brevitate quid agi quidve vitari debeat continetur. [In primis Dominum Deum diligere ex toto corde, Theodulf. c. 21. * S. Bened. Reg. cap. 4.

Digitized by Google

totâ animâ, tota virtute, deinde proximum tanquam seipsum. Deinde non occidere: non adulterare: non facere furtum: non concupiscere: non falsum testimonium dicere: honorare omnes homines; & quod sibi quis fieri non vult, alteri non faciat. Abnegare semetipsum sibi, ut Christum sequatur, corpus castigare: delicias non amplecti. Jejunium amare; & pauperes recreare: nudum vestire; infirmum visitare, mortuum sepelire. Dolentem consolari. A sæculi actibus se facere alienum; nihil amori Christi præponere. Iram non perficere, iracundiæ tempus non reservare. Dolum in corde non tenere. Pacem falsam non dare, caritatem non derelinquere. Non jurare, ne fortè perjuret. Veritatem ex corde & ore proferre: malum pro malo non reddere, injuriam non facere, sed & factam patienter sufferre: inimicos diligere, maledicentes non maledicere, sed magis benedicere: persecutionem pro justitia sustinere. Non esse superbum, non vinolentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmurosum, non detractorem. Spem suam Deo committere; bonum aliquid in se cùm viderit, Deo applicet, non sibi; malum verò semper à se factum sciat, & sibi reputet. Diem judicij timere: gehennam expavescere, vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare; mortem ante oculos quotidie suspectam habere: actus vitæ suæ omni hora custodire. In omni loco Deum prospicere. Cogitationes malas cordis sui advenientes mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere. Os suum à malo vel à pravo eloquio custodire. In omni loco Deum prospicere. Multùm loqui non amare; verba vana aut risui apta non loqui: Risum multum aut excussum non amare; Lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere. Mala sua præterita cum lacrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri, & de ipsis malis emendare: desideria carnis non perficere: voluntatem propriam odire: præceptis Sacerdotis & præceptoris in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter, quod absit, agat; memores illius Dominici præcepti,

* Mat. 23. * *Quæ dicunt facite; quæ autem faciunt facere nolite.* Non

Digitized by Google

velle dici ſanctum antequam ſit, ſed priùs eſſe, quod veriùs dicatur: præcepta Dei factis quotidie ſtudeat adimplere; caſtitatem amare; nullum odire, zelum & invidiam non habere; contentionem non amare: elationem fugere; ſeniores venerari, juniores diligere: in Chriſti amore pro inimicis orare; cum diſcordantibus ante Solis occaſum in pacem redire, & de Dei miſericordia numquam deſperare.

Ecce hæc ſunt inſtrumenta artis ſpiritalis, quæ cùm fuerint à nobis diu noctuque inceſſabiliter adimpleta, & in die judicij reconſignata, illa retribuentur nobis à Domino recompenſabiliter, quæ ipſe promiſit: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus his qui diligunt eum.* 1. Cor. c. 2.

CAPUT XCVII.

Vt orationem Dominicam & Symbolum memoriter tenant.

COMMONENDI ſunt omnes fideles, ut generaliter à minimo uſque ad maximum orationem Dominicam, & Symbolum * memoriter teneant, & dicendum eis quòd in his duabus ſententiis omne fidei Chriſtianæ fundamentum incumbit, & niſi qui has duas ſententias memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpiſſimè frequentaverit, Catholicus eſſe non poterit. Conſtitutum namque eſt, ut nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque à lavacro fontis alium ſuſcipiat, neque coram Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat, niſi ſymbolum & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minimè perduxit. Theodulf. c. 22. al. * Symbolũ diſcant.

CAPUT XCVIII.

Vt hos canones nullus refutare præſumat.

CUMQUE nobis contra ſalutariũ reverentiam regularũ cupiamus temerè nihil licere, & cùm ſedes Apoſtolica Gelaſius 1. Epiſt. 9.

Digitized by Google

superior his omnibus, favente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa pio, devotóque studeat tenere propositio, satis indignum est quemquam vel Pontificum, vel ordinem subsequentium hanc observantiam refutare, quam Beati Petri sedem & sequi videat, & docere. Satisque conveniens sit ut totum corpus Ecclesiæ in hanc sibimet observationem concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum.

Ex Iulij 1. Epist. 1. c. 4. ea Gelasius mutuatus est.

CAPUT XCIX.

Vt quæ statuta sunt nullo modo immutentur.

HÆc verò statuta nullâ debent improbitate convelli, nullâ novitate mutari, quia alia ratio est sæcularium, alia divinorum.

CAPUT C.

Quòd scire etiam nos oporteat quæ in sacris scripturis recipienda sint, quæve refutanda.

Gelasius 1. in Conc. Rom. 1. QUAMVIS *aliud firmamentum nemo possit ponere, præter id quod positum est*, CHRISTUS JESUS, tamen ad ædificationem sanctæ Ecclesiæ post illas veteris, & novi Testamenti, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas, id est sanctam Synodum Nicænam trecentorum decem & octo Patrum, mediante maximo Constantino Augusto: sanctam Synodum Ephesinam in qua Nestorius damnatus est, consensu beatissimi Cælestini Papæ, mediante Cyrillo sanctæ sedis Alexandrinæ Antistite, & Arcadio ab Italia destinato: sanctam Synodum Calchedonensem mediante Martiano Augusto; & Anatolio Constantinopolitano Episcopo, in qua Nestoriana & Eutichiana hæreses simul cum Dioscoro ejusque complicibus damnatæ sunt. Item Opuscula

Digitized by Google

Beati Cæcilij Cypriani Martyris Carthaginenſis Epiſcopi: Opuſcula Beati Gregorij Nazianzeni Epiſcopi: Opuſcula Beati Baſilij Cappadociæ Epiſcopi: Opuſcula Beati Athanaſij Alexandrini Epiſcopi: Opuſcula Beati Iohannis Conſtantinopolitani Epiſcopi: Opuſcula Beati Theophili Alexandrini Epiſcopi: Opuſcula Beati Proterij Alexandrini Epiſcopi: Opuſcula Beati Hilarij Pictavienſis Epiſcopi: Opuſcula Beati Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi: Opuſcula Beati Auguſtini Hypponenſis Epiſcopi: Opuſcula Beati Hieronymi Preſbyteri: Opuſcula Beati Proſperi viri religioſi: Epiſtola Beati Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum deſtinata, cujus textum quiſpiam ſi uſque ad unum ïota diſputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit. Item, Opuſcula atque Tractatus omnes diverſorum Patrum Orthodoxorum qui in nullo à ſanctæ Eccleſiæ conſortio deviarunt, nec ab ejus fideli prædicatione disjuncti ſunt, ſed ipſius communicationis per gratiam Dei uſque in ultimum diem vitæ ſuæ fuerunt participes legenda decernimus. Item, Decretales Epiſtolas quas Beatiſſimi Papæ diverſis temporibus ab urbe Romana, pro diverſorum Patrum conſultatione dederunt, venerabiliter ſuſcipiendas.

Item, geſta ſanctorum Martyrum, quæ multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant. Quis ita eſſe Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus perpeſſos, nec ſuis viribus, ſed Dei gratiâ & adjutorio univerſa toleraſſe? Sed ideo ſecundùm antiquam conſuetudinem ſingulari cautela in ſancta Roma Eccleſia non leguntur, quia & eorum qui conſcripſerunt nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus vel idiotis ſuperflua, aut minus apta, quàm ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur; ſicut cujuſdam Cyrici & Julittæ, ſicut Georgij aliorúmque ejuſmodi paſſiones, quæ ab Hæreticis perhibentur compoſita. Propter quod, ut dictum eſt, ne vel levior ſubſannandi oriatur occaſio non leguntur in ſancta Eccleſia. Nos tamen cum prædicta Eccleſia omnes Martyres, & eorum glorioſos agones, qui

Digitized by Google

Deo magis, quàm hominibus noti ſunt, omni devotione veneramur.

Item, vitas Patrum Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium Heremitarum, quas tamen vir Beatiſſimus Hieronymus conſcripſit, cum omni honore ſuſcipimus. Item, actus Beati Sylveſtri Epiſcopi Apoſtolicæ ſedis, licet ejus, qui conſcripſit nomen ignoretur, à multis tamen in urbe Roma Catholicis legi cognovimus, & pro antiquo uſu multæ hoc imitantur Eccleſiæ. Item, ſcripta de inventione ſanctæ Crucis, & alia de capite Johannis Baptiſtæ; novellæ quædam relationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt; ſed cùm hæc ad Catholicorum manus pervenerint Beati Pauli procedat ſententia: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.* Item, Rufinus vir religioſus plurimos Eccleſiaſtici operis edidit libros, nonnullas etiam ſcripturas interpretatus eſt. Sed quoniam Beatus Hieronymus cum in aliquibus de arbitrij libertate notavit, illa ſentimus quæ prædictum Beatum Hieronymum ſentire cognovimus. Et non ſolùm de Rufino, ſed etiam de univerſis, quos vir ſæpiùs memorat, zelo Dei, ac fidei religione reprehendit. Item, Origenis nonnulla Opuſcula, quæ vir Beatiſſimus Hieronymus non repudiat, legenda ſuſcipimus. Reliqua autem omnia cum ſuo auctore renuenda.

Item, Chronica Euſebij Cæſarienſis, atque ejuſdem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libros, quamvis in primo narrationis ſuæ libro tepuerit, & poſteà in laudibus, atque excuſatione Origenis Schiſmatici unum conſcripſit librum: propter tamen ſingularem notitiam, quæ ad inſtructionem pertinent, uſquequaque non dicimus renuendos. Oroſium virum eruditiſſimum collaudamus, quia valde nobis neceſſariam adverſus Paganorum calumnias ordinavit hiſtoriam, mirâque brevitate contexuit. Venerabilis viri Sedulij paſchale opus quod heroïcis deſcripſit verſibus inſigni laude proferimus. Juvenci nihilominus laborioſum opus non ſpernimus, ſed miramur.

Cætera quæ ab Hæreticis, ſive Schiſmaticis conſcripta vel prædicata ſunt, nullatenus recipit Catholica & Apoſtolica

Digitized by Google

ſtolica Eccleſia: E quibus pauca quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda. In primis Ariminenſem Synodum à Conſtantio Cæſare Conſtantini Auguſti filio congregatam mediante Tauro Præfecto, ex tunc & nunc in æternum confitemur eſſe damnatam. Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur ſancti Clementis, libri numero octo, apocryphum eſſe ſcimus. Actus nomine Andreæ Apoſtoli apocryphi. Actus nomine Thomæ Apoſtoli libri numero decem apocryphi. Actus nomine Petri Apoſtoli apocryphi. Actus nomine Philippi Apoſtoli apocryph. Thaddæi apocryph. Evangelium nomine Matthæi Apoſtoli apocryph. Evangelium nomine Barnabæ apocryph. Evangelium nomine Jacobi Minoris apocryph. Evangelium nomine Petri Apoſtoli apocryph. Evangelium nomine Bartholomæi Apoſtoli apocryph. Evangelium nomine Andreæ Apoſtoli apocryph. Evangelium nomine Thomæ, quibus Manichæi utuntur, apocryph. Evangelia quæ falſavit Lucianus apocryph. Liber de infantia Salvatoris apocryph. Liber de Nativitate Salvatoris, & de MARIA, & obſtetrice, apocryphus. Liber qui appellatur Paſtoris apocryphus. Libri omnes quos fecit Seleucius diſcipulus Diaboli apocryphi. Liber qui appellatur fundamentum apocryphus. Liber qui appellatur Theſaurus apocryphus. Liber de filiabus Adæ geneſeos apocryphus. Centimentrum de Chriſto Virgilianis compaginatum verſibus apocryphum. Liber qui appellatur Teclæ & Pauli apocryphus. Liber qui appellatur Nepotis apocryphus. Liber Proverbiorum qui ab Hæreticis conſcriptum, & ſancti Xiſti nomine prænotatus eſt, apocryphus. Revelatio quæ appellatur Pauli Apoſtoli apocrypha. Revelatio quæ appellatur Thomæ Apoſtoli apocrypha. Revelatio quæ appellatur Stephani apocrypha. Revelatio quæ appellatur Tranſitus, id eſt, Aſſumptio Sanctę MARIÆ apocrypha. Liber qui appellatur Pœnitentia Adæ apocryphus. Liber de Ogiæ nomine Gigantis, qui ab hæreticis cum Dracone poſt diluvium pugnaſſe perhibetur, apocryphus. Liber qui appellatur teſtamentum Job, apo-

Digitized by Google

cryphus. Liber qui appellatur Pœnitentia Origenis, apocryphus. Liber qui appellatur Pœnitentia sancti Cypriani, apocryphus. Liber qui appellatur Pœnitentia Jamnis & Mambræ, apocryphus. Liber qui appellatur Sortes Apostolorum, apocryphus. Liber qui appellatur Laus Apostolorum, apocryphus. Liber qui appellatur Canones Apostolorum, apocryphus. Liber Physiologus, qui ab Hæreticis conscriptus, & Beati Ambrosij nomine signatus, apocryphus. Historia Eusebij Pamphili apocrypha. Opuscula Tertulliani apocrypha. Opuscula Lactantij apocrypha. Opuscula Africani apocrypha. Opuscula Postumaini & Galli, apocrypha. Opuscula Montani & Priscillæ, & Maximillæ, apocrypha. Opuscula omnia Fausti Manichæi apocrypha. Opuscula Commodiani, apocrypha. Opuscula alterius Clementis Alexandrini, apocrypha. Opuscula Tatij Cypriani apocrypha. Opuscula Arnobij apocrypha. Opuscula Tyconij, apocrypha. Opuscula Cassiani Presbyteri Galliarum, apocrypha. Opuscula Victorini Pictaviensis, apocrypha. Opuscula Fausti Regiensis Galliarum, apocrypha. Opuscula frumenti cæci, apocrypha. Epistola Jesu ad Abagarum, apocrypha. Epistola Abagari, ad Jesum, apocrypha. Passio Quirici & Julitæ, apocrypha. Passio Georgij apocrypha. Scriptura quæ appellatur contradictio Salomonis, apocrypha. Phylacteria omnia, quæ non Angelorum, ut illi confingunt, sed Dæmonum magis arte conscripta sunt, apocryph. Hæc & his similia quæ Simon Magus, Nicolaus, Cerinthus, Marcion, Basilides, Ebion Paulus etiam Samosatanus, Photinus & Bonosus, qui & simili errore defecerunt, Montanus quoque cum suis obscœnissimis sequacibus, Apollinaris, Valentinus, sive Manichæus, Faustus Africanus, Arrius, Sabellius, Macedonius, Eunomius, Novatus, Sabbatius, Cœlestius, Donatus, Eustathius, Jovinianus, Pelagius, Julianus Celanensis, Celestinus, Maximinus Priscilianus ab Hispania, Nestorius Constantinopolitanus, Maximus, Cynicus, Lampetius, Dioscorus, Eutyches, Petrus, & alius Petrus, è quibus unus Alexandriam, alius Antiochiam

Digitized by Google

maculavit: Acacuis Conſtantinopolitanus cum conſortibus ſuis: nec non & omnes Hæretici eorumque diſcipuli, ſive Schiſmatici docuerunt, vel conſcripſerunt quorum nomina minimè retinentur, non ſolùm repudiata, ſed etiam ab omni ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia eliminata, atque cum ſuis Auctoribus, Auctorumque ſequacibus ſub anathematis inſolubili vinculo in æternum confitemur eſſe damnata.

Digitized by Google

LIBELLVS DE PRESSURIS ECCLESIASTICIS.

PARS PRIMA.

De judiciis Episcoporum.

EVANGELICA nobis narrat Historia, quòd cùm Dominus discipulos suos docturus relictâ turbâ montem ascendisset, ibique postquam eos de omnibus præceptis, quibus Christiana religio informari convenit, perfectissimè instruxisset, in fine ipsius sermonis
Matt. 7. 24. dixerit: *Omnis qui audit verba mea hæc & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. Descendit pluvia & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat supra petram.* Vir enim ille sapiens, ipse procul
1. Cor. 1. 24. dubio est de quo & Beatus Paulus ait Apostolus: *Christus Dei virtus, & Dei sapientia*; qui bene domum suam, id
Luc. 19. 46. est Ecclesiam sanctam, de qua ipse alibi ait: *Domus mea domus orationis vocabitur*, super petram edificavit, scili-
1. Cor. 10. 1. cet supra semetipsum, sicut & idem dicit Apostolus; *Pe-*
Ibid. 3. 11. *tra autem erat Christus.* Et alibi: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud quod positum est, quod est Christus* JESUS. Hujus domus pressuras idem Dominus prænuntians, mox adjecit: *Descendit pluvia, & venerunt flumina,*
Matt. 7. 25. *& flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram.* Cujus ventura mala ideò ipse prædicere dignatus est, ut quando acciderent, tantò leviùs ea sancta Ecclesia ferret, quantò ampliùs ea

Digitized by Google

præcognita haberet. Armavit quippe eam clypeo patientiæ; quoniam leviùs poſſunt ferri mala præſcita quàm ea quæ ſubitò, & improviſa eveniunt; unde & Dominus alibi: *Hæc locutus ſum vobis, ut cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Hæc itaque domus non ex parietibus manufactis, ſed ex vivis & electis lapidibus, id eſt, Sanctorum cœtibus elegantiſſimè conſtat. Ejus verò ſtructuræ ſunt quique fideles variis... virtutibus coruſcantur: ſtructores autem ipſi Doctores . . . . . Ioan. 16. 4.

. . . . . .

quorum per fidem & operationem . . . . . .

cujus inſtitutionis exordium in Beatiſſimi Petri fideli confeſſione credimus fundatum, cùm ait ad Dominum: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Pro qua etiam remuneratione audire inter cetera meruit: *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam:* Ædificata eſt ergo ſancta Eccleſia ſupra petram in ſoliditate Apoſtolicæ fidei, per fidem & dilectionem Chriſti, & perceptionem ſacramentorum, & obſervantiam mandatorum ejus. Felix quidem domus, quæ pluviis irruentibus non læditur, fluminibus inundantibus non eruitur, ventis impellentibus non dejicitur. Adverſus quam nec portæ inferi prævalent, quamvis vario luctamine jugiter eam laceſſent, quæ nec occultis tentationibus, nec apertis perſecutionibus, nec ipſorum etiam malignorum ſpirituum infeſtationibus, nec vitiorum, aut criminum ponderibus ullo modo cedit. Matt. 16. 17. 18.

Deponant ergo ſanctam Eccleſiam perſequentes contumaciam, ſumant fideles in perſecutione conſtantiam. Audiant illi, quia non prævalebunt: præparent ſe iſti, quia revera perſequentur*, & perſeverantes in fine feliciter coronabuntur. Nullo ergo in tempore ſanctæ Eccleſiæ deficiet fundamentum, quotidie, Deo gratias, accipit incrementum. Nec deerunt ei perſecutores fidelium, videlicet ſæviſſimi laceratores, qui eos poſt multas tribulationes ad æternam pervenire faciant feliciſſimam remu- * *Paſſivè ſumit Auctor hoc verbum.*

Digitized by Google

nerationem. Hujusmodi etiam verba Dominus explana-
Matt. 10. 16. re videtur, cùm ait Apostolus: *Ecce mitto vos sicut oves in medio luporum: Estote ergo prudentes sicut serpentes & simplices sicut columbæ &c.* Usque ad illud: *Qui autem perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* Ii procul dubio erant domus illa, Ecclesia quidem, quæ variis fluctuationibus concussa, supra petram tamen ædificata, non est repulsa, sed in fidei perdurat constantia. Hoc quoque ipsi sancti Apostoli, ceterique sanctarum Ecclesiarum Doctores Dominicum intendentes præceptum, & se ad passionum tolerantiam præparabant, & alios constantissimè invitabant. Ipsos etiam persecutores modestè arguebant, insipientes docebant, & duritiam cordis eorum vehementer exprobrabant: Unde & quosdam ipsorum aliquando à perversitatibus mirabiliter corrigebant, quosdam verò adversum se potiùs irritabant. Quod & hodie agitur in sancta Ecclesia, ut dum malorum à Rectoribus corripiuntur mores, ipsi quoque suos persequantur Doctores, & ut ecclesiasticam valeant effugere disciplinam

. . . . . .

considerantes, ideo inviolabile Pastorum sanxerunt privilegium per manus . . . . . eos ullo modo auderent despicere, vel ipsorum præcepta contemnere. Quomodò enim Præsules ceterorum possunt culpas arguere, si illi eos audent infestare? & ideo illos non leviter accusandos, vel calumniandos, sanctorum statuta Patrum pleniter interdicunt, nec aliquem ad eorum accusationem sancti canones admittunt, nisi qui vita & moribus fideli examinatione dignis Sacerdotibus coæquandus inveniatur. Sed nec ideò ipsos impunè transire sanxerunt, si crimina quæ Sacerdotibus objicere non metuunt, approbare non possunt. Eandem accusatoribus reprobatis imponentes jacturam, quam convicti pati debuerant accusati, nullámque accusationem contra se prolatam suscipere, vel defendere debere, nisi data ad invicem cautione; neque judicari nisi scriptis, prudentissimè statuerunt. Ipsámque cautionem, si vi, aut metu, vel dolo exorta fuerit, nullum dicunt robur habere.

Digitized by Google

Judicandi quoque pariter, & accuſandi in uno eodemque negotio cujuſcumque auctoritatis perſona ſit, omnimodis excluſerunt licentiam: locum etiam & tempus in quo hæc debeant ventilari, inſuper & perſonam ad cujus pertineant audientiam, ſagaciſſimè indixerunt. Nec Judicum valere ſententiam aſſerunt, niſi illorum qui ab ipſis electi fuerint accuſatis. Induciam quoque ſuum pertractandi reſponſum propter innocentium ſimplicitatem, & improborum argumentoſa machinamenta non modicam conceſſerunt. Damnari etiam eos abſque ſanctæ Romanæ Sedis auctoritate interdixerunt omninò; quamvis audire, vel diſcutere Metropolitanis unà cum conſenſu omnium comprovincialium Epiſcoporum ſit licentia attributa.

Sed ne aliquid enormiter loqui videamur, ſanctorum Patrum inſtitutionibus ea quæ jam diximus interim affirmemus. Sanctiſſimus quippe Martyr ALEXANDER, ac Romanus Papa ait: [Si quis erga Epiſcopum vel actores Eccleſiæ quamlibet querelam juſtam ſe habere crediderit, non priùs Primates aut alios adeat Judices, quàm ipſos à quibus ſe læſum exiſtimat, conveniat familiariter, & non tantùm ſemel ſed ſæpiſſimè, ut ab eis aut ſuam juſtitiam, aut juſtam accipiat excuſationem.] Item ANACLETUS: [Si enim ſine crimine Sacerdos eligi præcipitur, nullatenus ab hominibus criminibus irretitis accuſari aut calumniari permittitur, nec ab aliis quàm ab his qui ſine crimine ſunt, & juxta electionem, ſi neceſſitas fuerit, aut ipſi volendo Domino ſervire elegerint, Sacerdoteſque ſine crimine fieri, & ordinari poſſint, & tales per omnia fuerint, quales eligi Sacerdotes jubentur.] EUTICHIANUS: [Quiſquis ille eſt qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei vendicet*, vinculum inſcriptionis arripiat, cuſtodiæ ſimilitudinem habitą tamen dignitatis exiſtimatione patiatur, ne fortè noverit ſibi attributam licentiam mentiendi, cùm calumniantes ad vindictam poſcat ſimilitudo ſupplicii.] Rurſus iſdem ALEXANDER [Similiter ſi hujuſmodi perſonis quædam ſcripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem, aut per vim ex-

Epiſt. 1.

Epiſt. 2.

Epiſt. 2.

* al. indicet.

Epiſt. 2.

Digitized by Google

tortæ fuerint, vèl ut se liberare possent, quocumque ab eis conscriptæ, vel roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium aut nocumentum provenire censemus.]

Epist. 2. FABIANUS: [Nec ullus unquam præsumat accusator simul esse, & judex & testis, quoniam in omni judicio quatuor personas necesse est semper adesse, id est, judices

Epist. 2. electos, & accusatores, ac defensores, atque testes.] FELIX quippe ait: [Si quis Episcopus ab illis accusatoribus, qui recipiendi sunt fuerit accusatus, postquam ipse ab eis charitativè conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos Primates causa ejus canonicè deferatur, qui in congruo loco infra ipsam provinciam tempore congruo, id est autumnali, vel æstivo, Concilium regulariter convocare debebunt, ita ut ab omnibus ejusdem provinciæ Episcopis inibi audiatur. Quod ipse & regulariter convocatus, si eum aut infirmitas, aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit; quia ultra provinciæ terminos accusandi antè licentia non est, quàm audientia rogetur.]

Epist. unicâ. Item GAIUS. [Nemo unquam Episcopum apud judices

Epist. 1. sæculares aut alios clericos accusare præsumat]. ZEPHYRINUS: [Nullum eorum sententia non à suo judice dicta constringat] Et idem: [Duodecim judices, quilibet Episcopus accusatus si necesse fuerit, eligat, à quibus ejus causa justè judicetur; nec priùs audiatur aut excommunicetur vel judicetur, quàm ipsi per se eligant.] Et FOELIX: [De induciis verò Episcoporum super quibus consuluistis

Non reperitur hic locus in Epistolis quæ Felicis esse dicuntur. Aliquid tamen quod ad hunc locum accedit legitur in Epist. Gaij ad Fœlicem. diversas à Patribus regulas invenimus institutas. Quidam enim ad repellenda imperitorum machinamenta, & suas præparandas responsiones, & testes confirmandos, & concilia Episcoporum, atque amicorum quærenda, annum & sex menses . . . . . dant. Minus verò quàm sex menses non reperi:] Rursus ZEPHYRINUS. [Patriarchæ verò vel Primates accusatum discutientes Episcopum non antè sententiam proferant finitivam, quàm Apostolica fulti auctoritate, aut reum seipsum confiteatur, aut per innocentes & regulariter examinatos convincatur testes, qui minori

Epist. 1.

non

Digitized by Google

non ſint numero quàm illi diſcipuli fuerunt, quos Dominus adjumentum Apoſtolorum eligere præcepit.] Ideſt ſeptuaginta duo.

Multos etiam & alios ſanctæ Eccleſiæ Doctores in his omnibus aſſentire Canonum edicta patenter oſtendunt; ſed nunc quod abſque injuria ſanctæ Dei Eccleſiæ dicere non poſſumus, heu ! in tantum hoc aboletur, ut in inordinata etiam accuſatione vix locus maneat legitimæ defenſionis. Nec approbanda judicant quæ iniquè objiciunt, ſed tantummodò vindicare quæquæ illata quærunt. Quòd ſi de defenſione apud eos queritur, omni ſynodali cenſurâ poſtpoſitâ ſuis adinventionibus talem fieri dijudicant, quàm accuſati implere minimè valeant, vel quæ illos jure officij omninò impediant, ut in Sacerdotes Dei liberiùs ſæviant. Quippe cùm ſecundùm Beatum Paulum Apoſtolum ipſi ſibi ſint lex, accuſatores, judices & teſtes non ratione, ſed vi ipſi exiſtunt. Satisfactionem igitur accuſati Sacerdotis compellat jurare iniquè hoc aſſumentes in teſtimonium, quod factum eſt ſe legiſſe jactant in actibus Romanorum Pontificum: Nam quòd de Damaſo & Sixto, atque Symmacho venerabilibus Pontificibus invenitur, eo quod dum à quibuſdam de perverſis criminibus accuſarentur, collectis Epiſcoporum conciliis ſynodicè purgati ſint, hoc ſe his verbis penitùs intelligere fatentur, quòd omnes prædicti Epiſcopi cum ipſis Pontificibus pro illatis juraſſent criminibus, quaſi non eos propria tantummodò abſolveret ſatisfactio, niſi hoc etiam prædictorum Confratrum firmaret juratio. Nobis tamen quod ſic intelligendum ſit, revera non patet. Planè enim à prædictis Epiſcopis prædictos Pontifices purgatos accipimus, ſi ipſorum ſuggeſtione propriâ tantummodò ſatisfactione ipſis etiam faventibus eos alienos à criminibus fuiſſe firmatum eſt. Sed ſi pro alicujus juſti innocentia alicui placuit ſacramentum præbere charitatis causâ, ut eum vel ſic à perſequentibus liberaret omnimodis . . . . . Rom. 2. 14.

. . . . . .

Eccleſia hoc fieri potuiſſet . . . . . inpo-

Digitized by Google

sterum relinqui debuit. Quo etenim sancto Concilio, vel cujus Catholici & Apostolici viri decreto sancitum sit, Sacerdotes Dei à criminibus absolvi non posse, nisi Confratrum satisfactione, penitùs ignoramus? Cùm enim sacramenta* omnibus interdicta sint Christianis, valde pernicioſum est Sacerdotes ad hæc etiam alios cogere, unde tam se custodire, quàm & alios debuerant arguere. Ait Dominus in Evangelio: *Ego autem dico vobis, non jurare omninò.* Et Jacobus Apostolus sacramentum perhibens dicit: *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare.* Et Cornelius Papa ait: [Sacramentum hactenus à Summis Sacerdotibus exigi, nisi pro fide recta minimè cognovimus, nec sponte eos juraſſe reperimus.] Sed & quis adverso Principe, Judicibus quoque infestis testes secum conducere valet ad causam? Nam quid Joseph mentienti dominę testes opponere potuit, ne carceris sentiret injuriam, & tamen justus inventus est? Carceri quidem potuit mãcipari, sed tamẽ crimini nullo modo subjugari. Valuerúntne Nabutheo testes succurrere cùm ei regali avaritia dolosè objectum sit, quòd maledixisset Deo & Regi? An Beatus Papa Silverius testes conducere poterat, qui Principum factione, eo quòd nollet eorum pravis obedire mandatis, falsè de proditione suorum concivium, insuper & ipsorum Principum accusatus infidelitate, mox exilij pœna damnatus est, sed iniquè. Exilij quidem pœnam ideò subiit, quia à justitiæ se linea non retorsit. Tamen si cui hoc ignotum fuerit, ipsius actus lectio pleniter indicare valebit.

Multi etiam alii sancti Patres tam veteris quàm novi Testamenti falsitate damnati ab infidelibus diversa pertulerunt tormenta, quibus nec testes, nec defensores adfuerant, qui illis aliquod defendendi præstare viderentur suffragium. Sed quid plura? Ipsi namque sancti Apostoli imminente pressurâ relicto Domino fugerunt. Nunquid ideò excusandus est Pilatus, vel populus Judæorum, quia eo accusato testes à quibus absolveretur omninò defuerant, sed accusatus, sed judicatus, sed condemnatus, justus & sine dolo inventus est? Plerum-

* Idest, Iusjurandum, Gal. Serment

Matt. 5. 34. Iacobi 5. 12.

Epist. 2.

Digitized by Google

que enim ſecundùm Beatum Gregorium, quieti atque indiſcuſſi relinquimur, ſi obviare pravis pro juſtitia non curamus. Quòd ſi illorum redarguere nequitiam cœperimus, illico ab ipſis perſequimur, & etiam infamamur, ut vel ſic vitam reprobando Doctoris valeant compeſcere ſermonem correptionis. L. 31. Moral. c. 23.

Sed ut ad incepta redeamus, nullum ſanctorum Patrum . . . . . Papa Pelagius quamvis non ſolùm invidè, verùm & ſuſpiciosè . . . . . Prædeceſſoris ſui ſe immiſcuiſſe accuſaretur, propria ſolùm manu præſtito ſacramento omnibus ſatisfecit. Similiter & venerabilis Papa Leo, cùm à quibuſdam falſidicis de crimine etiam fatigaretur, ſuo tantùm purgatus eſt ſacramento. Beatus quoque Gregorius, univerſalis Paſtor Eccleſiæ, & in diſcutiendis Sacerdotum criminibus ſagaciſſimus perſcrutator, quibuſcumque accuſatos criminibus poſt actam ſatisfactionem omni honore habendos conſtantiſſimè prædicabat. Quod etiam de Leone venerabili Epiſcopo & Menna, nec non & Maximo Salonitano Epiſcopo multis criminibus apud eum accuſato, ceteriſque compluribus Sacerdotibus in paginis ejus regiſtri lucidiſſimè conſpeximus. Verumtamen ſi ſacerdotalis ſtatus juxta pravorum exquireretur voluntatem, aut vix, aut nullus inveniretur Sacerdos.

Addunt inſuper, quoniam ſi aliquis Militum Sacerdotes Dei in crimine pulſaverit, per pugnam hoc in ſingulari certamine eſſe diſcernendum. Sed iſtud judiciũ quorumdam laïcorum ſolummodò eſt, quod nec ipſis etiam omnino approbatur. Nam ſæpè innocẽtes victi, nocentes verò victores in tali judicio eſſe videntur. Dicit enim Beatus Gregorius: [Quis intelligat quæ eſſe ratio ſecretorũ poteſt quòd ſæpè vir juſtus à judicio non ſolùm vindicatus, ſed etiam punitus redeat; & iniquus ejus adverſarius non ſolùm non punitur, ſed etiam victor abſcedat.] Et Dominus in Evangelio, Diabolo ſibi ſuadenti, ut Dei filium ſe eſſe de templi præcipitando pinnâ oſtenderet, ait: *Scriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum.* In quo tam exemplo, Matt. 4. 7.

Digitized by Google

quàm verbis docuit, ne alicujus periculi discrimina nobis eligamus; quamvis ab ejusdem satanæ filiis multùm etiam afflicti hoc agere hodiéque compellamur, eo quòd ea quæ dicimus se minimè credere aliter posse testentur.

Matt 27. 41. Simile verò eo in cruce posito Judæi dicebant: *Si filius Dei est, descendat nunc de cruce & credimus ei. Confidit in Deo, liberet eum si vult.* Quod Dominus quamvis non impleverit, nunquam tamen filius Dei esse desiit: non enim Dominus omnia suo præsenti judicio declarat, sed exspectat etiam plurima in futurum, ubi illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Occulto namque Dei judicio Jacobus ab Herode comprehensus illico occiditur; & Petrus post Pascha producendus, & in carcere servatus mirabiliter interea . . . . .

. . . . . .

evangelizasse noscantur . . . . . .

Hieremias in Hierusalem prophetans, post fugam ex Ægypto insuper retractus . . . ficitur, & Hieremias inibi etiam persistens conservatur. Beatus quoque Laurentius igne exustus Christo reddidit spiritum; Cùm noverimus etiam mulieres, & parvulos ipsius confessionis, & fidei multo majori igni immissos, non tantùm ab incendio illæsos permansisse, sed etiam flammæ impetum penitùs extinxisse. Præcursor etenim Domini Johannes Baptista misso spiculatore illico decollatus est, cùm legerimus de aliquibus Sanctos percutere volentibus, quòd eorum brachia adeò obriguerint, ut nisi ipsis Sanctis intervenientibus ea illi ullatenus movere ultra valuerint. Sicut & in

S. Greg. Dial. lib. 3. cap. 37. Dialogorum libris reperimus de quodam Sanctulo, qui cùm à Longobardis occidendus teneretur, tandem ad decollandum ductus est. Et quia priùs eum habebant notissimum, undique convenerant ad spectandum mortem ejus. Circumsteterunt itaque acies, vir autem Domini deductus in medio est, atque ex omnibus fortibus electus est unus de quo dubium non esset, quòd uno ictu caput ejus abscinderet. Venerandus igitur vir inter armatos ductus ad sua arma statim concurrit. Nam petiit ut sibi daretur paululùm orandi licentia. Cui dum concessum fuis-

Digitized by Google

ret in terra ſe ſtravit, & oravit. Qui dum diutiùs oraret hunc interfector calce pulſavit, dicens, ſurge & genuflexo tende cervicem. Surrexit autem vir Dei & genuflexo cervicem tetendit, ſed tenſo collo eductam contra ſe ſpadam intuens, hoc unum fertur publicè dixiſſe: Sancte Johannes Baptiſta ſuſcipe illam. Tunc electus carnifex evaginatum gladium tenens adniſu forti, in altum brachium percuſſurus levavit, ſed deponere nullo modo potuit: nam repentè diriguit, & erecto in cælum gladio brachium inflexibile remanſit. Tunc omnis Longobardorum turba quæ ad illud mortis ſpectaculũ aderat, in laudis pavorem converſa mirari cœpit, virumque Dei cum timore venerari, quia profectò claruerat cujus ſanctitatis eſſet, quia carnificis ſui brachium in aëre ligaſſet. Itaque poſtulatus ut ſurgeret, ſurrexit: poſtulatus ergo ut brachium ſui carnificis ſanaret, negavit dicens: Ego pro eo nullo modo orabo, niſi antea mihi juramentum dederit, quia cum manu iſta Chriſtianum hominem non occidat. Sed Longobardus idem qui, ut ita dicam, brachium contra Deum tendendo perdiderat, pœna ſua exigente compulſus eſt jurare ſe Chriſtianum hominem nunquam ſua manu occidere. Tunc vir Dei dixit ei: depone manum deorſum: qui ſtatim depoſuit, atque illico adjunxit, remitte evanginatũ gladium in vaginam, & ſtatim remiſit. Miroque modo ſic actum eſt, ut & ipſe Beatus à pere. . . . tore caput incunctanter amitteret, & iſte ejus invocato nomine non tantùm ſuum ſervaret, ſed etiam ferire volentem adeò in membris debilitaret.

Ibi etiam & legitur de juvene Benedicto nomine, cui cellulam cùm Gothi nullo modo incendere potuiſſent, inde eum extrahentes ſuccenſo in clibano clauſerunt; die verò altera illæſum eum invenerunt, ſed nec veſtimenta ejus ullo modo ſunt exuſta. Unde ait Beatus Gregorius in eodem Dialogorum libro: Petrus in mari pedibus ambulavit, Paulus naufragium pertulit, & in uno eodemque elemento ubi Paulus cum navi ire non potuit, ibi Petrus pedibus iter fecit. Cùm Petrus adhuc dubitaret in fide, Paulus verò

S. Greg. dial. lib. 3. cap. 18.

Hæc non ſunt in illo cap.

Digitized by Google

fide & opere jam perfectus constantissimè pro Christo ad martyrium eo tempore properaret. Quos enim vult Dominus mirabiliter ab imminenti eripit periculo, quosdam verò hîc etiam innocentes pati permittit, qui ab ipso quoque multo dignius in futuro coronantur. Unde nec illi sanctiores habendi, nec isti inferiores nullatenus à nobis sunt judicandi. Sed & hoc cavendum est, ut nec justi mala patientes se quasi victi desperent, nec inferentes supplicia quasi de victoria sibi adsumant fiduciam: Ait enim Dominus ad Job, de iniqua Leviathan loquens potentia. *Dolus in manu ejus dirigetur.* Quod exponens Beatus gregorius ait: Dolus quippe in manu est, fraus in virtute, quia omne quod nequiter volet hoc ad tempus exequi etiam fortiter potest. Dolus verò ejus dirigi dicitur, quia fraudis ejus malitia nulla difficultate præpeditur. Hoc enim Leviathan iste, vel vasa ejus habere crebrò proprium solent, quòd ad iniquitatis suæ cumulum, ea quæ nequiter appetunt, explere nequiùs possunt.

Dan. 8. 25.

Ergo, Fratres charissimi, nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate, considerantes quòd perversis, immo & iniquissimis judicibus Evangelica loquatur sententia, quæ ait: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Dominus enim dicit: *Si quis te percusserit in dextera maxilla tua, præbe ei & alteram, & qui tecum voluerit judicio contendere & tunicam tuam tollere, remitte ei & pallium.* . . . . . & alibi. *In patientia vestra possidebitis animas vestras* . . . . . Et illi dicunt: Si aliquid adversus Sacerdotes Dei fuerit prolatum, pugna esse vincendum. Unde & prædictæ sententiæ mox subditur: *Hypocritæ, bene de vobis prophetavit Isaïas dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me: sine causa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Hinc Isaïas: *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium.* Et fortasse audierant Paulum Apostolum dicentem: *Accipite vos armaturam Dei, ut*

Matt. 15. 3.
Matt. 5. 39.
Luca 21. 19.
Matt. 15. 7.
Isaiæ 10. 1.
Ephes. 6. 13.

Digitized by Google

poſſitis reſiſtere in die malo. Quòd ſi vel audierant, utinam intelligant, & quæ ſequuntur: *Induite loricam juſtitiæ, ſumentes ſcutum fidei, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Quòd & Salomon quoque de juſtis loquens ait. *Induent pro thorace juſtitiam, & aſſument pro galea judicium certum, ſument ſcutum inexpugnabile æquitatis* *. Hujuſmodi armis iſti noſtri anteſignani nos inſtruunt dimicare. Nam ſæcularibus armis pugnare, ipſe Paulus nos prohibet dicens: *Non voſmetipſos defendentes, Chariſſimi, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus.* Et Petrus Apoſtolus: *Eſtote non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicentes; quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hæreditatis poſſideatis.*

Ephoſ. 6. 15.

Sap. 5. 19.

al. * æquitatem.

Rom. 12. 19.

1. Pet. 3. 9.

Hæc tamen omnia & alia ſanctarum Scripturarum documenta maligni & improbi parvipendentes ad pugnam Sacerdotes impingere quærunt, nullam ampliùs reverentiam ipſis obſervantes, niſi quod non propriis manibus, ſed per ſubmiſſas perſonas illis in tali diſcrimine indicant dimicare: & quibus prohibitum eſt, armatorum cuneis, vel etiam publicis ſpectaculis intereſſe ad pugnam producere. Heu! noſtros compellimur vicarios, ut vel iſtorum cæde victi, vel illorum quaſi abſoluti eſſe videamur: nec purgari à crimine, niſi perpetrato crimine valeamus: cùm enim præceptum ſit David non ædificare viſibile templum, quia ſanguinum vir belli frequentis eſſet; quomodò poterint Sacerdotes bellum, aut pugnam ſua etiam pro juſtitia inire, qui templum debent ædificare, id eſt Eccleſiam Dei docere? Ait Beatus Paulus Apoſtolus: *Templum enim Dei eſt, quod eſtis vos.* Et alibi: *Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Quapropter ait Beatus Ambroſius: [Bellicarum rerum ſtudium à noſtro officio jam alienum videtur, quia animæ magis quàm corporis officio intendimus; nec ad arma jam noſter ſpectat uſus. Nam uſus citò inflectit naturam.] Et paulò pòſt: [Fortitudo enim ſine juſtitia ini-

1. Cor. 3. 17.

2. Cor. 6. 16.

S. Ambroſ. lib. 1. de offic.

Digitized by Google

quitatis materia est. David quoque confirmatus in Regno, nunquam nisi consulto Domino bellum adorsus est.] Et alibi: Videtur mihi, quòd vir Christianus justus & sapiens quærere sibi vitam aliena morte non debeat, ut pote qui etiamsi latronem armatum incidat ferientem, referire non possit, ne dum salutem defendit, pietatem contaminet. De quo in Evangeliorum libris aperta & evidens sententia est: *Reconde gladium tuum in locum suum: omnis enim qui gladio percusserit, gladio ferietur.* Quis latro detestabilior, quàm persecutor qui venerat, ut Christum occideret? Sed noluit se Christus persecutorum defendi vulnere, nec suum usque ad homicidium quamvis religione pervenire taliter consensit Apostolum; unde & quem ille percusserat, mox ipse sanare dignatus est. Nulla ergo pro innocentia sæcularibus armis pugnare, aut alios ad hoc pro nobis compellere convenit. Nam si facientes & consentientes pari pœnâ constringuntur, quantò magis ad pugnam persuadentes, vel etiam alios pro se opponentes, pugnæ implicantur periculo? insensati & perfidi certè, si nobis armis certare competeret; liberiùs pro fratribus bellare, quàm pro nobis alios objicere crederemus: nam ait Dominus in Evangelio: *Bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis.* Non enim ait, bonus pastor oves sibi commissas pro anima sua ponit, sed animam suam ponit pro ovibus. Rursus: *Mercenarius, cujus non sunt oves propriæ videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit.* Si illi mercenarii dicuntur qui tantùm relinquunt oves, & fugiunt, quali censentur vocabulo qui eas morti objiciunt? aut quomodò contra eos armis dimicare possumus, quos omninò diligere, & pro quibus etiam orare ab ipso Domino jubemur? Ait enim Dominus in Evangelio: *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos.* Et, *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quod etiam in cruce positus ipse edocuit dicens: *Pater ne statuas illis hoc peccatum.* Quo & exemplo Beatum Levitam, & Protomartyrem suum Stephanum adeò informare dignatus est, ut ipse quoque noverit suis pro interfectoribus

Matt. 24 52.

Joan. 10. 11.

Ibid 12.

Matt. 5. 44.

Luca. 23. 34.

Act. 7. 59.

Digitized by Google

fectoribus exorare . . . . . .

Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit potum da illi. Item Ambroſius: [Si perfectus ſim, benedico maledicentem, ſicut & benedicebat Paulus qui ait: *Maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus.* Tamen & ſanctum David in hoc quoque genere virtutis imparem Paulo non fuiſſe edocere poſſumus; qui primò quidem cùm malediceret ei filius Semei, & crimina objiceret, tacebat, & humiliabat, & ſilebat à bonis ſuis, hoc eſt bonum operum conſcientia: deinde expectabat maledici ſibi, quia maledicto illo divinam acquirebat miſericordiam. Qui etiam & in Pſalmis ait: *Averte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos.* Quid ergo præſtat, ſi ſecundùm quorundam judicium corpus hoc moriturum malè de infamia vel ſupplicio liberemus, animam autem in perpetuum damnemus; dicente Domino: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Sed illa infœlix anima hoc ad perficiendum obediet, de qua ſcriptum eſt: *Privavit eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam.*

Rom. 12. 22.

S. Ambroſ. l. 1. offi. c. 48.

1. *Cor.* 4. 12.

Pſal. 53. 7.

Matt. 16. 16.

Variat textus in edit.

Iob. 39. 7.

Nobis verò divinum jugiter convenit implorare auxilium & omnimodis ſatagere, ut qui jam abſque peccato eſſe non poſſumus, vel à criminibus alienè exiſtere valeamus, quia ſecumdùm Beatum Paulum Apoſtolum ſine crimine Sacerdotes eſſe debent. Et quamvis perverſorum ora omninò obſtruere nequeamus, de pura ſecuri conſcientia interiùs fiducialiter gaudeamus. Nam quid mirum ſi homines perditi, & ſubverſi bonorum vitam infamare non metuunt? Ait enim Beatus Gregorius: [Habet hoc proprium antiqui hoſtis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetratione, Deo ſibi reſiſtente, decipere non valet, opiniones eorum falſa ad præſens ſimulando dilaceret. Sed illorum malitioſæ detractiones, quamvis multùm impedire videantur, non nobis tamen aliter excuſandas eſſe perpendimus, niſi quemadmodum ſanctorum Patrum ſaluberrimis inſtitutionibus admonemur, quia ſcriptum eſt: *Ne tranſgrediaris* fines, quos poſuerunt Patres tui.* Si quis tamen canonicè in his con-

Prover. 22. 28.

* *Terminos.*

Digitized by Google

temptus esse noluerit judicio, sed sua adinventione Sacerdotes Dei prægravare, vexare, vel expoliare, insuper etiam & si occidere præsumpserit, oportet nos Sanctorum censuram servando puniri, quàm ejus pravæ satisfacere voluntati, quamvis & hoc agere pernicioſum sit, & talis pœna, vel mors satis aspera videatur. Quæ enim mors in ..... includuntur vel exilio pelluntur .... ciuntur, de se suspirant, de sibi commissis ejulant, præsentia patiuntur supplicia, futuráque à carnificibus promittuntur, expavent majora, consolatores ab ipsis tolluntur, exprobrantes, vel terrentes jugiter adsistunt. Nonne leviùs præcisâ cervice occumberent: aut fortasse hoc agentes ideò homicidæ non sunt, quia isti absque sanguine necantur. Certè Julianus ideò crudelior præ ceteris tyrannis dictus est, quia Martyres Christi sanguinem fundere non sinebat, sed diversis suppliciis torquens post longam macerationem vitam finire cogebat. Hinc Isaïas ait: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.*

Isaiæ 1. 3.

*Considerentur.

Verumtamen licet hæc durissima esse * videantur, divinam sedenim habemus consolationem quæ ait: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs eum timete qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Nam secundùm Beatum Ambrosium sanctus Nabutheus in eo perfectus extitit, quia sanguine proprio defenderat jura majorum, & honestatis contemplatione mortem incurrere non formidavit. Cùm enim ab eo vineam Rex poscceret pecuniam se daturum pollicens, indecorum pretium pro paterna recusavit hereditate, maluitque morte declinare hujusmodi turpitudinem: *Non mihi*, inquit, *fiat à Deo, ut dem tibi hereditatem Patrum meorum*: hoc est tantum mihi opprobrium non fiat, non permittat Deus tantum extorqueri flagitium. Non utique pro vitibus hoc dicit; neque enim de vitibus cura est Deo, neque de terreno spatio, sed de jure loquitur Patrum. Potuit utique & alteram

Matt. 10. 28.

S. Ambros. l. 3. Offic. c. 9.

3. Reg. 21. 3.

Digitized by Google

vineam de vineis Regis accipere, & amicus Regis eſſe, in quo non mediocris ſæculi hujus utilitas æſtimari ſolet. Sed quod turpe erat judicavit non videri utile, maluitque periculum cum honeſtate ſubire, quàm utilitatem cum opprobrio. Animadvertimus igitur quia id quod turpe eſt non poſſit eſſe utile, neque rurſus id quod honeſtum eſt, inutile, quia complexa honeſtati eſt ſemper utilitas, & utilitati honeſtas. Sed qui ſanctorum Patrum parvipendunt edicta, magnum non eſt ſi noſtra etiam redarguant & opera, nempe qui illorum non metuunt ſtatuta temerare, nec noſtræ metuunt vitæ detrahere, verumetiam & judicium prægravare. Quamvis igitur ſi ab Eccleſiaſtica recedamus cenſura quibuſdam ex ipſis. . . . . .

. . . . . .

. . . . . .

valentibus, in exemplum procuretur, & fratribus eveniret in ſcandalum, quod à nobis quoquomodo fuiſſet exortum. Non enim eſt ſapiens qui nocet. Aliud eſt verò communiter ſapere, aliud eſt ſapere perfectè. Qui communiter ſapit, pro temporalibus ſapit, qui autem perfectè ſapit, non quærit tantùm quod ſibi utile eſt, ſed quod omnibus. Ait quidem Beatus Gregorius: Sæpe ab hominibus timor debilis cauta diſpenſatio vocatur, & quaſi prudenter impetum ſe declinaſſe aſſerunt. Confugientes turpiter in terga feriuntur. Congruentius ergo eligimus noſtram portare injuriam, quàm aliis inferre calumniam, & ab aliis injuſtè pati, quàm à nobis injuſtè defendi: non enim in perpetuum damnamur cùm injuſtè judicamur, dicente Pſalmiſta: *Nec damnabit eum cùm judicabitur illi.* Pſal. 36. 33.

Multi denique Sacerdotum culpam zelo Dei perſequi ſe profitentur, ſed dum indiſcretè hoc agunt, ſacrilegii facinus incurrunt, & dum præcipites quaſi ad emendandũ ruunt, ipſi quoque deteriùs multo magis cadunt: unde & in libro Regum de Arca Domini legitur, quia *poſtquam* 2. Reg. 6. 6. *venerunt ad aream Nachor extendit manum Oza ad aream Domini & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverant eam; & iratus indignatione Dominus contra*

Digitized by Google

Ozam, & percussit eum super temeritatem; qui mortuus est ibi juxta arcam Domini. Quid enim per arcam melius quàm sancta Ecclesia designatur? Quid per boves, quàm dissidentes Sacerdotes? Quid per Ozam, nisi aliquem temerarium intelligimus? Saül etiam ab ipso Domino in Regno electus est: quia Sacerdotis usurpare ausus est minis-
1. Reg. 13. 13. terium, meritò à Propheta audivit: *Stultè egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui quæ præcepit tibi. Quæ si non feciſſes jam nunc præparaſſet Dominus Regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum, ſed nequaquam Regnum tuum ultra conſurget. Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum, & præcepit ei Dominus, ut eſſet Dux ſuper populum ſuum, eo quod non ſervaveris quæ præcepit Dominus.* Ozias quoque Rex, cùm per aliquot annos Deo favente, cui devotè famulari videbatur, feliciter regnasset in populo, nefanda tandem præsumptione Sacerdotium insuper contra jus arripere voluit. Pro qua etiam illicita temeritate lepra percussus, Regnum quo legitimè uti poterat & salutem amisit. Per viam ergo regiam unumquemque ambulare oportet, sicut . . . . . via Domini est & recta, ne . . . . . dexteram declinavit, qui plusquam opus est agit, ad sinistram . . . . . .
Psal. 35. 11. . . . . Psalmista ait: *Deduc me Domine in via tua.* Beatus quoque Paulus Apostolus ait: *Vnuſquiſque in vocatione, in qua vocatus eſt, in ea permaneat:* Ne dum ambit illicita, justè perdat acquisita, & dum aliena ministeria usurpare gaudet, jure in sibi debitis torpeat. Unde evenire solet, ut seculares, qui Ecclesia sticam præsumunt invadere dispositionem, nec Ecclesiæ orationibus mereantur acquirere pacem, nec suis valeant armis adipisci victoriam.

Sed dicit aliquis: Nunquid omnia mala quæ fecerint Sacerdotes portanda sunt? Quibus congruenter respondetur, quòd à pluribus portanda sunt, à quibusdam verò secùndum creditam sibi dispensationem cum maxima cautela sunt arguenda. Temerè enim ab hominibus non sunt illi discutiendi, qui potestatem acceperunt

Digitized by Google

etiam de Angelis judicandi. Nam ut ait Beatus Auguſtinus: Plerumque nihil noceret ei de quo temerè judicatur, ei autem qui temerè judicat, ipſa temeritas eſt neceſſe ut noceat. Et item: Qui enim nocet, ait Apoſtolus, recipit id quod novit. Et Dominus in Evangelio: *In quo judicio judicaveritis, judicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Oportet ergo eos quibus alios judicandi attributa eſt poteſtas tam modeſtè hoc agere, ut redeuntem ad ſe talionem minimè perhorreſcant. Caveant etiam ne odio aut invidiâ, ſeu pro aliqua inimicitia contra proximos pluſquam præſens poſtulet actio invehantur. Prævidendum quoque ne fraudibus, vel mandatis accuſantium ullo modo decipiantur, ne adulatio, ſeu oblectatio locum obtineant, ne perſonarum inibi ſit acceptio, aut affinitatis, aut alicujus clientelæ reſpectus, néve exardeſcant in ira, quæ procul à judicio omnino debet expelli. Ait enim Dominus in Evangelio: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* Et Beatus Jacobus Apoſtolus: *Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur.* Et item: *Homo homini ſervat iram, & à Deo quærit medelam.* Salomon quippe ait: *Ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Unde & Beatus Gregorius ad Leontium Exconſulem ſcribens ait: [Quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince teipſum, differ tempus furoris. Cùm tranquilla mens fuerit quod placet judica*.] Et paulò pòſt: [Quando enim in executione juſtitiæ placata mente iraſcimur, iracundiam & non ſequimur & exhibemus.] Ira enim quæ juſtitiam perturbat, quanta conſideratione cavenda eſt, monſtratur, de qua ſcriptum eſt: *Sit homo velox ad audiendum & tardus ad iram: Ira enim juſtitiam Dei non operatur.* Hinc rurſus ſcriptum eſt: *Quis poteſt habitare cum homine, cui ſpiritus facilis eſt ad iraſcendum.* Hoc* iterum dicitur: *Noli eſſe cum homine iracundo, neque ambules cum homine furioſo, ne fortè diſcas ſemitas ejus, & ſumas ſcandalum animæ tuæ.* Contra hanc in laude patientiæ ſcriptum eſt: *Melior eſt vir qui vincit iram, quàm qui capit civitatem magnam.* Hinc David perſonam in ſe infirmorum aſſumens ait:

S. Auguſt. lib 2. de Ser. Dom. in monte c. 18.

Matt. 7. 2.

Matt. 5. 22. Iacobi. 1. 20.

Eccli. 28. 3.

S. Gregor. l. 8. Epiſt. 51.

al.* Vindica.

* Hinc Prover. 22. 24.

Digitized by Google

Psal. 6. 8. *Turbatus est præ ira oculus meus.* Atque ex ipsa turbatione quid sequatur adjunxit: Ibid. *Inveteravi inter omnes inimicos meos.* Ex ira quippe cùm turbatus fuerit oculus cordis inter inimicos nostros ad vetustatem reducimur, quia inter malignos spiritus ad veteris hominis similitudinem revocamur. Cùm igitur iram quæ cor permovet, sacra eloquia tot testimoniis detestentur, perpendamus qua intentione debemus hoc vitium fugere, quod Deo judice in testimonio illius toties reprobatur. Item ad Godescalcum Ducem Campaniæ: [Illa Præpositorum sollicitudo utilis, illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor sibi nihil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, & nec quicquam agendum, priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum putat ira omne quod fecerit, sed & si oramus ut in ira à Domino non corripiamur, expedit ut alios cum ira non judicemus. Scriptum quippe est: Memorare timorem Domini, & non irascaris proximo. Et Beatus Augustinus ait: Qui irascendo se terribilem ostendit fratri, terrorem divini judicii sustinebit. Sed hoc non tantùm à Christianis & Catholicis, verùm etiam à Paganis observatum in multis invenimus, scilicet ut irati neminem discutere, aut punire præsumerent. Ait enim Terentianus Philosophus ad villicum suum: O te infelicem quem afflictarem, nisi iratus essem.

Idem Sanct. Grego. l. 8. Epist. 12.

Præterea quod incerta judicare non debeamus, plurimis sententiis edocemur. Unde Beatissimus Papa Julius ait: [Incerta unquam nullus Pontificum judicare præsumat; quia quamvis vera sint, non tamen credenda sunt, nisi quæ manifestis* judiciis comprobantur, nisi quæ manifesto judicio convincuntur, nisi quæ judiciario ordine publicantur.]

Jul. in Epist. cótra Orient. pro Athanas. c. 19.

* indiciis

Deus quoque omnipotens, ut nos à præcipitantis sententiæ prolatione compesceret, cui omnia nuda & aperta sunt oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit præcipitanter judicare. Qui ait: *Descendam & videbo utrum clamorem qui venit ad me opere compleverint: an non est ita, ut sciam.* Omnipotens itaque Dominus omnia

Genes. 18. 21.

Digitized by Google

ſciens, cur ante probationem quaſi dubitat . . . . . quam probare. Hinc & Beatus Apoſtolus ad Timotheum: *Adverſus Presbyterum accuſationem ne recipias*: Et paulò pòſt: *Delinquentes autem coram omnibus argue, ut ceteri metum habeant.* Non enim facile credi debet de Epiſcopo, vel Presbytero, quorum ordo adhuc diviſus non erat, quamvis eis crimen objiciatur, niſi probetur, quia Sacerdotem nemini damnare licet, niſi aut ſponte confeſſum, aut legitimis teſtibus canonicè comprobatum. Tamen ſi legitimè probatum vel manifeſtum fuerit, quod objectum eſt publicè eſt arguendus, ut ceteri terreantur. Cùm enim videret tantum virum erroris causâ corripi, neceſſe eſt ut reliqui ſibi caveant. Illud etiam planè attendendum eſt quod Dominus ait in Evangelio: *Nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Non enim poteſt humano condemnari examine, quem Deus ſuo reſervavit judicio. Conſtantinus etiam ſanctiſſimus Imperator, cùm in Nicæna Synodo querelam quorumdam Epiſcoporum coram ſe delatam conſpiceret, ait; Vos à nemine judicari poteſtis, quia ſolius Dei judicio reſervamini. Dii enim vocati eſtis, idcircò non poteſtis ab hominibus judicari. Quod & Dominus in Exodo oſtendens ait: *Diis ne detrahas, & Principi populi tui nè maledicas.* Et Beatus Gregorius Imperatorem Mauritium in hoc laudans ait, quia ſereniſſimi Domini Imperatoris animum non ignoramus, quod ſe in cauſis Sacerdotum miſcere non ſoleat, ne noſtris, in aliquo peccatis gravetur. Item ad Joannem Defenſorem: De perſona Preſbyteri hoc attendendum eſt, quia ſi quam cauſam habuit, non ab alio teneri, ſed Epiſcopum ipſius adiri debuit. Beatiſſimus etiam Silveſter ſummus Pontifex, & univerſalis Apoſtolus collecta Synodo in ſancta & venerabili Romana Eccleſia per omnia interdixit, ut nullus laïcus crimen Clerico audeat inferre, & ut Preſbyter non adverſus Epiſcopum, nec Diaconus adverſus Preſbyterum, non Subdiaconus adverſus Diaconum, non Acolythus adverſus Sub-

1. Tim. 5. 9.

1. Cor. 4. 5.

Exod. 22. 28.

S. Greg. lib. 11. Epiſt. 56.

S. Sylveſt. in Epilogo & cap. 3. Conc. Rom.

Digitized by Google

diaconum, non Exorcista adversus Acolythum, non Lector adversus Exorcistam, non Ostiarius adversus Lectorem, det accusationem aliquam. Et non damnetur Præsul, nisi in septuaginta duobus, neque Præsul summus
*Matt.*10.24. à quoquam judicetur: Quoniam scriptum est: *Non est discipulus supra magistrum.* Beatus quoque Paulus Apo-
1 *Tim.* 5.1. stolus ait ad Timotheum: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.* Ergo non est mirum . . . . . cùm etiam . . . . . Sacerdotes, Levitas & Subdiaconos, ac sequentis ordinis usque ad ultimi gradus Clericos omnimodis exclusa sit laïcis licentia accusandi vel judicandi, excepto si aliquis eorum, quod absit, tumore superbiæ elatus ecclesiasticam deserens disciplinam, ad secularem se contulerit potestatem, ut adversus auctoritatem proprii Episcopi contrarius defendatur. Tunc Episcopali suggestione, si necesse fuerit, Principis vel Judicis auxilio tamdiu talis persequendus erit, donec Ecclesiasticis vel invitus discat regulis obedire.

Accusationes autem eorum non aliter inquirere, vel judicare laïcis præsumendum est, nisi ab Episcopis invitentur, ad quorum hæc parochiam pertinere viden-
Rom. 14.4. tur. Ait enim Beatus Paulus Apostolus: *Et tu quis es qui judicas alienum servum? suo Domino stat aut cadit.* Secularis tamen è contra potestas, quod lamentabile, multimodis ecclesiasticam interdum supprimit auctoritatem; & cujus subsidiis debuerat elevari, ejus solet adversitatibus affligi. Et sicut in electione Præsulum sua potiùs vota quàm sanctorum Patrum instituta Principes firmare contendunt, ita & in audiendo, vel judicando, seu etiam ejiciendo tam ipsos quàm illis commissos contra jus Canonum suæ per omnia quærunt satisfacere voluntati. Et secundùm perversorum Judicum sententiam nec culpa retrahit aliquem à culmine regiminis, nec regimen ullum excusat ab accusatione alicujus criminis. Quod viriliter Beatus Anacletus Papa contradicens ait: [Electionem Summorum Sacerdotum sibi Dominus reservavit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus & spiritualibus

Digitized by Google

ritualibus populis conceſſiſſet. Cui ergo ſimilis eſſe videbitur, qui quod Deus ſibi tantummodò reſervavit, ſurripere præſumit. Reſtat utique ut illi, qui ait : *Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo.* Iſaiæ 14. 14.

Explicit pars prima de Iudiciis Epiſcoporum.

INCIPIT PARS SECUNDA.

De Ordinationibus eorumdem.

ILLVD planè diligenti obſervatione cavendum eſt, ut quod Deus bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſit, nullus ad proprium audeat privilegium retorquere. Cùm enim Epiſcopali electione generalis, & non ſpecialis quærenda ſit utilitas, & Eccleſiaſticæ rei inquirendus ſit diſpenſator, non publicè, vel privatè alicus* procurator. Quis unquam aliquem ad id idoneum reperire poterit, niſi ipſe qui occultorum eſt cognitor? . . . . . cuſtodiam? Qui meritò hoc etiam bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus cognoſcere ſæpe concedit populis, quia ipſe quoque alibi promiſerat : *Vbi fuerint congregati in nomine meo duo vel tres, in medio eorum ſum.* Et in Pſalmis : *Dominus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem eos dijudicat.* Planè ergo ipſe facit quod ipſi faciunt, qui in nomine ejus congregantur, quia revera patet quòd ipſi abſque eo eſſe ibi non poſſint. Ipſe quidem eſt qui tam in veteri, quàm in novo Teſtamento Sacerdotes per ſemetipſum eligere dignatus eſt. Ait enim in veteri Teſtamento de Levitis, ſcilicet Levi filiis, de quorum tantummodò ſtirpe Sacerdotes illi in Iſraël conſtituere tunc placuit: *Ecce eligo Levitas de medio filiorum Iſraël pro omni primogenito quod aperit vulvam à filiis Iſraël, redemptiones eorum erunt iſti & erunt mihi Levitæ; mihi enim ſanctificavi primogenitũ in terra Ægypti.* Ubi ait S. Ambroſius : Non mediocre officium eſt Levitarum. Cognovimus enim, quia

* aliquis

Matt. 18. 20.

Pſal. 81. 1.

Num. 3. 41.

Digitized by Google

inter ceteros Levitæ cõputantur, sed omnibus præferuntur, qui eliguntur ex hominibus, & sanctificantur, ut primogenita fructuum atque primitiæ, quæ Domino deputantur, in quibus est votorum solutio, & redemptio peccatorũ. Unde & subditur: *Non accipies*, inquit, *eos inter filios Israël, & constitues Levitas super tabernaculum testimonij, & super omnia vasa ejus adstare, & super quæcumque sunt in ipso. Ipsi tollant tabernaculum, & omnia vasa ejus, & ipsi ministrent in eo, & in circuitu tabernaculi castra ipsi constituant, & promovendo tabernaculum ipsi statuant: alienigena quicumque accesserit, morte morietur.* Similiter & ad Apostolos, quos revera fundamentum Ecclesiæ, & primitias Præsulum esse constat, in Evangelio ait: *Vos de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo.* Quod enim illis ait, & hoc successoribus eorum dixisse manifestum est. Et Paulus Apostolus: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur.* Ex qua re apparet, quia Episcopi dignè eligi, & justè judicari, nisi à Deo nullatenus possunt. Hoc verò notandum est, quia cùm ab ipsis quibus ab eo concessum est legitimè ordinantur, vel judicantur, ab ipso procul dubio, sicut jam suprà dictum est, hoc agitur. Expedit ergo ut tales de mundo ad hoc officium eligantur, qui sicut ipse ait, jam de mundo non sint; & secundùm carnem non ambulent. Qui etiam . . . . . fieri potest; verùm *Princeps hujus mundi non inveniat quidquam.* Irreligiosi tamen Principes hæc omnia parvipendentes suum tantummodò in his parant prævalere edictum. Solent etiam admodum indignari, si vel ab aliis aliquis cujuscumque meriti sit Episcopus eligatur, vel si à se electus cujuscumque pravitatis sit, ab aliquo reprobetur. Illorum sanè quos ipsi eligunt vitia, quamvis multa & magna sint, velut nulla tamen reputantur. Quorum quidem in examinatione non charitas & fides, vel spes inquiruntur, sed divitiæ, affinitas, & obsequium considerantur. Quæ tria, vel quod potiùs minus esse videntur, si duo ex his in unam eandemque personam convertant, hâc jam revera inter

Num. 1, 49.

Joan. 15. 19.

Hebræ. 5. 1.

Joan. 8. 13.
Rom. 8. 1.

Joan. 12. 3.

Digitized by Google

Cœlicolas computabitur; & unum etiam ex his ſatis ſufficere credant, ad Epiſcopalis ſcilicet cathedræ dignitatem. Sed quid talibus loquatur Dominus ſollicitè perſcrutemur. Videamus ergo, chariſſimi, quemadmodum amatoribus pecuniæ ipſe minetur in Evangelio: *Non poteſtis ſervire Deo, & Mammonæ.* Et iterum: *Facilius eſt camelum per foramen acûs intrare, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Et rurſus ad divitem: *Stulte hâc nocte repetent animam tuam, & ea quæ paraſti cujus erunt?* Et alibi: *Nolite theſaurizare vobis theſauros ſuper terram, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælis, ubi neque ærugo, nec tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Vbi eſt theſaurus tuus ibi eſt cor tuum.* Ait enim Beatus Ambroſius: [Nullum adminiculum præſtant divitiæ ad vitam beatam.] Quod evidenter Dominus monſtrat in Evangelio dicens: *Beati pauperes quoniam veſtrum eſt regnum Dei. Beati qui nunc eſuriunt & ſitiunt, quia ſaturabuntur. Beati qui nunc fletis quia ridebitis.* Et ad divites: *Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram. Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis; & illis qui rident, quia lugebunt.* Et Paulus Apoſtolus: *Cupiditas radix eſt omnium malorum.* Et Jacobus ait: *Exortus eſt ſol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcit.* Et iterum: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes Regni quod repromiſit diligentibus ſe?* Et paulò pòſt: *Nonne divites per potentiam opprimunt vos?* Item Ambroſius ait: [Joachim qui aurum in obſidione ſervabat, nec diſpenſabat alimoniæ comparandæ, & aurum vidit diripi, & ſe in captivitatem deduci.] Et paulò pòſt: [Illud . . . . . quo utimur: quod autem . . . . . non habet poſſeſſionis fructum, ſed cuſtodiæ periculum. Iſaïas quoque prævaricationem populi . . . . . ait: *Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.* Et rurſus: *Væ qui juſtificatis impium pro muneribus; & juſtitiam juſti auffertis ab eo.* Etenim ſi ij qui in ſtadio currunt ita referuntur præceptis informa-

Luc. 16. 13. *Matt. 19. 24.* *Luc. 12. 20.* *Matt. 6. 19.* *Luc. 6. 2.* *Id. ibid. 24* *1. Tim. 6. 10.* *Iacobi 1. 11.* *Id. 2. 5.* *Ibid. 6.* *Iſaiæ 1. 23.* *Id. 5. 23.*

Digitized by Google

ri atque instrui, ut unusquisque celeritate non fraude contendat, cursúsque quantum potest ad victoriam properet: supplantare autem alterum, aut manu dejicere non ausit: quantò magis in cursu vitæ istius sine fraude alterius, & circumspectione repetenda nobis victoria est.

Iere. 6. 13. Hieremias namque ait: *Væ habitantibus terræ, quoniam à minore usque ad majorem student avaritiæ.* Et iterum:

Id 17. 11. Isaiæ 58. *Perdix fovet quæ non peperit insipiens.* Et item: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum ad agrum copulatis usque ad terminum loci. Numquid vos soli habitabitis super terram?* Salomon quippe ait: *Munera obcæcant corda potentum.* Non enim divinum simul obsequium, & pecu-

Psal. 39. 16. niarum potest acquiri lucrum. Et Psalmista: *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* Et alibi:

Psal 70. 15. *Quoniam non cognovi negotiationem introibo in potentias Domini.* Quæ enim negotiatio pejor esse poterit, quàm sanctam Ecclesiam, immaculatam sponsam Christi, & omnium Dominam, quam Dominus pretioso suo redemit sanguine, indignis Sacerdotibus pecuniâ venumdare.

Joan. 2. 16. Unde & Dominus in Evangelio: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* Beatus quoque Petrus Pastor Ecclesiæ ait ad Simonem Magum, cùm ei pecuniam promitteret, ut donum spiritus sancti acciperet:

Act. 8. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam existimasti donum spiritus sancti pecuniis obtinere.* Unde & hæc hæresis simoniaca appellata est, quæ tam vendenti quàm etiam ementi noxia esse conspicitur. Quam & Beatus

S. Greg. l. 7. Epist. 113. Gregorius constantissimè redarguens, viriliter contra plurimos expugnavit. Unde ad Brunichildim Reginam Francorum scribens inter alia ait: [Nec illud præterimus, sed omninò execrabile & gravissimum esse detestamur, eo quòd sacri Ordines per simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta & districta maledictione damnata est, apud vos conferantur. Hinc ergo agitur ut Sacerdotii dignitas in despectu, & sanctus sit honor in crimine. Perit utique reverentia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare committit, & nefaria ambitione honorabilis Sacerdotii

Digitized by Google

ducitur in depravatione cenſura: Nam quis denuo veneretur quod venditur, aut quis non vile putet eſſe quod emitur? Unde valde contriſtor & terræ illi condoleo, quia dum Spiritum ſanctum, quem per manus impoſitionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere deſpiciunt, ſed præmiis aſſequuntur, Sacerdotium illic ſubſiſtere dici non arbitror: Ubi enim dona ſupernæ gratiæ venalia judicantur ad Dei ſervitium, non vita quæritur, ſed magis contra Deum pecuniæ venerantur]. Item ejuſdem de Theodorico & Theodemperto Regibus Francorum poſt aliqua: [Fertur ſimoniacam hæreſim quæ prima contra Dei Eccleſiã Diabolica plantatione ſubrepſit, & in ipſo ortu ſuo telo Apoſtolicæ ultionis percuſſa, atque damnata eſt, in Regni veſtri finibus dominari. Quæ enim eſſe opera valeant Sacerdotis, qui honores tanti Sacramenti convincitur habere per præmium? Ex qua re agitur, ut ipſi quoque qui ſacros ordines appetunt, non vitam corrigere, non mores componere ſtudeant, ſed divitias, quibus ſacer honor emitur, congregare. Hinc fit etiam, ut inſontes & pauperes à ſacris Ordinibus prohibiti, deſpectíque reſiliant, & dum innocentia pauperis diſplicet, dubium non eſt quod præmium illic delicta commendet; quia ibi aurum placet & vitium. Hinc igitur non ſolùm in Ordinatoris & ordinati animam lethale vulnus * infringitur, verùm etiam excellentiæ veſtræ Regnum Epiſcoporum culpâ, quorum magis interceſſionibus juvari debuerat, prægravatur. Si enim is dignus Sacerdotio creditur, cui non actionis merita, ſed præmiorum copiæ ſuffragantur, reſtat ut nihil ſibi in honores Eccleſiaſticos gravitas, nihil defendat induſtria, ſed totum profanus auri amor obtineat. Qualem de ſe fructum productus eſt, cujus gravi peſte radix infecta eſt? Major ergo metuenda locis in illis foret calamitas, ubi tales interceſſores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in ſe magis iracundiam provocent, quam per ſemetipſos populis placare debuerant].

Idem in cod. lib. Epiſt. 116.

* infligitur.

Item Syagrio Epiſcopo Auguſtudunenſi: [Nuncio apud nos olim diſcurrente vulgatum eſt, quòd in Gallia-

Idem in eod. lib. Epiſt. 110.

Digitized by Google

rum partibus sacri ordines per simoniacam hæresim conferantur. Et vehementi tædio mœroris afficimur, si in Ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia, & fit sæculare quod sacrum est. Quicumque ergo hoc pretii studeat datione percipere, Sacerdos non esse, sed dici tantummodò inaniter concupiscit. Quid scilicet? quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio: sed ille solummodò dignus, qui dare pretium suffecerit, æstimetur? Ex qua re si recti libraminis examen pensetur, dum improbè quis ad inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis, quòd honorem quærit, indignus est. Sicut autem is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus admovendus: sic qui ultro ambit vel importunè se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exteriùs, interiùs ad profunda descendat. Itaque, fratres carissimi, in Sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit semplex sine venalitate consensus pura præferatur electio, ut ad summa sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio. Nam quia omnino grave facinus sit Dei donum pretio comparare, vel vendere, Evangelica testis est auctoritas. Templum enim Dominus & Redemptor noster ingressus cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manus impositione percipere, & Spiritum sanctum, quem omnipotens Deus hominibus tribui misericorditer voluit, venumdare? quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere cathedrarum utique patenter eversione signatum est. Et tamen exerit adhuc nequitiæ pravitas vires suas: Nam cogit vendere, quos decipit, ut emerent: Et dum non attenditur quod divina voce præcipitur: *Gratis accepistis, gratis date*: agitur ut crescat & geminata fiat in uno eodemque delicti. contagio, mentis scilicet & vendentis, & cùm liqueat hanc hæresim, ante omnes radice pestifera surrepsisse, atque in ipsa sua origine Apostolica esse detestatione damnatam, cur non cavetur?

Matt. 10. 8.

Cur non perpenditur, quia benedictio illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?

Plerumque igitur adverſarius animarum dum non poteſt in his quæ ad faciem ſunt prava ſubripere, callidè ſpecie quaſi pietatis injectâ nititur ſupplantare, ſuadétque forſitan debere ab habentibus accipi, ut ſit quod poſſit non habentibus erogari, dummodo vel ſic venena mortifera eleemoſynæ celata obumbratione transfundat. Neque enim eleemoſyna reputanda eſt, ſi pauperibus diſpenſetur quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione malè accipit, ut quaſi bene diſpenſet gravatur potiùs quàm juvetur. Quoniam liquet ea eſſe perpetua, ac ſolida, quæ vera ſunt, & quæ ſincera* potiùs quàm dolo congregantur. Eleemoſyna Redemptoris noſtri oculis illa placet, quæ non de illicitis, & iniquitate congeritur. Unde etiam illud certum eſt, quia & ſi Monaſteria, aut xenodochia, vel quid aliud conſtruatur mercedi non proficit: quoniam dum perverſus emptor honoris in locum tranſmittatur*, & alios ad ſui ſimilitudinem ſub commodi dilatione conſtituit, plura malè ordinando deſtruit, quàm ille poteſt ædificare qui ab eo pecuniam pro ordinatione accepit. Nè ergo ſub obtentu eleemoſynæ cum peccato aliquid ſtudeamus accipere, apertè ſacra Scriptura nos prohibet dicens: *Hoſtiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex ſcelere.* Quidquid enim in Dei ſacrificio ex ſcelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam ſed irritat. Hinc rurſus ſcriptum eſt: *Honora Dominum de tuis juſtis laboribus.* Qui ergo malè tollit, ut quaſi bene præbeat, conſtat procul dubio quòd Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: *Qui offert ſacrificium de ſubſtentia pauperis, ac ſi victimet filium in conſpectu patris.* Quantus autem dolor patris ſit perpendamus, ſi in ejus conſpectu filius victimetur: Et hinc facilè cognoſcimus, quanto Deus omnipotens dolore exaſperatur, quando ei ſacrificium de rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum eſt, dilectiſſimi Fratres, ſub obtentu eleemoſynæ peccata ſimoniacæ

f. * ſincerè

f. * tranſmittitur

Prov. 21. 27.

Eccl. 34. 24.

Digitized by Google

hæreseos perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud peccata propter eleemosynas committere].

Hæ sunt Gregorii sanctissimi & Doctissimi Papæ pro simoniacis & illicitis ordinationihus saluberrimæ admonitiones ; nec acquievit omnino , donec collecta generali Synodo hæc sub anathemate damnata penitus impetraret ; sed astuta turpissimæ cupiditatis iniquitas non sufferens se commodis licet turpissimis, immo periculosissimis, angustari , commentum satis artificiosum reperit , quo scilicet illos Sacerdotio sublimaret, qui sibi post consecrationem tantò subjectiores esse debuissent, quantò non divino, quin potiùs humano judicio se fuisse promotos, ipsi procul dubio reputarent. Quapropter omnipotentis Dei præco Gregorius in Evangeliorum tractatibus , ut scilicet frequentiùs legi vel audiri potuisset, disputat inquiens. [Sunt nonnulli qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines per humanam gloriam largiuntur , atque de largitate eadem laudis solummodò retributionem quærunt. Ii nimirum quod gratis acceperunt , gratis non tribuunt , quia de impenso officio sanctitatis nummum expetunt favoris. Unde bene cùm justum virum describeret Propheta ait : *Qui excutit manus suas ab omni munere :* Neque enim dixit , qui excutit manus suas à munere, sed adjunxit *ab omni*, quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu , aliud munus à lingua. Munus quippe ab obsequio est subjectio indebitè impensa : munus à manu , pecunia : munus à lingua , favor. Qui ergo sacros honores tribuit, tunc ab omni munere manus excutit , quando in divinis rebus non solùm nullam pecuniam , sed etiam humanam gratiam non requirit.] Unde & Johanni Episcopo Corinthiorum idem Gregorius post multa scribens ait : [Oportet ut nec per commodum , neque per gratiam , aut quorumdam suplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci. Nam & peccatum sicut diximus grave est , & sine correptione hoc non patimur remanere] Quare nullatenus voluit

S. Greg. hom. 4 in Evang.

Isaiæ 33. 15.

S. Gregorius l. 4. Epist. 55.

Digitized by Google

voluit Gregorius. . . . . .

. . . *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Et alibi: *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit.* Et Pſalmiſta de viro injuſto ait: *Noluit intelligere ut bene ageret.* Quamvis igitur ab avaritia pecuniæ in ordinandis Epiſcopis aliquantulum ij tales videantur quoquomodo manum retrahere, non ideò ad legitimam liberalitatem Eccleſiaſtica electio pertinebit; ſed aut conſanguinitatis affectio, vel amicorum dilectio, ſeu etiam familiarium obſequia prævalebunt. Et quid prodeſt declinare à laqueo, ſi in foveam incidamus? Ait enim Beatus Hieronymus: Electio Sacerdotum non jam juxta ſanguinem, ſed juxta merita & virtutes deferenda eſt. Cùm enim aliquis digniſſimus Sacerdos diu in Eccleſia militans ab Epiſcopali electione ipſius cui ſervierat Eccleſiæ à Principibus reprobatur, nunquid non Dei filius deſpicitur, ut illud: *Ego dixi Dii eſtis & filii excelſi omnes?* Cùm verò alicujus potentis filius impar meritis, & injuſtè præponitur, quid aliud quàm Barabas eligitur, qui filius patris interpretatur; ut meritò eveniat quod ſcriptum eſt: *Ego ſum Deus omnipotens reddens iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus.* Quidam autem adeò mente & corpore obcæcantur, ut ipſos etiam parvulos ad paſtoralem promovere curam non dubitent, quos nec mente nec corpore idoneos eſſe conſtet. Et qui adhuc nec ipſa rudimenta humanæ naturæ ſuffecerint diſcere, hos ad magiſterium elevare non formidant, judiceſque conſtituunt animarum, qui adhuc quid anima ſit intelligere penitus nequeunt: Et qui docere populum inſtanter debuerant de divinis, doceri de ſeculariibus & etiam vilibus, præceptorum verberibus incipiunt: Et qui vereri ab omnibus debuerant, ipſos etiam ſcholaſticos timent. Nam quemadmodum olim ſancti Præſules à paganorum ritibus recedentes, injurias, & verbera ab infidelibus illata ſuſtinuerunt, ſic & iſti rurſus eadem patiuntur, ut paganorum regulis poſſint erudiri. Et nec indoctos elevare metuunt ad cathedram, & rurſus elevatos diſciplinæ Pholoſophorum ſubmittere non formidant.

Joan. 8. 47.
Id. 14. 23.
Pſal. 35. 4.
Pſal. 81. 6.
Exod. 34. 7.

Digitized by Google

S. Greg. l. 9. Epist. 48. Beatus quippe Gregorius omnes Pontifices à lectione librorum Gentilium inhibebat: quapropter Desiderio Galliarum Episcopo scribens ait. [Pervenit ad nos quòd sine verecundia memorare non possumus, fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere: quam rem ita molestè suscepimus, ac sumus vehementiùs aspernati, ut ea quæ priùs de te nobis bona dicta fuerant, in gemitum & tristitiam verteremus: quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt: & quàm grave nefandúmque sit Episcopis canere, quod nec laïco religioso conveniat ipse considera . . . . . paganorum intenderet . . . . . rudes adhuc scholastici operam dant studiis, quibus cùm nulla suffragantur merita, à sola tantummodò castitate laudantur: & quomodò dici castus poterat, qui adhuc incentina sentire non valeat? statuitur puerulus in medium, interrogatur populus qualis sit, qui ordinandus sit: cui tamen perhibet testimonium non volens, sed invitus. Quid supervacuè quæritur ut laudetur cùm ab omnibus inutilis videatur? vota omnium inquiruntur, quæ etiam ostendere publicè metuunt, ea tamen quæ proferunt metu extorta, & ipsi inquirentes non ambiunt. Rident plurimi alii quasi de infantis honore gaudentes, alii tamen clarum & manifestum præstigium derident es. Ipse quoque parvulus de aliquibus interrogatus capitulis, quæ si præparare poterit memoriter reddet, vel in aliquo tremens leget pytatio, non episcopalem timens perdere gratiam, sed magistri incurrere virgam. Non enim quæ recitat intelligit, cujus nec id corculum discere sufficit, sed verba tantùm percurrere quærit. Interrogatur, sed unde eum nescire qui interrogant, non dubitant respondere, tamen exinde quoquomodo didicisse confidunt. Nec quæritur ut sensum exponat, sed ut verba tantùm aliquo modo promat, non enim inquiritur ut examinetur, sed quasi ut canonicus ordo servetur, & ut mendacium & fraus validior sit, si veritate obumbretur, & à compluribus firmetur: sed quis firmare poterit quod Deus infirmat? Quid enim dicere possumus cùm

Digitized by Google

talis in Eccleſia præponitur, niſi quod Idolum ſtatuatur? Oculos enim habet, & non videt, ſicut Dominus ait in Evangelio: *Sinite illos cæci ſunt & duces cæcorum:* Matth 15 14. Aures habet & non audit. Ut alibi: *Qui habet aures audiendi audiat.* Id. 11. 15. Et ut ad diſcipulos: *Veſtri autem beati oculi, quia viderunt & aures veſtræ, quia audiunt.* Id. 13. 16. Ubi valde timendum eſt quod Pſalmiſta de ſimulacris ait: *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Pſal. 113. 8. Ait quippe Beatus Hieronymus: [Idolum hodieque ponitur, quando novum dogma in Eccleſia conſtituitur.] S. Hieron. lib. 6. in Ieremi. c. 11. Sanè hîc etiam inſerendum duximus quod in Ezechiele Propheta legiſſe meminimus: *Et factum eſt in anno trigeſimo Ezechiëlis Prophetæ: Cœli aperti ſunt & vidit viſiones Domini: Et facta eſt ſuper eum ibi manus Domini.* Ezech. 1. 1. Quod Beatus Gregorius prudentiſſimus in divinis dogmatibus diſputator ita diſſeruit dicens: [Hoc autem quod dicitur, quia trigeſimo anno ſpiritum prophetiæ acceperit, indicat nobis aliquid conſiderandum, videlicet quia juxta rationis uſum doctrinæ ſermo non ſuppetit, niſi in ætate perfecta. Unde & ipſe Dominus anno duodecimo ætatis ſuæ in medio Doctorum in templo ſedens, non docens ſed interrogans voluit inveniri. Ut enim non auderent homines in infirmitate prædicare, ille anno duodecimo ætatis ſuæ interrogare homines eſt dignatus in terra, qui per divinitatem ſuam ſemper Angelos docet in cælo. Quia enim ipſe eſt Dei ſapientia, de ipſo Angeli videndo vivunt, hoc quod beatitudo æterna ſatiantur. Quod Moyſes quoque per allegoriæ myſterium admonet dicens: *Non arabis in primogenito bovis.* Deut. 15. 19. Primogenitum autem bovis accipimus in infirma ætate primi noſtri temporis bonam operationem. In qua tamen arandum non eſt, quia cùm prima ſint adoleſcentiæ, vel juventitis noſtræ tempora, nobis adhuc à prædicatione ceſſandum eſt, ut vomer linguæ noſtræ proſcindere non audeat terram cordis alieni. Quoadusque etenim infirmi ſumus continere nos intra noſmetipſos debemus, ne dum tenera bona citiùs oſtendimus: quia & arbuſta plantata, ſi priùs in terra radicata non fuerint, manu tacta citiùs S. Greg. lib. 1. ſuper Ezechiel. homil. 2. Luca. 2.

Digitized by Google

arescunt; at si semel radicem fixerint, manus tangit & nihil officit, venti impellunt, nec tamen impellentes lædunt. Et constructi parietes si impellantur, eruuntur, nisi priùs fuerint ab humore suo siccati. Mens itaque quousque ab humore pravitatis suæ perfectè non fuerit exsiccata, alienæ linguæ manu tangi non debet, ne priusquàm plenè percipiat, perdat soliditatem suam, ne impulsa ruat, ne velut arbustum sine radicibus dum plus quàm tolerare valet, concutitur, flatibus arescat. Ad exemplum ergo non sunt ostendenda, nisi quæ firma sunt. Priùs etenim convalescere debet mens, atque ad utilitatem proximorum postmodum demonstrari, cùm jam nec per laudem elevata corruat, nec per vituperationem percussa contabescat: nam & si Timotheo dicitur: *Præcipe hæc, & doce; nemo adolescentiam tuam contemnat.* Sciendum est quòd in sacro eloquio nonnunquam adolescentia juventus vocatur; unde scriptum est: *Lætare juvenis in adolescentia tua.* Profectò igitur, ut ostendatur cujus auctoritatis sit in prædicatione ætatis solidæ esse describitur, quatenus ei cum vita & spiritu omnia quæ ad prædicandum congruunt, concordare videantur. Nec contra hæc movere quempiam debet quod Hieremias atque Daniel prophetiæ spiritum pueri perceperint, quia miracula in exempla operationis non sunt trahenda: Omnipotens enim Dominus & linguas infantium fecit disertas, & ex ore infantium perfecit laudem. Sed aliud est quod nos de doctrinæ usu atque disciplinæ dicimus, aliud quod de miraculo scimus. Jam verò si quæritur ut in ipsa quoque ætatis illius expressione mysticum aliquid designetur, absurdum non est quod Propheta Dominum quem verbis denunciat, ipso quoque ætatis suæ tempore ostendat, cùm dicitur, *Anno trigesimo Ezechielis Prophetæ cæli aperti sunt, & vidit visiones Domini, & facta est ibi super eum manus Domini.*] Jesus-Christus ante trigesimum ætatis suæ annum nunquam legitur populum prædicasse. . . . . Et omnes sancti Patres adsequentes exemplum nulli unquam pastorale ministerium ante triginta annos concedere voluerunt. Qua etenim teme-

1. Tim. 4. 11.

Eccli. 11. 9.

Digitized by Google

ſitate in membris illius ullo modo fieri poſſe credimus, quod in ipſo ſummo capite non præſumptum oſtendimus. Unde valde quippe* nè dum gratiam ſancti ſpiritus aliis ineptè tribuere præſumimus, ipſam à nobis expellamus, & nudi efficiamur dum incommodè alios veſtire conamur, veſtramque ſalutem indignum eſt negligere, cùm aliis non poſſimus proficere. Ait enim Beatus Petrus Apoſtolus Ananiæ & Saphiræ: *Quare convenit vobis mentiri ſpiritui ſancto? non eſtis hominibus mentiti, ſed Deo.* Si enim illi morte puniti ſunt, qui tantummodò de pretio proprii agri mentiti ſunt, quid illis reſtat qui falſis aſſertionibus fictè ſibi in tali negotio ad invicem reſpondent, ut hereditatem Chriſti ſanctam Dei Eccleſiam, inſuper & donum Spiritus ſancti cuidam ſtulto quaſi legitimè concedere videantur? quod aliquibus ridiculum, nobis verò luctum eſſe videtur. *Inſipientes, qui plantavit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum non conſiderat?* Salomon quippe ait: *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet dolum, & recedet à cogitationibus ſtultis.*

* *Deeſt verbum ne, timendum.*

Act. 5. 9.

Pſal. 93. 9.

Sap. 1. 5.

Ait verò Beatus Ambroſius: [Liquet igitur ea eſſe perpetua, atque ſolida quæ vera ſunt, & quæ ſincerè potiùs quàm dolo congregantur. Ea verò quæ ſimulatione, atque aſſentatione parata ſunt, non poſſunt diu perſeverare. Quis igitur fideles putet quos vel pecuniâ, vel adulatione ſibi obligandos crediderit] Et paulò poſt: [Ergo bonis artibus, & ſincero propoſito mittendum ad honorem arbitror, & maximè Eccleſiaſticum. Denique ſi ſacramento ſe pro eo fraudulenter conſtrinxerint, vel conſcriptionis vinculo per aliquam vim, aut metum, vel dolum obligaverint, nullum debet obtinere vigorem.] Unde & idem Beatus Ambroſius ait: [Eſt etiam contra officium nonnunquam promiſſum ſolvere, ſacramentum cuſtodire, quia ea quæ ſimulatione, atque aſſentatione parata ſunt, manifeſtum eſt non poſſe diu perſeverare.] Et paulò pòſt: [Regula autem juſtitiæ manifeſta eſt, quia à vero declinare virum non decet bonum, nec damno juſtum afficere quemquam, nec doli aliquid ad . . . .

. . . . . .

Digitized by Google

promissum non facere quàm facere quòd . . . . . .

. . . . . .

& cùm ipsi cognoverint promittendum non fuisse, sacramenta tamen contemplatione . . . . . penderint, sicut de Herode legimus qui Saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter solvit. Turpe quod regnum pro saltatione promittitur, crudele quod morte Propheræ pro jusjurandi religione donatur. Quanto tolerabilius fuisset tale perjurium, si tamen perjurium posset dici, quòd ebrius inter vina juraverit, quod ejuratus inter saltantium choros promiserit, inferretur disco Prophetæ caput; & hoc æstimatum est fidei esse, quod amentiæ fuit. Neque unquam adducar, ut credam non incautè promisisse, principem Jephtæ, ut immolaret Deo quidquid sibi revertenti intra limen domus suæ occurreret, cùm & ipsum voti pœnituerit sui, postquam filia occurrerit sibi: Denique
Iudic. 11. 35. scidit vestimenta sua & dixit: *Heu me filia! impedis me; in stimulum doloris facta es mihi.* Melius enim fuerat nihil tale promittere, quàm promissum solvere parricidæ. Quid etiam de fraude Gabaonitarum dicendum est, qui metuentes venerunt cum versutia simulantes se de terra longinqua esse, diuque peregrinatos, & cœperunt ab Jesu Nave poscere ut secum firmaret societatem; & quia erat adhuc ignarus locorum, atque incolarum insçius, non cognovit fraudes eorum, neque Dominum interrogavit, sed cito credidit. Testamentum disposuit, pacem dedit, confirmavit societatem; sed ubi in terras eorum ventum est, deprehensa fraude, quòd cùm essent finitimi advenas se esse simulaverant, circumscriptum se populus Patrum indignari cœpit. Jhesus tamen pacem, quam dederat, revocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione dum alienam perfidiam argueret, suam fidem solveret, sed tantâ usus est prudētiâ, ut nec ipse sacramentum solveret: nec illi libertate dolo acquisitâ omnino gauderent. Mulctavit eos propter ea, vilioris obsequio ministerii; clementior sententia, sed diuturnior, & manet pœna veteris astutiæ in hunc diem hereditario ministerio deputata. Qui enim sic potest promissum solvere,

Digitized by Google

ut juſtitiam valeat cuſtodire, expedit ut quod pollicitum fuerit, omnimodis impleatur, alioquin melius eſt promiſſum quoquomodo violare, quam ad graviores culpas promiſſionis intuitu declinare: nam de illo quid loquar, qui de eo . . . . . falſo utitur tanquam reum facinoris . . . . . quapropter eſt, quam terribile de ipſis reſtet judicium, qui ſacerdotium mendacio, vel fraude contrectant, quando, ut dictum eſt, in ſingularibus adeò falſitas perſequitur. Et quis ergo dolus poteſt eſſe mitior, quàm ſi his præponatur in ſpeculum, qui veniens non poſſit ſentire periculum? Aut quis ei ſe committat, quem non putet plus ſapere quàm ipſe ſapiet* qui quærit conſilium? Neceſſe eſt igitur, ut præſtantior ſit à quo conſilium petitur, quàm ille eſt qui petit. Quid enim conſulas hominem quem non arbitreris poſſe melius aliquid reperire, quàm ipſe intelligis? Nam quamvis etiam in ſubſtantiis pauper aliquis eſſe videatur, ſed ſi ſapiens fuerit, magnum ſibi credentibus valet conferre ſolatium: ſunt enim plerique etiam viri boni qui tenues ſunt cenſu, contenti quidem exiguo ad ſui uſum, ſed non idonei ad ſubſidium levandæ paupertatis alienæ: tamen ſuppetit aliud beneficentiæ genus, quo juvare poſſint inferiorem. Eſt enim duplex liberalitas, una quæ ſubſidio rei adjuvat, id eſt uſu pecuniæ; altera quæ operarũ collatione impenditur, multùm frequenter ſplendidior, multúmque præclarior. Quantò illuſtriùs Abraham captum armis victoribus recepit nepotem, quàm ſi redemiſſet? Quantò utilius Regem Pharaonem ſanctus Joſeph conſilii providentia juvit, quàm ſi contuliſſet pecuniam? facile autem pecunia conſumitur, conſilia exhauriri neſciunt. Affabilitatem quoque ſermonis dicimus ad conciliandam gratiam valere plurimùm. Ex qua re apparet, quia melior eſt ſapientia negotiatione argenti & auri primi & puriſſimi; & qui tenuerit eam beatus.

* ſapiat

Sanè ſciendum eſt quia niſi paſtor Eccleſiæ ſapientiæ fuerit ſale conditus, ſalutare pabulum Dominicis ovibus

Digitized by Google

ministrare minimè valebit, dicente Domino : *Si sal evanuerit, in quo salietur?* Et Paulus Apostolus ad Romanos:

Rom. 1. 28. *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiam, tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Item ad Timotheum : *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Unde

1. Tim. 3. 5. manifestum est, quia tunc potest idoneus Rector futurus probari, si priùs domum suam rectè gubernavit. Et mox

Ibid. 5. 21. subditur. *Testor coram Deo & CHRISTO JESU electis Angelis, ut hæc custodias, sine præjudicio nihil faciens in partem aliam declinans. Manus citò non imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Ne quis ergo ordinationem Ecclesiæ mandat, cùm ei præcipit . . . . . cipiat Ecclesiasticam dignitatem, nisi priùs de vita ejus, & moribus fuerit disputatum . . . . . batus minister aut Sacerdos constituatur, ne postea si reprehensibilis videatur, pœniteat rei principem populi non ad liquidum præjudicasse, sibique metuat imputandum quod meretur, civem improbabiliter ordinavit. Peccat enim si non probat, & sic ordinat: Nam melior ceteris debet probari qui ordinadus est. Non enim sufficit si sine crimine sit, quia merita ejus debent præire viam bonorum operum, ut dignus habeatur ad ordinationem, sicut ait Beatus Ambrosius. Decet igitur Sacerdotem hospitalem esse, benignum, justum, non alieni cupidum, immo de suo jure cedentem potiùs, aliqua si fuerit lacessitus quam aliena

S. Hieronym libro 16. in Esaiam c. 58. jura pulsantem, & cætera. Unde ait Beatus Hieronymus: [Non est enim peccatum leve mittere margaritas ante porcos, & dare sanctum canibus, & ordinationem Clericatus nequaquam sanctis & in lege Dei doctissimis, sed assectis suis tribuere, & vilium officiorum ministris, quodque indecorius est muliercularum etiam precibus : in quo considerandа est loquentis in se Christi Apostoli sapientia, qui ut ordinationis periculum demonstraret adjunxit tormenta peccantium. Cùm enim dixisset, *Manus citò*

1. Tim. 5. 22. *non imposueris* : illico subjunxit ; *Neque communicaveris peccatis alienis.*

Sicut

Sicut ergo in ordinationibus malorum particeps eſt & peccatorum qui tales conſtituit, ſic in ordinatione ſanctorum particeps eſt eorum juſtitiæ qui bonos eligit. Inſipientes verò & indignos ordinare, quid eſt aliud quàm ſacerdotium deturpare, Eccleſiam impedire, populum depravare? Hinc Propheta ait. *Omnis qui non didiſcerit juſtitiã ſuper terram, veritatem non faciet.* Iſaïas quoque Iſraëli comminatur dicens. *Ecce dominator Dominus auferet ab Hieruſalem validum & fortem, & honorabilem vultum, & conſiliarium & ſapientem architectum, & prudentem eloquii myſtici: Et dabo pueros principes eorum.* Et paulò pòſt: *Speculatores ejus cæci; omnes neſcierunt, universi canes iſti non valentes latrare.* Et rurſus: *Ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam.* Et alibi: *Diſcite bonum facere, quærite judicium.* Et de populo: *Facti ſunt in rapinam, & non eſt qui eruat; in direptionem, & non eſt qui dicat, redde.* . . . . . ipſe poſtmodum. Iſraël de inſipientia . . . . . ait. *Sacerdotes non dixerunt: ubi eſt Dominus? Et tenentes legem meam neſcierunt me.* Et item: *Novate vobis novale, & nolite ſerere ſuper ſpinas.* Et rurſus: *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili; & cælos, & non erat lux in eis.* Et de ſermonibus ſiccitatis: *Cerva in agro peperit, & reliquit, & onagri defecerunt quia non erat herba.* Unde ait Beatus Hieronymus: Siccitas hæc ſæpe accidit in Eccleſiis quando cervi, & onagri inveniuntur in populis, qui * magiſtrorum penuria contabeſcunt: Sunt qui poſſint diſcere; & non ſunt qui poſſint docere.] Quomodò enim Paſtor eſſe poterit, qui non noverit de paſcuis judicare; nec diſcernat inter pecus mundum & immundum, & lepram & lepram, uvámque maturam & acerbam minimè intelligat? unde revera cognoſcere poſſumus, irato Domino ſtultos paſtores in Eccleſiis conſtitui, rurſumque placato ſapientes eo præſtante ordinari. Quod ipſe quoque poſtulata flagella indulgentiam Iſraël per eumdem Hieremiam repromittens ait: *Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ.* Stulti enim Epiſcopi non Paſtores, ſed Incubones dici poſſunt, eo quòd ſanctam incumbent Eccleſiam; non errantes

Iſaïæ 3.
Iſai. 56. 10.
Ibid. 11.
Iſai. 1. 17.
Idem. 42. 22.
Ieſem. 2. 8.
Ierem. 4. 3.
Ibid. 23.
Id. 14. 5. 6.
S. Hieronymus in idem cap. 14. *al.* * &
Ierem. 3. 15.

Digitized by Google

requirunt oves, sed collectas etiam errare permittunt, ut
Iudic. 21. 24. unaquæque per viam quam voluerit gradiatur, & in his revera impleatur quod in Judicum volumine legitur: *In diebus illis non erat Rex in Israël, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat.* De talibus quidem legitur in Evangelio: *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Gregorius: Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, cùm per Prophetam dicitur: *Ipsi Pastores ignoraverunt scientiam.* Quos & rursus Dominus detestatur dicens: *Et tenentes legem nescierunt me.* Et nesciri se ergo ab eis veritas conqueritur, & nescire se principatum nescientium se protestatur: quia profectò hi qui ea quæ sunt Domini nesciunt, à Domino nesciuntur, Paulo attestante qui ait: *Si quis autem ignorat, ignorabitur.* Plerumque* Pastorum imperitia meritis congruit subjectorum, quia * quamvis lumen scientiæ suâ culpâ exigente non habeant, districto tamen Dei judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam veritas dicit: *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadent.* Hinc Psalmista non optantis animo, sed prophetantis ministerio denunciat dicens: *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.* Oculi quippe sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi providendi itineris officium suscipiunt, quibus nimirum qui subsequenter inhærent dorsa nominantur. Obscuritatis ergo oculis dorsum flectitur; quia cùm lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profectò cuncti ad portanda peccatorũ onera curvãtur qui sequuntur.] Item: [Sunt plerique Pastorum, qui dum metiri se nesciunt quæ non didicerunt docere concupiscunt: qui pondus magisterii tantò leviùs æstimant quantò vim magnitudinis illius ignorant. Ut qui* indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetunt, à præcipitationis suæ ausibus in ipsa locutionis janua repelluntur. Nulla ars doceri præsumitur, nisi in tanta priùs meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua* temeritate suscipitur; quoniam est ars artium, regimen animarum? Quis au-

S. Grego. in parte 1. l. 1 curæ Past. cap. 1. *Isaiæ 56. 11.* *Ierem. 2. 8.* *1. Cor. 14. 38.* *al.* * Quæ nimirum sæpe *al.* * qui. *Matt. 15. 14.* *Psal. 68.* Greg. ubi suprà, in prolog. part. 1. *al.* * quia. *al.* * in magna.

Digitized by Google

tem cogitationum*vulnera altiora eſſe neſciat vulneribus viſcerum? Et tamen ſæpe qui nequaquam ſpiritualia præcepta cognoverunt, cordis ſe medicos profiteri non metuunt; dum qui pigmentorum vim neſciunt, videri medici carnis erubeſcunt. Sunt etiam nonnulli qui intra ſanctam Eccleſiam per ſpeciem regiminis gloriam affectant honoris: videri Doctores appetunt, tranſcendere ceteros concupiſcunt, atteſtante veritate primas ſalutationes, primos recubitus in cœnis, primas in conventibus* cathedras quærunt: qui ſuſceptæ curæ paſtoralis officii miniſtrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad humilitatis magiſterium ex ſola elatione pervenerunt. Ipſa quippe in magiſterio lingua confunditur, quando aliud dicitur, & aliud docetur.] Hinc Jacobus: *Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium ſumitis.*

al. * cogitationem.

Matt. 23. 2.

al. * concionibus.

Jacob. 3. 1.

Item Gregorius: [Qui ſacris neſcit obedire Canonibus, nec ſacris ſit dignus adminiſtrare altaribus. Non debet honoris ducatum ſuſcipere qui neſcit ſubjectos tramite vitæ melioris præire.] Et rurſus: Sicut iniqui & peccatores miniſterium ſacerdotale aſſequi prohibentur, ita indocti & imperiti à tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis ſuis viram bonorum corrumpunt, iſti ſuâ ignaviâ iniquos corrigere neſciunt. Quid enim docere poterunt quod non didicerunt? Deſinat locum docendi ſuſcipere qui neſcit docere. Ignorantia quippe Præſulum vitæ non congruit ſubjectorum [Et alibi: Sit Rector diſcretus ſilentio, humilis* in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda taceat. Nam ſicut incauta locutio in errorem pertrahit, iſta indiſcretum ſilentium hos qui erudiri poterant in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improvidi humanam amittere gratiam . . . . . Cœcus paſtor eſt, qui ſupernæ lumen conſ. . . . . præſentis vitæ tenebris preſſus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conſpicit . . . . . ait: Parvo autem naſo eſt qui ad tenendam menſuram diſcretionis idoneus non eſt. Noſque quippe odores fœtoreſque diſcernimus. Rectè ergo

S. Gregor. part. 2. lib. Paſt. cap. 3.

al. * utilis.

Digitized by Google

per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Et rursus. [Durum quippe est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, non judex vitæ fiat alienæ. Unde rectè per Prophetam dicitur:

Ezech. 13. 19. *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & vivificabant animas quæ non vivunt.* Non morientes quippe mortificat qui justum damnat, & non victurum vivificare nititur qui

S. Isid. lib 3. Sent. c. 56. reum à supplicio solvere conatur]. Isidorus. [Tam doctrinâ quàm vitâ clarere debet Ecclesiasticus Doctor: Nam doctrina sine vita arrogantem reddit, vita sine doctrina

Idem ibid cap 46. inutilem facit.] Item: [Sacerdotes populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant. Testante Domino ad Prophetam:

Ezech. 33. 7. *Speculatorem te dedi Domus Israël. Si non fueris locutus ut se custodiat impius à via sua, ille in iniquitate sua morietur: sanguinem verò ejus de manu tua requiram.*] Prosper.

S. Prosper sive Iulian. Pomerius l. 1. de Contemplat. vita. c. 29. [Quod verò dicit Apostolus, ut nos formam debeamus exhibere fidelibus, quid valebit, si is cui vel exhortandi bonos, vel castigandi malos cura commissa est bene vivendo se imitandum bonis exhibeat, & malos tacendo non arguat?] Miror ergo qua inani deludantur intentione, qui Dominicam parvipendentes censuram qualescumque ad Episcopalem dignitatem eligere quærunt, quos sibi magis utiles quàm Ecclesiæ profuturos suspicantur. Unde sæpe evenire solet, ut nec Ecclesiæ congruos, nec sibi proficuos sentiant: Et dum pro amore hominis Deum offendere non metuunt, ab ipsis solent etiam perpeti injuriam, quos contra Dei nutum provehunt ad Cathedram; ut meritò se errare doleant, qui Dei honorem suo non præposuerant. Unde Beatus Ambro-

3 Ambrosius lib. 3. offic. c. 16. sius ait. [Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus.] Si enim secundùm Beatum Paulum Apostolum.

Rom 8. 26. *Quid oremus, ut oportet nescimus*, quomodò scire possumus . . . . . quæ evideant, ita fuerunt . . . . si nostræ solius curæ committamus. Hinc rarò omnino eveniet, quod pro . . . . . *Primùm quærite regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia*

Digitized by Google

adjicientur vobis. Si quis . . . . . ſari tenta- Matt. 6. 33.
verit, ut ſibi profutura abſque juſtitia quærant, ſeipſum
deſtruere . . . . . ſtabilire valebit. Ait enim
ipſe de divite plurima ſibi in futuro promittente: *Stulte* Luc. 12. 20.
hac nocte repetent animam tuam: quæ autem paraſti cujus
erunt? Et alibi. *Omnis plantatio, quam non plantavit*
Pater meus cæleſtis eradicabitur. Et rurſus: *Qui mecum non* Matt. 15. 13.
eſt contra me eſt; & qui non colligit mecum, ſpargit. Et Jo-
hannes Baptiſta: *Nemo poteſt habere niſi quod ei fuerit da-* Luca. 11. 23.
tum deſuper. Et Beatus Petrus Apoſtolus: *Humiliamini* 1. Petr. 5. 6.
ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis.
Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam
ipſi cura eſt de vobis. Johannes quoque Evangeliſta ait.
Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſur- Iacob. 1. 17.
ſum eſt deſcendens à patre luminum. Et Jacobus Apo- Ibid. 4. 13.
ſtolus: *Ecce nunc qui dicitis hodie, aut craſtina ibi-*
mus in illam civitatem, & faciemus ibi annum, & merca-
bimur, & lucrum faciemus. Quæ enim vita veſtra? Vapor
eſt ad modicum apparens, deinceps exterminabitur.
Pſalmiſta quoque ait: *Jacta cogitatum tuum in Domino &* Pſal. 54. 23.
ipſe te enutriet. Et item: *Dominus ſcit cogitationes hominum* Pſal. 93. 11.
quoniam vanæ ſunt. Et alibi: *Niſi Dominus ædificaverit* Pſal. 126. 1.
domum; in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Et
Iſaïas ait: *Væ filii deſertores dicit Dominus, ut faceretis* Iſaia. 30. 1.
conſilium & non ex me, ut & ordiremini telam, & non per
ſpiritum meum. Et iterum: *Feciſtis malum in oculis meis, &* Id. 65. 12.
quæ nolui elegiſtis. Et rurſus: *Non enim cogitationes meæ,* Iſaia. 55. 8.
cogitationes veſtræ, neque viæ meæ, viæ veſtræ dicit Domi-
nus. Et alibi: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant.* Ierem. 23. 21.
Hieremias quoque ait: *Maledictus homo qui confidit in* Id. 17. 5.
homine, & ponit carnem brachium ſuum, Et: *Benedictus vir* Id. ib. 7.
qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et item:
Scio Domine, quia non ſunt hominis viæ ejus, nec viri eſt ut Id. 10. 23.
ambulet, & dirigat greſſus ſuos. Et rurſus: *State ſuper vias,* Id. 6. 16.
& videte & interrogate de ſemitis antiquis quæ ſit via bona
& ambulate in ea, & invenietis refrigerium. Maximæ
quidem temeritatis eſt, gratiam ſancti Spiritus injuſtè
afferre*, quam novimus eundem ſpiritum minimè . . . . * offero.

Digitized by Google

. . . . . .

tanquam Aaron. Sed ne aliquis . . . . . odis Dominus sua nobis concessit perquirere mandata. Interrogemus . . . . . testamentum, quàm etiam & per Evangelium, interrogemus Prophetas, interrogemus Apostolos, interrogemus sacrorum Canonum edicta, atque ceterorum sanctorum Patrum statuta, & quod ab eis didiscerimus . . . . . certissimè teneamus. Nullis novis consiliis decipiamur, ut ea quæ ipsi sanxerunt, violare aliquo modo conemur: quoniam qui illorum contendit regulis impugnare, restat ut eorum non mereatur consortium obtinere.

Luca 11. 23. Ait enim ipse Dominus, ut dictum est: *Qui mecum non est, contra me est, & qui non colligit spargit.* Et iterum:

Iohan 10. 1. *Qui non intrat per ostium in ovile, sed aliunde ascendit,*

Id. ibid. 9. *ille fur est & latro.* Unde & mox sequitur: *Ego sum ostium, per me si quis intraverit salvabitur.* Et contra indignos

Ozee 8. 4. Pastores ipse per Prophetam queritur dicens: *Ipsi regnaverunt & non ex me, principes extiterunt & non cognovi.*

S. Gregor. in parte 1. curæ Past. c. 1. Unde ait Beatus Gregorius: [Ex se namque, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitùs vocati, sed sua accensi cupidine culmen regiminis rapiunt potiùs, quàm assequuntur.] Inutiles namque Sacerdotes internus Judex & provehit, & non cognoscit, quia quos permittendo tolerat, profectò in eis judicium approbationis ignorat. Unde ad se quibusdam per miracula venientibus dicit.

Matt. 7. 23. *Recedite à me operarii iniquitatis, nescio qui estis.* Sanè sciendum, quia tunc poterit Episcopalis reverentia manere sincera & illibata, si ordinationis fuerint competentia in omnibus jure servata. Nam qui diligenti examine regulariter fuerit electus pro Christi misericordia credimus, quia suis existentibus culpis vix unquam erit dejectus. Sed quia irreligiosè eliguntur, inaniter ordinantur, indifferenter accusantur, injustè opprimuntur, perfidè dejiciuntur, crudeliter etiam aliquando & necantur. Omnia tamen quæ pro tali illicita ordinatione mala eveniunt, ad Ordinantis pertinere periculum ma-

Digitized by Google

nifeſtum eſt. Denique tamdiu inquirendus, vel excommunicandus eſt qui ad Pontificalem provehatur gratiam, quamdiu talis inveniatur qui pro ſuis meritis dignè ab omnibus veneretur, & à nemine jam in poſterum accuſetur, nullamque ejus ſancta converſatio turpem ultra oriri permittat vel ſuſpicionem. Ait enim Beatus Auguſtinus. [Qui Paſtorum nomen audire volunt . . .

greges mei, & non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea Pastores audite verbum Domini. Vivo ego dicit Dominus, quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eò quòd non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores gregem meum; sed pascebant pastores semetipsos, & greges meos non pascebant. Propterea Pastores audite verbum Domini; Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit eis ultrà in escam. Quia hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum: sic visitabo oves meas, & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam: & pascam eas in montibus Israël, in rivis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël sunt pascua earum ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Ego pascam oves meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram: & quod abjectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo, & quod infirmum erat, consolidabo, & quod pingue & fortius custodiam: & pascam illas in judicio. Quis rogo est Deus, ut ea, quæ ad ipsum specialiter pertinent, nostris audeamus usibus retorquere, & quæ suis jubet committere dilectis, nostris ne timeamus tribuere asseclis? Nunquid nos pariter & ipsos cùm voluerit perpetuis poterit implicare ruïnis? Non enim quæ nobis delectant hæc agere, sed quæ à Deo jubentur custodire oportet. Nec considerabimus quòd sint aspera, sed potiùs intendamus, quòd omninò sint obser-
Gen. 12. 1. vanda. Nam cùm diceret Dominus ad Abraham: *Exi de terra tua, & de cognatione tua; & vade in terram quam monstravero tibi.* Mulcebat Abraham suorum suavitas,

Digitized by Google

vitas, ſed imperii cœleſtis, & remunerationis æternæ conſideratio eum ampliùs movebat: immutari quapropter in melius malas convenit conſuetudines, & unuſquiſque ſuum miniſterium ſollicitè cuſtodiat, nec alienum uſurpare intendat. Clerici militiam non exerceant, nec publica vectigalia exigant, & fœnus nullo modo exequantur. Laïci quoque cujuſcumque ſint ordinis vel dignitatis eccleſiaſticarum rerum dominationem vel diſpenſationem arripere non præſumant: nec aliquem in Clericorum gradu conſtitutum judicare aut vexare conentur, niſi ab Epiſcopis, ad quos, ut jam ſuprà dictum eſt, pertinent pro aliqua utilitate invitentur. Ait verò Beatus Papa Cornelius: Laïcis quamvis religioſi ſint, nulla tamen de eccleſiaſticis facultatibus aliquid diſponendi legitur unquam attributa facultas. Beatus quoque Johannes Baptiſta Publicanis & Militibus ad ſuum baptiſma venientibus, & quod facerent interrogantibus dixit: *Nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis faciatis; & neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Stipendiis quidem ſuis contenti ſunt qui illicita non appetunt, nec aliena concupiſcunt. In electione verò Pontificum . . . . . Luca 3. 13.

juſtè aliqua poterit objicere, licentiam habeat in omnibus tunc veni . . . . . à benedictionis removeatur gratia. Si verò dignus inventus fuerit tunc eum . . . . . ad cujus devotionem eadem parochia pertinere videtur, ſolemniter & devotiſſimè . . . . . omnium adverſariorum linguæ refrænentur, nec ſibi jam licere putent contra Prælatum quod dudum licuit . . . : nullúſque eum accuſare vel judicare ulterius præſumat, niſi quemadmodum Canonum docent edicta. De quibus nè à nobis omninò viderentur omiſſa, quædam quamvis pauca in principio hujuſce noſtræ annotationis commemorare curavimus. Sed & ſi cui fortaſſe & illa non ſufficiunt, ſanctorum Patrum ſtatuta diligentiſſimè perquirat, ut pleniùs inde inſtrui valeat.

Explicit Pars ſecunda de Ordinationibus Epiſcoporum.

Digitized by Google

PARS TERTIA.

De Facultatibus Ecclesiarum.

PRÆTERIRE nempe non possumus, quòd res ecclesiasticæ post mortem vel expulsionem Episcopi in direptionem & rapinam secularibus tradantur: cùm dignum sit quòd ea quæ in episcopio remaneant per œconomum, & ceteros dispensatores Ecclesiæ usque ad ordinationem futuri Episcopi intemeratè serventur, nè ab aliis per quodvis ingenium ullo modo subripiantur. Quid enim interest si vivente Episcopo, aut post mortem ejus res ecclesiasticæ ab exteris diripiantur? aut quid prodest si similia conserventur, horrea autem & cellaria, clerus & familia, & cetera quæ ad Ecclesiam pertinent deprædentur? Talibus enim ait Dominus in Evangelio:

Matt. 23. 17. *Vos dicitis qui jurat in altari non debet; qui autem jurat in auro quod super altare est, debet. Stulti & cæci, quid est plus aurum, an altare quod sanctificat aurum?* Et iterum:

Ibid. 24. *Culicem liquantes, & camelum glutientes.* Denique si necesse fuerit, omnis Ecclesiæ thesaurus laudabiliter in prædictis expenderetur; nihil tamen horum pro thesauro commutandum est: verùm omnia quæ ad usus Ecclesiæ pertinent, ornamenta Ecclesiæ sunt, præcipuè Sacerdotes, Clerus & familia, nec possunt absque periculo abuti. Hujuscemodi ergo sanctarum Ecclesiarum persecutores Beatus Pius Romanus Pontifex increpans ait:

Pius Papa I. Epist. 2. [Ad Sedem Apostolicam perlatum est, quòd sint inter vos contentiones & æmulationes, & prædia divinis usibus tradita quidam humanis applicant usibus, & Domino Deo, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus secretorum cælestium dicata à quibusdam irruentibus vexentur. Quòd si quisquam præsumpserit sacrilegus habeatur, & sicut sacrilegus judicetur. Ipsos autem qui hoc agunt,

Digitized by Google

Clericos & Domini Sacerdotes perſequi, eóſque infamare audivimus, ut malum ſupra malum addant, & deteriores fiant; non intelligentes quòd Eccleſia Domini in Sacerdotibus conſiſtit, & creſcit in templum Dei. Et ſicut qui Eccleſiam Dei vaſtat, & ejus prædia & donaria expoliat, & invadit, fit ſacrilegus; ſic ille qui ejus Sacerdotes inſequitur ſacrilegii reus exiſtit, & ſacrilegus judicatur. Nunquid ſi aliquis monilia ſponſarum veſtrarum detraxiſſet, injuriam eis, & potiùs vobis factam conquereremini? Ait enim Beatus Gregorius: Omnis qui noſtra tollit inimicus eſt. Cùm enim omnia quæ ſponſa habere videtur, ad ejus ſponſi conſtet reſpicere dominium, & ſanctam Eccleſiam Chriſti ſponſam eſſe nullus abneget Catholicus, omnia quæ Eccleſiæ ſunt, Chriſti eſſe probantur; & quæ ab ea aufferuntur, ipſi procul dubio tolluntur.

Revera ergo inimicus Chriſti efficitur, qui eccleſiaſticas reſ uſurpare conatur, nec immeritò eadem decidet ſententiâ, quam beatus David proclamans ait: *Inimici verò Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Qui enim Deo creatori ſuo, & omnium beneficiorum datori inimicus eſſe probatur; homini, per quem hæc tantummodò miniſtrari aliquo modo poſſunt, fidelem ſe eſſe revera mentitur. Quid ergo juvat eos eſſe Chriſtianos, & Chriſti deprædari Eccleſiam? Quod Beatus Paulus Apoſtolus increpans ait: Qui abominaris idola ſacrilegium facis. Divinæ enim res non hominum poſſeſſiones eſſe noſcuntur, nec licet ſecularium dignitatum inde fieri additamentum: quoniam Eccleſiaſticorum vel pauperum ſunt præparata ad uſum. Decet namque ut ſancta Eccleſia inconcuſſa atque inoffenſa ab omnibus obſervetur Chriſticolis, nec in aliquo dehoneſtetur ab ipſis. Sponſa enim, ut jam diximus, Chriſti eſt, & omnium domina, qui ſe de Domini confitentur eſſe familia. Quis ergo tam inſipiens Chriſtianus ejus ſe dominum audeat nominari, vel ejus rebus præſumptivè perfrui? Scriptum quippe eſt: *Non eſt ſervus ſuper Dominum ſuum.* Dignum enim procuratorem ei inter homi-

Pſal. 36, 20.

Matt. 10. 24.

Digitized by Google

nes invenire vix possumus, Dominum autem ejus penitus ignoramus præter illum, de quo Johannes Baptista ait: Joan. 3. 29. *Qui habet sponsam, sponsus est.* An sancta Ecclesia sponsa Christi . . . . . summa itaque Salomone ipsam . . . . . rursus devotissimè imploremus, ut ipsam pro nobis ad eum interced . . . . . auferre, sed devotissimè, quæ necessaria sunt inibi postulare . . . . . re, nam & David esuriens propositionis panes de templo arripere vi non præsumpsit . . . . . donis verò, quamvis à Rege missus, quia de templo Dei aliquid auferre voluit, ab Angelo percussus est. Sed quid mirum, si fidelis Princeps rem Deo dicatam in maxima quamvis constitutus necessitate arripere timuit, cùm etiam ab ipsis paganis & barbaris tam in veteri Testamento quàm in novo hoc ipsum observatum legamus. Nam Pompeius vir gentilis & bellicosus cùm rebellantem Hierusalem expugnasset, infinitam thesauri copiam in templo Domini audierat congregatam, ad quam cùm modo videndi solùm causa accessisset, cuncta quæ aderant sibi sigillatim jussit exponi. Quarum multitudinem admirans, nihil penitus exinde contingere præsumpsit. Item Alericus vir infidelis & barbarus cùm bello Romanam cepisset urbem, omnia quæ ad Ecclesiam confugerant salva esse permisit. Et hoc illi divina mysteria ignorantes. Catholici verò Principes manifestum est quia Ecclesiæ Dei non præsumpserant dominari, sed elegerant sedulè famulari. Idolis quoque servientes terram Sacerdotum, vel templorum suorum à publica functione removebant. Quod & de Pharaone Rege Ægypti legimus, qui cùm omnem terram Ægypti suæ redegisset ditioni, terram Sacerdotalem excepit, & indemnem permisit.

Quid ergo de illis, quia quæ ad præsens inveniunt deprædentur, & quæ in futuro congregari posse credunt, exactori quasi sub pastoris nomine vendunt, & quantò majora fuerint patrimonia, tantò prolixius Episcopalis ordinatio propalatur; ut nihil remaneat indiscussum, quod utile videatur ad usum? Et sic pariter luat Ecclesia

Digitized by Google

animarum diſpendium, amiſſionem & rerum. Et tunc tandem noviſſimè ſequitur Epiſcopalis ordinatio, quam parcorum * præcedit electio: nec inquiruntur merita, ſed potiùs eliguntur munera. Cujus unquam prædia toties deprædata & poſtmodùm venumdata, quemadmodum ſanctæ Eccleſiæ inveniuntur? Aut quibus ſacrificiis tales poterunt expiari prædones? Denique ſcriptum eſt: *Si peccaverit vir in virum placare ei poteſt Deus: ſi autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo.* Quidam & ab ipſis Epiſcopis fuerint cautione firma . . . . . *Omnes Principes eorum qui dixerunt: Hereditate poſſideamus ſanctuarium Dei. Deus meus pone illos ut rotam: & ſicut ſtipulam ante faciem venti.* Et Hieremias: *Hæc dicit Dominus. Adverſum omnes vicinos meos peſſimos, qui tangunt hereditatem, quam tribui populo meo Iſraël. Ecce ego evellam eos de terra ſua:* Dignum . . . . qui Eccleſiaſticas res, Dei ſiquidem hereditatem comtaminare præſumant à propria qua juſtè perfrui poterunt, excludantur.

* pravorum.

1. Reg. 2. 25.

Pſal. 82. 13.

Ierem. 12. 14.

Hoc verò diligentiſſimè intuendum eſt, quia Deus omnipotens, quamvis noſtris exigentibus culpis Eccleſiam ſuam flagellare voluerit per deprædationem, vel aliquam contritionem, non ſuis dilectis, ſed illis hoc agere permittit, quibus diram exinde in poſterum reddat viciſſitudinem. Ut in Iſaïa legimus de Hieruſalem dicente Domino ad Babyloniam: *Sede tacens intra tenebras filiæ Chaldæorum; quia non vocaberis ultra domina Regnorum. Iratus ſum ſuper populum meum, & contaminavi hereditatem meam, & dedi eos in manu tua, non poſuiſti eis miſericordias.* Quamvis enim Chaldæos Dominus ad capiendum Iſraël miſerit, ſed qui crudelitate in eis propria abuſi ſunt, & majores illis impoſuerant plagas quàm Dei ultio eflagitabat, iratum ſe adverſus eos manifeſtiſſimè clamat. Et paulò pòſt rurſus ad Hieruſalem: *Eos verò qui judicaverunt te ego judicabo, & omnem linguam reſiſtentem tibi, judicio judicabis.* Et item: *Non in ſempiternum litigabor, neque uſque ad finem iraſcar.* Et iterum: *In indignatione meâ percuſſi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui.* Et Hieremias: *Sanctus Iſraël Domino primitiæ frugum ejus, omnes*

Iſaiæ 47. 5.

Iſaiæ 49. 25.

Id. 54. 17.
Id. 57. 16.

Id. 60. 10.

Ierem. 2. 3.

Digitized by Google

qui devorant eum delinquent, mala venient super eos dicit
Psal. 19. 9. *Dominus* : Et David in Psalmis: *Ipi obligati sunt, & ceciderunt; nos autem surreximus & erecti sumus.* Et item: *Qui*
Psal. 26. 2. *tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.*
Psal. 88. 33. Et Dominus de Israël rursus: *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eis; neque nocebo in veritate mea.* Et item Hieremiasad Dominum: *Tradidisti enim nos, ut emendaremur; illi autem aggravaverunt jugum suum super nos.*
Matt. 18. 6. Et Dominus in Evangelio: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Sed dicet aliquis. Quamvis enim res ecclesiasticæ à me detineantur, liquet, quia plura beneficia . . . . .
Quæ ergo opera . . . . . .
largiri vel fortasse potiùs ipsi . . . . . .
succendi? architecta reparari. Clamat Dominus per
Osee. 6. 6. Osee: *Misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam*
Isaiæ 61. 8. *Dei plusquam holocausta.* Et item: *Ego Dominus diligens judicium & odio habens rapinam in holocausto.* Deus justorum diligit paupertatem, quàm divitum munera, quæ de rapinis sunt . . . . . Deus
S. Ambros. lib. 1. offic. c. 30. ad munera Cain; quia quamvis rectè offerret, tamen non rectè dividebat cum fratre. Ait enim Beatus Ambrosius: [Non probatur largitas, si quod alteri largitur,
al. * quærat. alteri quis extorqueat, si injustè acquirat*, ac justè dispendendum putet]. Et item: [Fundamentum igitur habeat liberalitas tua. Hoc primum quæritur ut cum fide conferens fraudem non facias oblatis.] Et paulò pòst: [Si non potest alteri subveniri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari quàm gravari alterum. Quamvis quidam perversè intelligentes assumant sibi in testimonium,
Luca. 16. 9. quod Dominus ait in Evangelio: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis recipiãt vos in æterna tabernacula.* Mammona enim divitiæ sunt, quæ bene iniquitates dicuntur, quòd seculares divitiæ vix crescunt nisi absque rapina. Omnis enim rapina iniquitas est, sed non omnis iniquitas rapina: iniquitas enim dicitur quid-

Digitized by Google

quid plus vel minus æquo ſit; rapina autem eſt præda dicta à rapiendo, id eſt à violenter capiendo. Non ergo jubemur amicos de rapina facere, ſed de mammona iniquitatis. De rapina autem eleëmoſynam dare nullatenus poſſumus. Quod Zachæus ille plublicanus prudenter conſiderans, ait ad Dominum: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Totum enim daret pauperibus, ſi ſe innocenter ante converſionem vixiſſe cognoſceret; ſed quia aliquid per fraudem ſe abſtuliſſe conſideraverat, dignum cenſuit priùs ablata juxta legem reddere, & ſic poſtmodum quæ remanſerant pauperibus erogare. Antiqua enim lex in quadruplum reſtitui jubebat ablata. Et quia dimidiam bonorum ſuorum partem, adhoc ſufficere credidit, competenter & dimidiam egenis diſtribuit, ſibique nihil in poſterum reſervavit. Igitur ſi evenerit ut quibus reddantur, quæ injuſtè ablata ſunt, vel heredes ipſorum inveniri non poſſint melius eſt ut ipſorum, cujus . . . . . fecerit Domino . . . . . exemplum, utſpe eleëmoſynæ faciendæ, l . . . . . laudatus eſt, ſed de prudentia. Nam ſi de bonitate . . . . . non vocaretur, ſed in eo ejus laudatur prudentia, quia proſpexit . . . . . à nobis imitandum eſt. Villici ſanè omnes ſumus, quia diſpenſationem dominicarum rerum omnes accepimus. Nam ſecundùm Beatum Paulum Apoſtolum: *Nihil habemus quod non accepimus, & nihil intulimus in mundum, nec efferre quid poſſumus.* Tempus faciendæ villicationis & reddendæ rationis fini intentæ prope eſt. Ergo proſpiciamus nobis in futurum, & dum tempus habemus operemur bona ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei. Quoniam ſicut ait Beatus Ambroſius: [Omnibus debemus miſericordiam; ſed quod plerique eam fraude quærunt, & adfingunt ærumnam; Ideò ubi cauſa manifeſtatur, perſona cognoſcitur, tempus urget, largiùs ſe debet profundere miſericordia.] Unde Beatus Johannes Apoſtolus ait: *Nolite credere omni ſpiritui, ſed probate*

Luc. 19. 8.

1. Tim. 6. 7.

S. Ambroſ. l. 1. offic. c. 30. ante med.

1. Ioan. 4. 1.

Digitized by Google

utrum ex Deo sit. Talibus ergo opem inferre non desistamus, ut ipsorum meritis & intercessionibus introduci mereamur in æterna tabernacula.

Sed quia asperum quod denunciamus observare volentibus omnino videtur, dum penitus blasphemare sanctarum scripturarum non audent Auctores, ipsos persequi non omittunt relatores; ut quasi securius de ignorantia se excusari possint si hæc minime audierint. E contra nos

Ezech. 3. 17. Dominus admonet Ezechieli Prophetæ dicens: *Tu fili hominis speculatorem te posui domui Israël, audiens de ore meo verbum, annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat: Ipse impius in iniquitate sua morietur: Sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annunciaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate & via sua mala; ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.*

Iacobi 5. 20. Et Jacobus Apostolus: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam; & operiet multitudinem peccatorum.*

Isaiæ 58. 1. Isaïas quoque ait: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Israël peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens quæ justitiam fecerit, & judicium Dei sui non reliquerit: rogant me judicia justitiæ, appropinquare Deo volunt.* . . . . .

1. Pet. 3. 14. . . . . . Et rursus. *Sed & si quid patimini propter*

Ibid. *justitiam, beati eritis.* Et iterum: *Timorem non timueritis, & non conturbemini:* Cùm enim subjectionem nobis imperaret, ait propter Deum: quia præter eum nil nobis intend . . . . . arte compellamur. Et

Id. 2. 17. rursus: *Deum timete, Regem honorificate.* Quia sic Rex honorificandus est, ut Dei amor præcedere videatur.

Vnde supra. Unde & remunerationem promittens mox adjecit: *Sed*

Ibid. *& si quid patimini propter justitiam beati eritis.* Et item: *Timorem autem ne timueritis, & non conturbemini.* Et Beatus Paulus Apostolus ad Titum: *Admone illos Principibus & potestatibus subjectos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* Unde ait Beatus Hieronymus: [Si

Tit. 3 2.

bonum

Digitized by Google

bonum eſt quod præcipit Imperator & Præſes, jubentis obſequere voluntati: Sin verò malum, & contra Deum ſapit, reſponde illud ei de actibus Apoſtolorum: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* [Beatus quoque Ambroſius ait: [Licet tibi ſilere in negotio dumtaxat pecuniario, quamquam ſit conſtantiæ adeſſe æquitati. In cauſa autem Dei ubi commune periculum eſt, etiam diſſimulare peccatum eſt non leve.] Et item. [Epiſcopus neq; adulantem ſe, neque adulandum cuique exhibeat. Alterum enim calliditatis eſt, vanitatis alterum.] Unde valdè metuendũ eſt, ne humanam obſervando gratiam, divinam adverſus nos concitemus iram; & dum à momentaneis adverſariorum nos præcavere quærimus, inſidiis, æternis mancipemur periculis, & illud eveniat quod in Salomone legitur: *Qui timet pruïnam, irruet ſuper eum nix.* Ait enim Dominus in Evangelio: *Qui me erubuerit & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet cùm venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Et Beatus Sixtus Papa ait: [Meritò namque cauſa nos reſpicit, ſi ſilentio faveamus errori.] Et Iſidorus: [Qui corrigere poteſt & diſſimulat, verum eſt quia conſenſum erroris alieni habeat.] Et Beatus Hieronymus. [Omnis correctio quæ proficit ad ſalutem, ad præſens videtur eſſe triſtitiæ, ſed poſteà fructus habet pacificos. Sed quod abſque gravi dici non poteſt gemitu . . . . . modò vel gloria vitæ temporalis per adulationis lapſum ſe terrenis poteſtatibus . . . . . ſubjiciunt. Et hoc certè quidam ideò facere videntur, ut ipſorum delicta potentium auctori . . . . indiſcuſſa relinquantur, ſibique conſcii de proprio timent facinore argui, ſi illorum defendere pravitates non decertaverint. Quos & congruenter admonet idem dicens: Conſideret namque homo cum quo adverſario bellum gerat, in ſuam ſe mali, quo deliquiſſe perpendit, ſaltem ad culpam protrahi, ex culpa pertimeſcat. Talibus quidem Dominus etiam per Iſaïam comminatur dicens: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tene-*

Act. 5. 29.

S. Ambroſ. l. 1. offic. c. 47.

Iob. 6. 16.

Luca 9. 26.

Iſidor. lib. 3. Sent. c. 44.

Iſaiæ 5. 20.

Digitized by Google

Id. 1. 22. *bras.* Et ſuprà ad Hieruſalem : *Caupones tui miſcuerunt*
S. Hieronym. lib. 4 in Hierem. c. 13. *vinum aquæ.* Hieronymus : [Sæpe imitatur mendacium veritatem, & niſi habuerit aliquam recti ſimilitudinem, decipere non poteſt innocentes.] Et iterum : [Si aliquando nobis pro neceſſitatibus & anguſtiis humilitas opus eſt, ſic eam ſumamus, ne veritatem & conſtantiam deſeramus. Quibuſdam etiam nec ſe tantummodò erraſſe ſufficit, ſed ad ſui detrimenti cumulum quoſque in errorem proprium deducere quærunt. Reſiſtentes quoque ſibi in hujuſmodi in tantum protervè increpant, quantum ſe in perverſorum potentia gratioſiùs confidunt. Nam ſemper mendaces vera dicentibus adverſantur, & iniqui fideles perſequi non omittunt : quia ſecundùm Beatum Ambroſium : Plerumque etiam ex doctrina arrogantia naſcitur. Hinc & legimus in Hieremia, quòd Semei Pſeudo-propheta iratus ſit contra mendacium ſuum, vera ſcripſiſſe Hieremiam. Unde & Dominus : Ecce ego
Iſaiæ 1. 5. viſitabo ſuper Semeïam. Et Iſaïas : *In quo percutiam vos*
Pſal. 124. 5. *ultra addentes prævaricationes?* Item in Pſalmis : *Declinantes autem in obligationem, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Et Petrus Apoſtolus : *Omnis pro-*
2. *Pet.* 1. 20. *phetia vel ſcriptura propria interpretatione non fit.* Et
2. *Iohan.* 9. Johannes : *Omnis qui præcedit, & non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet.* Et Jacobus : *Si zelum amarum*
Iacob. 3 14. *habetis, & contentiones in cordibus veſtris, nolite gloriari.* Hi etenim injuſtè damnari nihil metuunt proximum, ubi favorem ſperant acquirere Principum, de quibus etiam & B. Papa Alexander . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .

Digitized by Google

ATTONIS EPISCOPI VERCEL. EPISTOLÆ.

DOMNO VALDONI Reverendo Episcopo.

ATTO gratiâ Dei humilis Episcopus fidele servitium cum devotis orationibus.

MULTAS vestræ charitati mercedes referimus pro tam benevola legatione gratiâ fraternitatis susceptâ. Quod autem vos nobiscum colloquium habere velle indicastis, vel cum nostro Misso, Deus scit, quia si debita inter nos unitas permaneret, libenter in vestrum & veniremus & dirigeremus servitium. Sed quod pejus est tanta inter nostrum Seniorem & vos excrevit dissensio, ut nec loquendi, nec nostrum Missum dirigendi in vestrum servitium absque ejus licentia nobis nunc tempus conveniat. Verumtamen quod magis in commune necessarium esse cognovimus, debitæ charitatis vinculo constricti celare vobis minimè valemus. Humiliter vestram rogantes Celsitudinem, ut quæ à me vestro fideli, quin & infimo confratri humiliter dicenda sunt, depositò supercilio pacificè audire dignemini. Non te, Domine, lædat, quòd aliquid quasi magistrando tibi insinuare præsumam, qui ut familiaris vernaculus suggerere vestræ magnificentiæ oportuna desidero. Unde, Domine mi, tanta vestro cordi subripere potuit temeritas? unde tanta exquiri potuit occasio? unde vestra mens tam citò potuit concitari, ut Sacerdotalis immemores reverentiæ, ex improviso à vestro discederetis Seniore, vestrisque benevolis Confratribus, & gratis in ipsos insurgere non vereremini? Non leve est regalem impugnare Majestatem, etsi injusta in aliquo videatur. Dei enim ordinatio est. Dei est dispen-

Digitized by Google

satio. Profanum est enim violare quod Deus ordinat. Ait
Exod. 23.28. enim Dominus per Moysen: *Principem populi tui ne maledicas.* Namque cui nec maledicere licet, liquidò patet
Psal. 104.15. quia & persequi non licet. Et per Beatum David: *Nolite tangere Christos meos.* Quod quanta mansuetudine ipse observaverit manifestum est. Certè jam Saül suâ protervia ab ipso Deo fuerat reprobatus; jam & ipse David divinâ gratiâ in Regem fuerat unctus, & tamen cùm in spelunca in manus ipsius Saül incidisset, dixerunt servi
1. Reg. 24. 5. David ad eum: *Ecce dies de qua Dominus locutus est ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo David, & præcidit oram chlamydis Saül silenter. Post hæc percussit cor suum David eo quod abcidisset oram: dixitque ad viros suos: propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut descendens in prælium perierit; propitius sit mihi Dominus, ne mittam manum meam in Christum Domini. Et confregit David viros suos sermonibus, & non permisit eos, ut consurgerent in Saül.* Quamvis enim de illius abjectione, suáque electione minimè dubitaret, eóque persequente usque ad interna coarctaretur speluncæ, tamen manum in eum extendere noluit, sed divinum judicium expectavit. Et quod oram tantummodò chlamydis ipsius absciderit, posteà eum pœnituit, eò quòd Principis indumentum vel in aliquo dehonestaverit. Sic Rex electus reprobato pepercit, quamvis ab ipso innocens persequeretur, nimísque angustaretur injustè.

Samuel quoque cùm jubente Domino hunc jam Regem super Israël unxerit, vocatus à Saüle ire non distulit,
1. Reg. 12. 23. quin & pro eo se oraturum spopondit, dicens: *Absit à me ut cessem orare pro te.* Sed nunc rebelles milites resistere Domino suo manu armata non formidant, eúmque ex-
Matt. 15. 14. pellere à Regni solio omnimodis laborant. De talibus enim ait Dominus: *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum: Cæcus enim si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam ca-*

Digitized by Google

dunt. Sacerdotes verò Dei, quibus divina sunt perscrutanda mandata, non tantùm se custodire à talibus, sed etiam alios quos valent retrahere convenit. Certè ipse Dominus tributum jubente Cæsare dare nullo modo prohibuit, dicens: *Reddite quæ Cæsaris sunt Cæsari.* In quo non tantùm tributi redditio, sed totius debiti honoris reverentia intelligendum est. Quod etiam ipse cum ab exactoribus, ut redderet, urgeretur, non dedignatus est persolvere; sed ait Petro: *Vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me, & pro te.* Unde & ipse tantâ Magistri eruditus doctrinâ, admonet Ecclesiam omnimodè Regibus servare obedientiam. Ait enim: *Deum timete, Regem honorificate.* Nam post timorem Dei, qui sapientiæ initium est, Regium statim præcepit servandum esse honorem. Et item: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Sic enim nos Regi subjectos esse docet sicut præcellenti: sic Ducibus tamquam ab eo missis. Multum namque est inter Principem, & missum ab eo. Sed hæc Princeps docet Ecclesiæ. Videamus quid & ejus socius. *Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei minister est tibi in bonum. Si autem malè feceris time. Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est; vindex in iram ei qui malè agit. Ideò necessitate subditi estote: non solùm propter iram, sed & propter conscientiam: ideò enim & tributa præstatis: ministri enim sunt Dei in hoc ipsum servientes. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Item ad Timotheum: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui sunt in sublimitate constituti.*

Matt. 22. 21.

Matt. 17. 26.

1. *Pet.* 3. 14.

Ibid. 2. 13.

Rom. 13. 2.

1. *Tim.* 2. 1.

Digitized by Google

Nam & Beatus David cùm peccatum suum Domino
Psal. 50. 6. confiteretur, ait: *Tibi soli peccavi*: Quam sententiam diligentissimè exponens Cassiodorus dicit: De populo si quis erraverit, & Deo peccat & Regi: nam quando Rex delinquit soli Deo reus est, quia hominem non habet qui ejus facta dijudicet. Meritò ergo Rex Deo tantùm dicit se peccasse, quia solus erat, qui ejus potuisset admissa discutere. Sed quid dicendum est de omnibus aliis sanctis Doctoribus in hoc consentientibus? Qui verò contra hos omnes calcitrare voluerit, liquidò patet, quia ex Dominicis ovibus non erit, vocem Domini non audit, bonum pastorem non cognoscit, pascentem oves non intelligit, magistrum spernit. Supereſt ut fur sit & latro, mactet & perdat. Et si in ovili Dominico se conspicit, consideret unde vel quomodò intravit. Ait
Luca 11. 23. enim Dominus: *Qui mecum non est, adversum me est: & qui mecum non colligit, spargit.* Sanè sciendum, quia cùm Deus omnipotens, utitem populo Principem donare dignatur, justum est ut ei hoc pietati adscribant, & grates exinde dignas persolvant: si autem adversus fuerit, suis hoc imputent peccatis, ipsúmque flagitare non desinant, ut hoc secundùm multitudinem misericordiæ suæ propitius disponat. Nam dejiciendus vel impugnandus nullo modo est à populo, quia jam ordinatus est à Deo. Equidem scriptum est in Daniele: *Quia dominatur excelsus in regno hominum, & cui voluerit, ipse dat illud.*
Dan. 4. 14. Nullus de alicujus dejecti Regis injuria sibi assumat fiduciam. Quoniam quamvis mul . . . . . .

. . . . . .

tanti facinoris miserabile pertulisse exitium. Quòd si cui enumerare liceat ab ipsius gentis exordio diligentissimè perquirat, & tunc cognoscere poterit populi hujus destructionem maximè propter hanc evenisse occasionem. Quia donec Regibus repugnare quærunt, & à Pa-
f * ideò ganis undique opprimuntur & à finitimis Gentibus adeò* conculcantur. Et dum præsumunt illicita, à debitis nihilominus privantur honoribus.

Sed quid de Regia fidelitate & Beatus Gregorius dicat,

Digitized by Google

audiamus: Ait enim ad Mauritium scribens Imperatorem : [Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimis Dominis in omne quod agit & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione mea neque ut Episcopus, neque ut servus jure reipublicæ, sed jure privato loquor, quia, serenissime Domine, ex illo jam tempore Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras]. Quamvis enim Mauritius in quibusdam inclementer ageret, & maximè contra ipsum, sicut ipsius scriptis declaratur, tamen Domino hoc committebat, eique fidem servabat, & pro eo orare non differebat. Denique enumeratis injuriis ab eo sibi inflictis, ait rursus : [Inter hæc omnia incerta ad solas lacrymas redeo petens, ut idem omnipotens Deus piissimum dominum nostrum & sua hîc manu regat, & in illo terribili judicio liberum ad omnibus delictis inveniat]. Sed quia Dominus sibi commissam vindictam non differat, eidem Mauritio postea apertè demonstratum est. Beatus quoque Ambrosius cùm injustè persequeretur à Principe, totum se Domino commendabat, nec defendendo resistere quærebat. Taliter Sacerdotes Dei se contra iniquos Principes munire debent. Sicut ait Beatus Paulus Apostolus : *Non vosmetipsos defendentes, Carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est : Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus.* Nam armis defendi, deprædatione vel devastatione vindicari, prædâ ditari, vel homicidio vel detruncatione timeri, non Sacerdotum, sed Dæmonum est. Ait namque Beatus David: *Nolite sperare in iniquitate: & in rapinis nolite concupiscere.* Talia etenim perpetrantes mercenarii dici possunt, pastores autem nullatenus esse possunt. Aut quomodò Deo sacrificium offerre præsument, cùm audiant ipsum Dominum dicentem : *Si offers munus tuum ad altare & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te : relinque ibi munus tuum ante altare & vade priùs reconciliari fratri tuo & tunc veniens offeres munus tuum.* . . . . . adversum nos habere sentimus, sacrificium Deo nullatenus offerre debemus.

S. Grego. l. 2. Epist. 61. initio

Idem. lib. 4. Epist. 31. in fine

Rom. 12. 19.

Psal. 61. 11.

Mat. 5. 23. 24.

Digitized by Google

Igitur quæ de perversis Regibus servanda fidelitate huc usque diximus, ideò annotare curavimus, ut exinde intelligere valeamus, quantâ diligentiâ quãtáque cautelâ bonis obedire debeamus, quando nec etiam malas à subditis vexandos esse monemur. Quòd si ira Principis in tantum desæviat, vel si tam gravis fuerit culpa, ut ad ejus gratiam redeundi aditus nullo modo reperiatur, neque Sacerdotali interventu, neque Magnatum precibus, verùm etiam nec familiarium consiliis vel supplicationibus, nulláque satisfactione ipsius animus placari possit, tunc fugiendum esse consulimus, dicente Domino: *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, donec mittat Dominus auxilium de sancto, & de excelso misereatur omnipotens. Congruentius itaque fieri potest, ut aliquis Procerum furorem Regis sui fugiendo declinet, quàm Rex infra sui regni fines rebellantem adversum se persequi omittat. Audivimus etenim quosdam sic evadentes, ad pristinos postmodùm feliciſſimè remeasse honores. Quosdam verò pertinaciter intrantes, usq; etiam ad contemptibilem exitũ perveniſſe. Est etenim naturale remedium, ut qui pro diversitate morum simul permanere non poterint, majores minores expellant, minores ipsos majores fugiant. Nam ut à subditis præpositi violentiam diu patiantur, ignominiosum est. Ait enim Dominus: *Non est discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum.* Venerabilis etiam Johannes Chrysostomus in quadam Homilia sic ait: [Sicut enim videmus in istis mundialibus regnis quomodò in primis quidem nemo potest facere seipsum Regem, sed populus eligit sibi Regem, quem vult: sed cùm Rex ille fuerit factus & confirmatus in Regno, jam habet potestatem in hominibus, & non potest populus jugũ ejus de cervice sua repellere. Nam primùm quidem in potestate populi est facere sibi Regem quem vult; factum autem de Regno repellere jam non est in potestate ejus, & sic voluntas populi postea in necessitatem convertitur. Sancti quoque Patres sacra celebrantes Concilia pro robore Regum & stabilitate regni sagaciſſima protulerunt decreta. Ex Concilio Toletano cap. 75.

Matt. 10. 23.

Id. ib. 24.

Concil. Tolet. IV. cap. 75.

post

post instituta quædam Ecclesiastici ordinis, vel decreta quæ ad quorumdam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis Sacerdotibus sententia est, pro robore nostrorum Regum & stabilitate gentis Gothorum pontificale ultimum sub Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium, ut fama est, tanta extat perfidia animorum, vt fidem juramento promissam Regibus suis servare contemnant, & ore simulent juramenti professionem, dum retineant mente perfidiæ impietatem. Jurant enim Regibus suis, & fidem quam pollicentur prævaricantur, nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod indicitur maledictio. Multáque est pœnarum comminatio super eos, qui jurant in nomine Dei mendaciter. Quæ igitur spes talibus populis contra hostes laborantibus? Erítne fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? Quæ in hostibus jurata sponsio permanebit, quando nec ipsis propriis Regibus juratam fidem conservant? Quis enim adeò furiosus est, qui caput suum manu propria desecet? Et illi, ut notum est, immemores salutis suæ propria manu seipsos interimunt, in semetipsos propriósque Reges suas convertendo vires. Et dum Dominus dicat: *Nolite tangere Christos meos.* Et David: *Quis*, inquit, *extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Illis nec vitare metus est perjurium, nec Regibus suis inferre exitium. Hostibus quippe fides pacti datur, nec violatur. Quòd si in bello fides valet, quantò magis in suis servanda est? Sacrilegium quippe est si violetur à gentibus Regum suorum promissa fides, quia non solùm in eos fit peccati trangressio, sed & in Deum quidem, in cujus nomine pollicetur ipsa promissio. Idem est, quod multa regna terrarum cælestis iracundia ista permutavit, ut impietate fidei & morum alterum ab altero solveretur. Unde & nos cavere oportet casum hujusmodi gentium, ne similiter plagâ feriamur præcipiti, & pœnâ puniamur crudeli. Si enim Deus Angelis in se prævaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam cæleste habitaculum perdiderunt: Unde & per Isaïam dicit: *Inebriatus est gladius meus in cœlo:*

Psal. 104. 15.

1. *Reg.* 26. 9.

Isaiæ 34. 5.

Digitized by Google

quantò magis nostræ salutis interitum timere debemus, nè per infidelitatem eandem sævientis Dei gladio pereamus? Quòd si divinam iracundiam vitare volumus, & severitatem ejus ad clementiam revocare cupimus*, ne unà cum eis qui eadem conjuratione nituntur par pœna perditionis constringat, quos in pernicie prava societas copulat. Si placet omnibus qui adestis hæc tertiò reiterata sententia, vestræ vocis eam consensu firmate. Ab universo Clero & populo dictum est: Qui contra hanc vestram definitionem præsumpserit, anathema, maranatha, hoc est perditio in adventu Domini sit, & cum Juda Iscarioth partem habeat & ipse & socii eorum. Amen. Et nunc . . . . . Quanquam in Concilio anteriori quòd anno primo glorioſissimi Principis nostri de hujusmodi re fuerit promulgata sententia, tamen placet iterare quod convenit custodire. Itaque Regis vitâ constante nullus sibi aliquo opere vel deliberatione seu cujuscumque dignitatis laïcus, seu gradu Episcopatûs, Presbyterii, aut Diaconii consecratus, ceteríque Clericatûs officiis deditus Regem provideat contra viventis Regis utilitatem, nullo blandimento vel suasione per eandem spem aut alios in se trahat aut ipse in alium acquiescat. Iniquum enim & valde execrabile à Christianis debet haberi futuris temporibus illicita prospicere, & vitæ suæ ignaros ventura disponere. Et rursus: [*Confinitimi hostium Sacerdotes, præter eos qui Regiâ potestate licentiam accepêre, quodlibet mandatum ad gentem extraneam occultè accipere vel dirigere non præsumant: qui autem deprehenditur atque convincitur, denuncietur Principibus apud Concilium condigna animi adversione mulctabitur. Qui enim jam dictis Dei & Domini nostri Jesu-Christi, beatissimorúmque Apostolorum Petri & Pauli, & ceterorum sanctorum Patrum monitis contraire tentaverit, sciat se procul dubio diabolum habere ductorem; & quia Jesum habere noluit, profectò Barabbam habebit.]

Quapropter, Reverendissime Domine, hæc & hujusmodi considerantes ad gratiam sereniſsimi Regis & Domini nostri reverti non dedignemini, recolentes qualem ei

* *Multa hcic omittuntur.*

Concil. Tolet. VI. c. 17.

* *Quæ sequuntur, non exstant in eodem Cone.*

Digitized by Google

jurejurando polliciti estis fidelitatem. Scriptum quidem est dicente Domino: *Non assumas nomen Dei tui in vanum: quoniam non habebit Dominus insontem eum, qui nomen ejus in vanum assumpserit.* Exod. 20. 7. Memores estote Regiæ dignitatis, memores estote & vestri Ordinis. Erimus enim in quantum possumus, si jubetis, in his fautores. Erimus & fidelissimi adjutores. Nihil dubites, Pater mi, non expedit quidē: diligimus enim, Deo teste, bonum pacis, & ad fructum festinamus pervenire charitatis. Non etenim omnis pax eadem pax est; est namque salutaris pax, invenitur & noxia: salutaris quidem pax est de qua Dominus ait in Evangelio: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Iohan. 14. 27. Et quia dissimilem agnoverat subdidit: *Non quomodò hic mundus dat ego do vobis.* Item bona pax est quam Angeli pastoribus nunciavêre dicentes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luce 2. 14. Et de qua ait Beatus Paulus Apostolus: *Christus est pax nostra qui fecit utraque unum.* Ephes. 2. 14. Rursus iniqua pax est, de qua . . . . . *Cùm fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt omnia quæ ipse possidet.* Luce 11. 21. An non ipse diabolus quem per fortem intelligimus armatum pacem Domino quærebat, cùm procidens ante eum, scilicet fortiorem, diceret: Jesu *fili Dei altissimi, adjuro te per Deum ne me torqueas?* Marci 5. 7. Sed quia eam injustè quæsivit, impetrare apud eum minimè meruit. Beatus quoque David noxiam putans pacem impiorum ait: *Quia zelavi super iniquos pacem peccatorum videns.* Psal. 72. 3. Sicut enim Angeli bonorum pacem utilem judicabunt, sic iste impiorum inutilem judicabat. Unde cum magna discretione pax est inquirenda, ut & salutarem omnimodis firmare laboremus, & inutilem vitare valeamus. Melius itaque est nobis adversarios utcumque tolerare, quàm cum ipsis iniquè pacisci, dicente Domino: *Cavete à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.* Marci 8. 15. Dicit enim Beatus Paulus Apostolus: *Si fieri potest quod ex vobis est*, id est ex vestra parte: ac si diceret: quidquid mali homines faciant, vos semper illorum salutem quærite, opportuna docete, inutilia quamvis ingrati arguite, & si fieri potest corrigere studete. Rom. 12. 18.

Digitized by Google

Hæc est enim utilis pax, quam si despexerint, non ideò nobis à rectitudine convenit deviare: nam à bono recedere, & alienis erroribus implicari inutile conspicitur.

Eccli. 13. 1. Scriptum quippe est: *Qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea. Et qui communicaverit superbo induetur superbia.*

Ad tramitem ergo veræ pacis, id est Domini nostri Jesu-Christi, sanctorúmque Patrum exempla, vel documenta, sincera mente conveniamus fidelitatem Regiam, ut ipsos docere cognoscimus, firmiter teneamus; nósque in Dei omnipotentis servitio, nostríque Senioris obsequio, ac fidelium Confratrum suffragio paratissimos instituamus, & quoscumque possumus ad hæc omnimodis invitemus. Qui verò talibus monitis rebelles extiterint, inter hos jam non est pacis vinculum inserendum, sed separationis consilium perquirendum, ut aliquem ex ipsis ad societatis possimus perducere gratiam, nè simul omnes pereant in culpa. Hanc quidem immittere separationem ipsius Salvatoris, quod jam præmisimus, sacro cogimur exemplo. Quoniam valde dignum est, ut eum qui se justitiæ dari vult, ab eis qui noluerint separare curemus. Quia si cum ipsis in errore permanserit, neque illum prodiderit, & ipse cum illo pariter interibit. Sicut enim bonorum consortio multi proficiunt, sic malorum societate plurimi pereunt. Namque malorum collegium cujuscumque . . . . . multorum hominum nequitiam quasi unius imbecill. . .

Isaiæ. 40. 17. judicandum scriptum est: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo; & quasi nihili & inane reputatæ sunt ei.* Sed nec in arcis . . . quarumlibet munitionum in hujusmodi confidendum est præsidio, quia ut Propheta ait:

Abd. 4. *Si exaltatus fueris ut aquila; & si inter sydera poneres*

Psal. 61. 11. *nidum tuum, inde detraham te dicit Dominus. Divitiæ quoque si affluant nolite cor apponere:* ne aliquando vi-

Psal. 51. 9. dentes irrideant dicentes: *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua.* Neque enim ducimus superfluum amicos acquirere, ædificia utiliter erigere, possessa custodire, & honestâ in omnibus servatâ

Digitized by Google

moderatione perficere, ſed his fretus auxiliis aliquatenus ſuperbire incommodum utique judicamus. Ait enim Dominus in Evangelio: *Non in abundantia uniuſcujuſque vita eſt ſuper terram.* Et item: *Miſer hâc nocte repetent à te animam tuam; quæ autem paraſti cujus erunt?* Itaque *Spera in Domino, & fac bonitatem & inhabita terram, & paſceris in divitiis ejus. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Luca 12. 15. Ibid. 20. Pſal. 36. 3.

His & ſimilibus ſanctarum Scripturarum ſermonibus invicem exhortantes, ad meliora nos provehere non tardemus, & quos nobiſcum trahere non valemus, hos ſaltem ad deteriora proſequi formidemus, dicente Apoſtolo: *Infidelis ſi diſceſſerit, diſcedat.* Ille enim ab altero revera diſcedit, qui nequiorem viam eligit; qui viam Domini relinquit, & per devia errabundus incedit. Nam ad præcipitium cum amico deſcendere, non ſani capitis eſt, ſed dementiæ: nec ſocietatis valet gratia, ubi nulla eſt adjuvandi fiducia. 1. Cor. 7. 15.

Sed ne nobis ſolummodò conſulere videamur, ad cæteros etiam redeamus. Secundi quoque ordinis milites ita nos admonere oportet, ut divina jugiter mandata cuſtodiant, ſuíque Regis fidelitatem, quam jurando promiſerant, inviolabilem teneant, & ſuæ legis tranſgreſſores nullo modo efficiant. Quæ etiam in ipſo ſui exordio de Regum infidelitate omninò caſtigat, & qualis tranſgreſſoribus pœna debeatur, inſinuat, quantaque ſit Regum excellentia demonſtrat: nam ſi quis horum mandatorum obſervator extiterit, maximum & in præſenti ſæculo decorem acquirere, & in futuro ſuæ animæ lucrum felicitatis adipiſci merebitur. Qui autem in his repugnando mortis judicium incurrerit, periculum ſuæ animæ procul dubio ſuſtinebit. . . . . quàm quod conſtitutum eſt vobis . . . . . Heu, heu! quid de Epiſcopis qui ſibi commendatos, quin etiam & commiſſos contra divini eloquii præceptum, contráque promiſſum ſacramentum, contra ſæcularem quoque legem in qua etiam mortis periculum aſſi-

Digitized by Google

gnatur, Regi præcipit repugnandum? Quis de illorum animarum dispendio luet supplicium? Restat omninò ut cujus exemplo vel documento periclitatæ fuerint, de ipsorum manibus requirantur: prædia quoque & facultates Ecclesiarum, sive res pauperum, cujus exigentibus culpis devastatæ fuerint, ad ipsius interitum prævalere potuerint. Fateor enim coram Deo plus propter divina præcepta, sanctorúmque Patrum monita, quàm pro alicujus terreni commodi desiderio, aut rebellantis inimicitia me ejus assequi velle fidelitatem. Ait enim Dominus in Evangelio: *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Audi Beatam Susannam clamantem: *Melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini.* Et Beatus David: *Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas.* Salomon quoque ait: *Melius est buccella sicca cum gaudio, quàm tota domus plena victimis cum jurgio.* Quapropter Dominum JESUM-CHRISTUM suppliciter imploremus ut qui Beato Petro mergenti manum ut erigeret porrexit, à cunctis nos malis eripiat, & ad rectitudinis semitam perducat. Amen.

Matt. 16. 26.

Dan. 13. 23.

Psal. 36. 16.

Prov. 17. 1.

EIVSDEM ATTONIS EPISCOPI EPISTOLÆ

Pro aliquibus erroribus missa.

II. ATTO gratiâ Dei humilis Episcopus, Cunctis fidelibus in nostra parochia consistentibus salutem & gaudium. Nuper in vigilia Octavæ Domini quemdam Sermonem his qui præsentes erant, Deo donante, retulimus, quem vobis dirigere necessarium æstimamus. Heu! quia sunt multi in vestris partibus qui divina servitia contemnunt, & auguria, vel cæli signa, seu vanas præcantationes intendunt, nec metuunt illud quod Dominus de Judæis ait: *O generatio incredula & perversa,*

Digitized by Google

signum quærit &c. Beatus quoque Paulus clamat Apostolus : *Videte ne quis vos seducat per Philosophiam & inanem fallaciam secundùm traditiones hominum, secundùm elementa mundi ; & non secundùm Christum.* Et alibi : *Quomodò convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire vultis ? Dies observatis & menses, & tempora & annos, timeo nè fortè sine causa laboraverim in vobis.* Psalmista quippe dicit : *Filii hominum usquequò graves corde ; ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium :* Et iterum : *Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus ; & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Valete in Domino.

Coloss. 2. 8.

Galat. 4. 9.

Psal. 4. 3.

Psal. 39. 5.

EIVSDEM.

III. ATTO Christi misericordiâ humilis Episcopus, Cuncto populo nostræ Diœcesis sanctæ matris Vercellensis Ecclesiæ. . . . . Noveritis igitur quia & per ipsum Christum Dominum atque sanctos Apostolos seu Prophetas, sive sanctos reliquos Doctores, audivimus plurimos venturos esse Pseudo-prophetas, qui, quod gravissimum est, subvertere à via veritatis multos studebunt, ita ut eos in perniciem perducant, qui illis crediderint. Unde quia non solùm prodigia diversáque signa tunc temporis facientibus seu philosophicis dogmatibus falsa defendentibus*, verumetiam non tam facilè justum habetur cor, ut etiam quibusdam simplicia atque bruta referentibus tantummodò verba credere omninò festinetis, eosque, heu miserrimi ! diabolico errore decepti Prophetas nominetis, relinquentes sanctam matrem vestram Ecclesiam, seu Sacerdotes per quos ad æternam pervenire debetis salutem. Quocirca his visis litteris, auditis vel cognitis, si quis vestrûm fortè, quod absit, deinceps hujuscemodi nefas perpetraverit, sciat se omnimodis damnandum, & non habeat licentiam manducandi quid coctum, nisi panem, nec bibendi vinum, quousque ad suam sanctam matrem scilicet Vercellensem Ecclesiam, nostrámque præsentiam ad satisfactionem, verámque

* *Desunt aliqua.*

Digitized by Google

pœnitentiæ humilitatem judicandus adveniat. Si quis autem superbiâ inflatus contra hoc agere tantaverit, sciat se ab Ecclesiæ liminibus pellendum, & à sancta communione extraneum; omnibúsque fidelibus abominandum, donec sanctæ Ecclesiæ susceperit correptionem, tam ipse quàm omnes qui ipsi communicant, postquam eum talem cognoverint: Sacerdotum verò si quis fortasse, quod Deus avertat, tali abominatione pollutus fuerit, nullum divinum audeat usurpare mysterium, donec dignam Deo, nostro judicio persolvat satisfactionem.

EIVSDEM.

IV. ATTO gratiâ Dei humilis Episcopus. Universis fidelibus nostræ Ecclesiæ, nostríque dilectissimis filiis pax sit & gaudium. Si enim sincero corde quæ à sanctis Patribus tradita cognoscuntur, à vobis inviolata servantur, magnam nobis in hoc præparatis lætitiam. Si autem, quod absit, diversis erroribus vos cognoverimus depravatos, grandis inde mœror nostro cordi accumulabitur. Nam si abjectio discipuli magistri est detrimentum, quantò magis prævaricatio filiorum patris valet esse periculum? Sic nos omnipotens pater degere concedat, ut utrique de utroque remuneremur, ne damnandi judicemur. Igitur audivimus inter vos novum quemdam surrexisse errorem, ut dicatis sextâ feriâ otio esse
* cùm vacandum &* . . . . . omnium Redemptor eumdem diem tristiorem præ cunctis duxerit, & tanta pro nobis opprobria sustinuerit . . . vos jocis incumbere, & otia sectari studeatis. Apostoli etiam ceteríque fideles tam tristem eumdem duxerunt diem, ut per diversas latebras fugitantes vix duo simul reperirentur. Nec epularum poterat fieri mentio, quibus vitæ jam penè adhæserat desperatio. Eadem quoque die sol tenebris amictus lumen obduxit, & ipsa elementa turbata turbationem totius ostenderunt mundi. Nam si diem Dominicum ob venerabilem Resurrectionem Domini nostri IESU-CHRISTI, seu Apostolorum ceterorúmque

Digitized by Google

que fidelium lætitiam non solùm in Pascha celebramus, verùm etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus; demens est, qui sextam feriam, quâ Dominus crucifixus est, per omnes hebdomadas ob illius imaginem cum abstinentia & compunctione mœroris abnegat celebrandum. Labor denique impedimentum dicitur. In magno ergo eo die Christus fuerat labore, qui tanta ab impiis tormenta pertulerat. Similiter etiam omnes ejus fideles, quos fugientes intus dolor, à foris premebat angustia, nec feriandi dabantur induciæ, quibus talis parabatur injuria. Fugite ergo, Fratres, ab hac stultitia: sufficit enim vobis diem Dominicum, & alias celeberrimas & à Sacerdotibus approbatas festivitates observare. In quibus ideò feriare debetis, ut à secularibus negotiis expediti liberiùs Dominum ejúsque Sanctos conlaudare vel prædicare, eísque deservire possitis. Nam sextâ feriâ melius est laborare panem unde & tuam & alienam reficere possis esuriem, quàm otiosis manibus sedens inanes fabulas garrulo ore jactare . . . . . .

EIVSDEM.

V. SUmmâ devotione colendo Domno AZONI reverendissimo & sanctissimo Præsuli ATTO gratiâ Dei humilis Episcopus, vestérque fidelissimus, orationum instantiam cum devoto famulatu. Deus omnipotens, qui vos in pastorali throno locare dignatus est, ipse vos jugi opitulatione adeò custodire dignetur, ut Sacerdotalis honor cunctos vestros dirigat actus, rursúmque vestris sacris actibus sacerdotalis ordo præfulgeat. Quod autem vestra prudentia nostram hebetem dignata est* parvitatem, quare quemdam nostræ Ecclesiæ filium à filiæ susci-

* *deest.* interrogare, *aut quid simile.*

pientis se de sacro fonte prohiberemus nuptiis. Insuper si aliquod capitulum repertum haberemus. . . . . qui in carnalibus nuptiis non tantùm spiritualis, sed etiam . . . . . inquirenda. Igitur LUITPRANDUS Catholicus Rex hujus

Digitized by Google

in qua degimus patriæ, tale cum consensu illius temporis Procerum vel Judicum Capitulum promulgavit: [Hoc censuimus atque præcepimus, ut nullus præsumat commatrem suam uxorem ducere, sed nec filiam quam de sacro fonte levavit; neque filius ejus præsumat filiam illius uxorem ducere, qui eum de fonte suscepit: quia spirituales germani esse noscuntur: & qui hoc malum facere tentaverit, perdat omnem substantiam suam. Et filii qui de tali illicito matrimonio nascuntur, heredes esse non debent, sed propinqui parentes. Ubi autem inventi fuerint, qui supra scripta inlicita conjugia contraxerint, in præsenti separentur, & pœnæ suprascriptæ subjaceant].

Luitprand. Rex. Leg. Long. lib. 2. cit. 8, l. 5.

Lex etiam, quæ Salica dicitur, hoc continet. [Uxorem patris si quis acceperit, mortis periculum incurrat, & de præteritis conjunctionibus, quæ incesta esse videntur, per precationem Episcoporum jussimus emendare. Qui verò Episcopum suum noluerit audire, & excommunicatus fuerit, perennem conditionem * apud Deum sustineat, & de palatio nostro omninò sit extraneus, & omnes res suas parentibus legitimis amittat.] Romani quoque Principes totius penè Monarchiæ dominantes, quorum legem etiam nobis Sacerdotibus in multis convenit observare, talia instituta de conjugiis loquentes dedêre: [Sed si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit, quamdiu quidem constat adoptio, sanè inter te & eam nuptiæ consistere non possunt.] Et item: [Si adversus ea quæ diximus aliqui coïerint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur. Itaque qui ex tali coïtu nascuntur in potestate patris non sunt, sed tales sunt, quantum ad patriam potestatem pertinet, quales sunt ii quos mater vulgò concepit. Sequitur ergo ut & dissoluto coïtu, nec dotis exactioni locus sit, & alias pœnas patiantur, quæ sacris Constitutionibus continentur. Nulla denique adoptio talis esse poterit, quàm hæc per quam homines filii Dei efficiuntur. Hæc est enim adoptio, quæ emancipari non potest. Unde beatus Paulus ait Apostolus: *Qui prædestinavit in adoptionem filiorum per Christum* JESUM, *in ipsum secundùm propositum voluntatis*

* An condemnationem.

Ephes. 1. 5.

Digitized by Google

suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ. Cujus adoptionis participem nemo ambiit *eum qui secundùm sacramentorum. . . . . jam illorum conjunctus est spiritus. Rursúmque ex sacro fonte . . . . . qualem ex ma . . . . . Sacerdotibus ipsis ad inserviendum committuntur. Nam sicut carnales nostri parentes nostræ generationis ministri sunt, secundùm quod beatus Clemens in suis Decretalibus asserit, sic hujusmodi ministri sunt sacræ regenerationis. Deus auctor in utrisque consistit; sicut scriptum est: *Vnicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit.* Illi namque, qui, ut superiùs diximus, erga pueros agunt, spiritualiter plantant, & patres sunt. Qui autem rigant, ministri Ecclesiarum sunt, sacramenta conferentes baptismatis. *Dominus autem incrementum* dat in omnibus, sive in spiritalibus, sive in carnalibus profectibus.

* ambigit

1. Cor 3. 6.

Legitur etiam in libro Codicum, quod est Romanæ Legis, ita: [Nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem quàm hújusmodi nexus, per quem Deo animæ eorum copulatæ sunt]. Item ex Novella: [Si qui nefarium atque damnatum matrimonium contraxerint, & ex priori matrimonio liberos non habuerint, statim suis facultatibus careant, & dos fisci juribus vindicetur. Post publicationem autem & cinguli sui patiatur amissionem, & in exilio puniantur. Quòd si vilior sit persona, corporali quæstioni subsistat, & uxor ejus contra leges nupta easdem pœnas patiatur. Hæc post biennum valeant: nam biennii indulgentia illis præstita est, qui jam contraxerunt contra leges matrimonia, ut infra biennium separentur. Quòd si non fuerint separati, sed perseveraverint in toto biennio pœnis in primo capite dictis subjiciantur. Valde enim turpe est, ut quod religionis causâ seculares leges custodire contendunt, hoc Sacerdotes Dei infringere quærant. Sed neque summi Pontifices seculares leges adeò respuendo contrivere, cùm noster atque ipsorum Dominus ac Magister dicat: *Non veni legem solvere, sed adimplere.* Item sanctissimus Papa Calixtus: [Nec eos viros, quos

Novella 12. c. 1.

Matt. 5. 17.

Digitized by Google

Calixtus Papa I. Epist. 2. ad omnes Galliarum Episc.

leges sæculi rejiciunt, suscipere debemus. Ipsam quoque infamiam, quâ aspersi sunt, delere non possumus, sed animas eorum per pœnitentiam publicam & Ecclesiæ satisfactionem sanare cupimus. . . . . sanctissimus Julius Papa confirmat: Beatissimus etiam Gregorius multa Romanæ legis capitula confirmans suo inseruit registro. Ergo, Domine mi, absonum esse videtur, ut spiritalis affinitas carnalibus amplexibus deservire cogatur: Ait enim Beatus Paulus Apostolus: *Vos enim in libertate vocati estis, Fratres; tantùm nè libertatem in occasione detis carnis.* Et iterum: *Qui seminat in carne sua, de carne metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Et rursus: *Ubi spiritus, ibi libertas.* Et in Levitico. *Omnis consecratio quæ offertur, ab homine non redimetur*, ne nostris usibus subcumbendo sacratum exsecrabile fiat.

Galat. 5. 13.

Ibid. 6. 8.

2. *Cor.* 3. 17.

Levit. 27. 29.

Sed & si hæc cuncta quæ superiùs tale reprehendentes conjugium diximus, deficerent; satis ad id reprimendum etiam remanerent. Nam adeò hujus religionis causâ hactenus est abolitum, ut non tantùm literatis, vel prudentibus, sed etiam ipsis rusticis moris causâ profanum jam videatur, ut sicubi peccatis exigentibus aliquid tale audierint, ideò scandalizent*. Unde grave committentibus peccatum exoritur. Ait enim Dominus: *Væ homini illi per quem scandalum venit.* Et Beatus Paulus: *Providemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Et item: *Sine offensione estote Judæis & Gentibus & Ecclesiæ Dei.* Et rursus: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Et iterum: *Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius.* Plures nempe offendit qui antiquas consuetudines à religiosissimis & prudentibus observatas immutare vel abradere præsumit: cùm Beatus dicat Isidorus: [Consuetudo est jus quoddam moribus institutum, quod per legem suscipitur cùm deficit lex. Non differt utrum scripturâ an ratione consistat, quando & legem ratio commendat. Porro si ratione lex constat, lex erit omne jam quod ratione con-

Lege * scandalizentur, *vel*, id eos scandalizet. *Matt.* 18. 7.

2. *Cor.* 8. 21.

1. *Cor.* 10. 32.

Ibid. 8. 13.

Ibid. 10. 24.

6. Isidor. lib. 2. orig. c. 10.

Digitized by Google

ſtiterit, dumtaxat quod religioni congruat, quod diſciplinæ conveniat, quod ſaluti proficiat] Beatus quoque Papa Gregorius, cujus inſtitutionibus penè totus regulatur orbis, ait Regiſtri parte prima: [Et nos juxta ſeriem relationis veſtræ conſuetudinem, quæ tamen contra fidem catholicam nihil uſurpare dignoſcitur, immotam permanere concedimus, ſive de Primatibus conſtituendis ceteríſque capitulis, exceptis his qui ex Donatiſtis ad Epiſcopatum perveniunt. . . . . S. Greg. l. 1. Epiſt. 75.

. . . . . Januarii. Ipſa quoque mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa, conſequenter noxia eſt. Apparet ergo quòd conſuetudo quæ fidei Catholicæ, vel ſecularibus legibus non obeſt omnimodis ſervanda ſit, quod Theodoſiano confirmatur edicto. Sed hæc de qua nunc agitur conſuetudo, nec Catholicæ fidei, nec ulli Chriſtianorum legi penitus impugnat*. Licet tamen quædam leges ſint in quibus hæc ſpecialiter non contineantur, ſed nulla eſt quæ huic impugnare videatur. Quapropter ideò de hac multos tacuiſſe antiquitus credimus, quia in nova quaſi religione baptiſmatis, nullus Chriſtianus talia præſumere conabatur; nec judicavère interdicendum quod non credebant præſumendum. *Nam juſto lex non eſt poſita, ſed injuſtis.* Attamen nobis quibus licet indignis diſcernendi impoſita eſt conditio, ut dividamus inter mundum & immundum, & lepram, talia convenit declamare, nè tacentes à Domino per Prophetam arguamur dicente: *Canes muti non valentes latrare*: nec populi conſentire flagitiis videamur, & reprehenſibiles efficiamur, dum aliorum reprehendere nequitiam diſſimulamus. *Sed in omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros:* quia ſcriptum eſt: *Ne communicaveris peccatis alienis.* Et rurſus: *Et immundum ne tetigeritis.*

Auguſt. Ep. 118. ad Januar.

Pro repugnat.

1. *Tim.* 1. 9.

Iſaïæ 56. 10.

2. *Cor.* 6. 4.

1 *Tim.* 5. 22. 2. *Cor.* 6. 17.

Quod autem ex Domini ſententia dicitis: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, hæc religio modis omnibus cuſtodienda videtur. Sed non omnes qui conjuncti ſunt Dominus conjunxit. Eorum tamen quos ipſe conjunxit

Matt. 19. 6.

Digitized by Google

bona est copula, quippe nec legibus obest, nec Catho-
Hebr. 13. 4. licorum usus conturbat. Sed est *honorabile connubium & torus immaculatus*, sicut Beatus Paulus ait Apostolus:
1. Cor. 7. 10. *His namque qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus uxorem à viro suo non discedere: & vir uxorem suam non dimittat.* Videte quod dicit his qui matrimonio juncti sunt. Matrimonium enim est conjugum justa conventio & conditio: eos verò qui nefario & execrabili coïtu contra leges & mores permiscentur, omninò separari oportet, quoniam nec vir nec uxor poterit esse
Mat. 5. 30. in hujusmodi. Ait enim Dominus in Evangelio: *Si dextera manus tua scandalizet te, abscide eam & projice abs te.* Quid enim melius per scandalizantem . . . . . .
1. Cor. 7. 15. . . . . Paulus Apostolus: *Non est enim servituti subjectus frater aut soror in ejusmodi: in pace autem vocavit nos Dominus.* Dominus etiam divortium prohibens, fornicationis causam excepit dicens: *Ex-*
Matt. 5. 32. *ceptâ fornicationis causâ.* Cujus ut scitis duo sunt genera, de quibus nobis per omnia modò non convenit disputare. Vestrum unde fidelem, nostrum scilicet filium, ô Domine mi, verbis affabilibus & mellifluis, sicut bene nostis consulere non dedignemini: quatenus relictis prioribus ad meliora pertingere queat. Bene namque scitis quia
Heb. 12. 11. *omnis disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii sed mœroris. Postea autem fructum pacatissimum exercitatis*
Jacob. 5. 20. *per eam reddet justitiæ.* Et Jacobus Apostolus: *Scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvavit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum.*

Quod autem vestra nobis innotuit magnificentia, quia multi majores & inferiores in hoc Regno sint, qui tales uxores habent, quos etiam nobis intimare polliciti estis, Deo teste, hoc incognitum manet apud nos, & valde novum videtur. Sed si qui sint qui talia agunt, aut raritate nobis obscurum est, aut dissimulatione contectum. Verumtamen in istis partibus nullum præter hunc aliquando audivimus: Tamen & si multi essent qui hoc agerent, Dominica debuerat præcellere senten-

Digitized by Google

tia: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies.* Et Paulus: *Si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem.* Et Jacobus Apostolus ait: *Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur.* Et Moyses negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jocunditatem, majores divitias æstimans thesauro Egyptiorum *improperium Christi.* Secundùm decretum autem Cælestini Papæ, docendus est populus, non sequendus. Sed & si nec lex valet, nec consuetudo proficit, saltem ipsa ratio procedat. *Exod.* 23. 2. *Galat.* 1. 10. *Jacobi* 4. 4. *Heb.* 4. 24.

Inter Compatres & Commatres interdicta esse conjugia evidenter omnes testificant. Cùm hujus sacramenti mysterium non specialiter in ipsis, sed in eorum filiis celebratur. Nam & ipsi sequestratim esse possunt. Quis ergo hoc dicere audeat, quòd absentes hoc sacramentum constringat? . . . . . .

* . . . . . enim compater vel commater sonat, nisi simul pater, aut mater . . . . . cui simul patres, vel matres sunt, omnes eorum filii vel filiæ fratres vel sorores ipsius . . . . . enim Dominus Scribas, & Pharisæos ait: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, stulti, & cæci, qui dicitis. Quicumque juraverit in altari nihil est: Quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. Cæci, quid enim majus est; Donum, an altare quod sanctificat donum? Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt. Et qui juraverit in templo jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso.* Videtur ergo nobis, quòd hujusmodi adoptio, si pertinet ad parentes, magis pertineat & ad filios, & si nec ad filios, profectò nec ad parentes pertinere videtur. Hæc itaque intendentes prædictum Theodericum à tali toro suspendimus, non tamen conjugium penitus interdiximus, nec aliter excommunicavimus, donec in Domini Archiepiscopi & vestram, ceterorúmque nostrorum venerabilium Confratrum audientiam veniamus. Non quòd de rectitudinis dubitemus modo, sed

* Non aliud. *Matt.* 3. 17.

Digitized by Google

ut majori auctoritate firmetur adsertio plurimorum. Sæpe etenim delinquentibus, dum vulnus facinoris premitur, reproba videtur sententia medicantis: & dum perversi criminis nævum diluere nolunt, ad diluentis injurias currunt. Quorum detractiones à nobis extorquimus *, cùm plurimorum sententiam interim expectamus, sicut Beatus Paulus ait ad Timotheum: *Irreprehensibilem te exhibe, ut is qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.* Dum enim, Domine, cum isto agitur, non solùm cum ipso, sed pro omnibus hujusmodi laboratur. Lex enim non admitit personam; si enim huic licet, evidenter omnibus licet: & si huic prohibitum sic erit, nullus se in postmodum de ignorantia excusabit.

* *f.* extergimus *vel.* extorquemus. *Tit.* 2. 8.

Innotuistis etiam nobis esse aliquos talibus nuptiis perplenos, qui pro nullius excommunicatione suas deserant copulas. Utinam, Domine, nos injunctum officium implere valeamus. Illi quidquid faciant, nos saltem nosmetipsos liberare curemus. De talibus quippe Johannes clamat Apostolus: *Qui autem non est ex Deo, non audit nos*: In hoc ergo cognoscimus spiritum veritatis & spiritum erroris. Deus pacis & caritatis ita vos sibi copulare . . . . . .fulgere, sic in præsenti valeatis vinea laborare, ut in futura . . . . . audire . . . . . .

1. Johan. 4. 6.

GUNZONIS *Levitæ Novarienſis.*

VI. DOmno ATTONI Pontificali reverentiâ colendo GUNZO Novariensis Ecclesiæ Levitarum extimus, debitæ venerationis servitium. De eo quod celsitudo vestra parvitatem meam consulere dignata est, ideò hactenus respondere distuli, ut diutina meditatio firmiora daret responsa. Et quamvis dignitati vestræ omnimodo pateat clarissimum rescriptum ab Apostolica sede THEODORO Ticinensi Episcopo, in medium proferri placuit. ZACHARIAS Episcopus servus servorum Dei, Reverendissimo & sanctissimo Fratri THEODORO Episcopo Ecclesiæ Ticinensis. Pittacium, quod nobis tua veneranda

Digitized by Google

randa Fraternitas obtulit, per quod nos ſciſcitari curaſti, ſi licet filium, cujus pater alterius filiam ex ſacro baptiſmate ſuſceptam* idem ſpiritualem ejuſdem Patris filiam, quod dici crudele eſt, in matrimonio ſuſcipere, quod apud te enormũ diſſeruiſti contigiſſe. Sed bene tua ſancta Fraternitas compertum habet, quòd Dominus per Moyſen præcipiat dicens: *Turpitudinem patris tui non revelabis; Turpitudinem matris tuæ non revelabis. Turpitudinem ſororis tuæ & turpitudinẽ filiæ patris tui non revelabis. Turpitudo enim tua eſt.* Turpitudinem enim revelari dicitur, dum à propria conſanguinitate præcipimur abſtinere: multo magis à ſpiritali patris noſtri filia omnimodo, omni occaſione aut argumento repoſito, ſub nimia diſtrictione cavere nos convenit: ne in iram divini examinis incidat, ſi quis tali facinore mixtus minimè reſtrinxerit fræna luxuriæ. Unde & omnes omninò cavere debent talis ſceleris commixtionem, ne in æternum pereant. Sed hos qui hujus pernicioſæ temeritatis animæ ſalutem deſpicientes impiiſſimo ſe miſcuêre matrimonio, per omnia tua Fraternitas ſtudeat ſeparare, & pœnitentiæ dignæ ſubmittere, quatenus ab æterna erutas damnatione animas eorum lucreris, ipſo præſtante Domino & Deo Salvatore noſtro Jesu-Christo.

* Lego ſuſcepit.

Levit. 18. 7.

Non igitur latet prudentiam tuam non ſolùm illos Eccleſiaſticâ cenſurâ feriendos qui nefario ſe conjugio polluêre, ſed illos quoque qui hujus ſceleris auctores fuerunt . . . . . tanto majori pœnitentiæ debet ſubmitti quanto . . . . . probatur. De filiis autem horum iſdem venerabilis Pater eidem Theodoro Epiſcopo reſcribit non teneri eos crimine parentum.

Digitized by Google

AMBROSII *Mediolanensis Presbyteri* ATTONI *Vercellensi Episcopo.*

VII. INVICTISSIMO Curiæ cælestis athletæ, ac supernorum civium cœtibus aggregato, ATTONI ter beatissimo Pontifici, humilis CHRISTI famulus, vestérque fidelissimus AMBROSIUS Presbyter licet indignè sanctus honore in sancta Mediolanensi Ecclesia, continuum debitæ servitutis obsequium cum felicitate perenni.

A vestra sanctitate nuper delegati apices, quibus vestra sanctitas nostríque memoria in sacris vestris orationibus signabatur, ineffabili nos jocunditate undique munitos reddidêre; cùm nos videlicet abjectis & repudiatis sanctorum pedum vestris nec scimus æquandi calciamentis; quomodò ergo tam religiosi & tam potentis Domini ac Patris digni sumus memorari orationibus? Sed vos illius credimus memores sententiæ quæ dicit: *Deus non laborat in magnis, nec fastidit in minimis.* Ceterùm nulli dubium est quòd divinus Spiritus in pectore vestro habitans, ad cuncta sancta opera vos reddat promptissimos.

Conjugium denique illud, super quo nostram pusillitatem consuluistis, à nostris Doctoribus & Sacerdotibus scitote omninò prohiberi, quia spiritales fratres, quod vos quoque asseruistis, vocantur: secularis quoque lex, veluti à quodam legislatore audivi, hoc interdicit. In
Zachar. Papa. decretis nihilominus Zachariæ Papæ capitulo 3. continetur: [Ut neque Presbyteram neque Diaconam, nec Commatrem spiritalem quis in conjugium ducat.] Ubi datur intelligi, quòd neque spiritalis patris filiam cuilibet in matrimonium liceat sortiri. Verùm si placet Dominationi vestræ, vestris rescriptis pandite nobis quas debemus intelligere eas, quas prædictum capitulum Presbyteram aut Diaconam appellat, quia nos omnimodo latet. Assi-
* nostris. duis orationibus vestris* sibi commendatos vos longo CHRISTUS tempore salvet.

Digitized by Google

ATTONIS EPISCOPI

AMBROSIO *Sacerdoti.*

VIII. ATTO gratiâ Dei humilis Episcopus, Domno AMBROSIO reverendissimo & sanctissimo Sacerdoti devotas in CHRISTO orationes cum vinculo caritatis. Vestræ sanctitati, quoniam pro nostra imbecillitate Omnipotentem novimus exorare, immensas coram Deo * . . . . . * gratias
si virtutibus, hoc etiam pro vobis omnimodis agere non agimus.
obmittimus. Crebræ namque vestri corporis, cùm audivimus, infirmitates quasi proprios terebrant artus. Sed Beatum Paulum vos intendere credimus, ubi ait: *Cùm enim infirmor, tunc fortior sum.* Deus Pater Domini nostri JESU-CHRISTI sic vos sustentet & verberet, ut nec adversa dejiciant, nec prospera reddant elatum. Plures denique iterum grates referimus, quia de his omnibus quæ vobis mandavimus abundè nos instruere curastis. Prætereà miramur omninò, cur ingens fons inter tantos profluentes constitutus, vicinum alicujus vix desudantis venæ perquirat liquorem. Nam & si inibi aliquis reperiatur humor, à potiore distillatus liquidò comprobatur. Igitur quod vestra prudentia consulere judicavit, quid in Canonibus Presbyteram, quídve Diaconam intelligere debeamus. Videtur nobis quoniam in primitiva Ecclesia, quia secundùm Dominicam vocem, *Messis multa, operarij pauci* videbantur, ad adjumentum virorum etiam religiosæ mulieres in sancta Ecclesia cultrices ordinabantur. Quod ostendit Beatus Paulus in Epistola ad Romanos, cùm ait: *Commendo vobis Phœbem sororem meam, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est Cenchris.* Ubi intelligitur quia tunc non solùm viri, sed etiam feminæ præerant Ecclesiis, magnæ scilicet utilitatis causâ. Nam mulieres diu Paganorum ritibus assuetæ, philosophicis etiam dogmatibus instructæ, bene per has familiariùs convertebantur, & de religionis cultu liberiùs

2. *Cor.* 12. 10.

Rom. 16. 1.

Digitized by Google

Concil. Laodic. cap. 11. edocebantur. Quod Laodicense postmodùm prohibet Concilium cap. xi. cùm dicitur: Quòd non oportet eas quæ dicuntur Presbyteræ vel Præsidentes, in Ecclesiis ordinari. Diaconas verò talium credimus fuisse ministras. Nam Diaconum ministrum dicimus, à quo derivatam Diaconam perspicimus. Denique legimus in Concilio Chalcedonensi cap. 15. Diaconam non ordinandam ante annum quadragesimum, & hanc cum summo libramine. Talibus etiam credimus baptizandi mulieres injunctum esse officium, ut absque ulla penitùs verecundia aliarum corpora ab his tractarentur. Nam in statutis Orientalium scriptum est: Viduæ vel Sanctimoniales quæ ad ministerium mulierum baptizandarum eliguntur, tam instructæ sint ad officium ut possint aperto & sano * sermone docere imperitas & rusticas mulieres tempore quo sunt baptizandæ, qualiter ad interrogata respondeant, & qualiter accepto baptismate vivant: sicut enim hæ quæ Presbyteræ dicebantur, prædicandi, jubendi vel edocendi, ita sanè Diaconæ ministrandi vel baptizandi officium sumpserant: quod nunc jam minimè expedit. Nam in tanta parvitate ob parentum religionem infantulæ baptizantur, ut nulla eis verecundia, nullus baptizantibus voluptatis possit stimulus impedire. Unde jam statutum est, ut mulier baptizandi usum assumere non præsumat.

Concilium Chalced. can. 15.

Stat. Orient. Concil. Carthag. 4 c 12.

al. * apto & sacro.

Sunt etiam, qui eas priscis temporibus Diaconas asseruêre appellatas, quas nunc Abbatissas nominamus, quod nobis minimè congruere videtur. Abbas namque pater dicitur; unde secundùm normam aliorum nominum in genere feminino derivatum Abbatissa eâdem significatione manente. Cujus vocabuli vis, timoris pariter & amoris, reverentiæ & affectionis explicat qualitatem. Diaconam verò nihil aliud quàm ministram intelligimus. Quapropter si hujus officii nomen nunc etiã quoquomodo perduraret, in his quæ per mulieres adhuc dispensari videntur, illas Diaconas putaremus, quæ ætate senili devictæ religiosam vitam cum castitate servantes, oblationes Sacerdotibus offerendas fideliter præparant, ad Ecclesia-

Digitized by Google

rum limina excubant, pavimenta detergant.

Possumus quoque Presbyteras vel Diaconas illas existimare, quæ Presbyteris vel Diaconis ante ordinationem conjugio copulatæ sunt: quas postea castè regere debent, sicut in Canonibus promulgatum est, qui Apostolorum titulo adnotantur, cap VI. [Episcopus aut Presbyter aut Diaconus uxorem propriam nequaquã sub obtentu religionis abjiciat: si verò rejicerit, excommunicetur. Sed si perseveraverit dejeciatur]. Item ex Decretis Leonis Papæ cap. XVII. [Lex continentiæ eadem est altaris ministris, quæ Episcopis atque Presbyteris, qui cùm essent laïci sive lectores, licitè & uxores ducere & filios procreare potuêre, sed cùm ad prædictos pervenêre gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Unde ut de carnali . . . . . nuptiarum, libentiùs tamen, carissime Doctor, secundùm superiorem sensum quæ explicata sunt accipimus, donec à vobis mereamur certiùs informari. Omnibus verò istis, sicut mandastis, denegata sunt conjugia, ut Ecclesiasticus honor servetur in omnibus.

Can Apost. cap. 6.

Leonis Papæ.

Præterea sinceram caritarem vestram humiliter exposcimus, de epistola quæ in Canonibus reperitur, quæ etiam canonica dicitur, cujus capitula XI. esse noscuntur, quæ nobis utilissima esse videntur, quorum initium est: Primum omnium fidem Catholicam omnes Presbyteri & Diaconi seu Subdiaconi memoriter teneant, ut si quis hoc faciendum prætermittat, XL. diebus à vino se abstineat: & si post abstinentiam neglexerit commendandam, duplicetur in eo sententia*: sive de statutis antiquis Orientalium, quorum Capitula centum dinumerantur. Ex quibus primum apud nos in omni Episcoporum consecratione perquiritur, cujus initium est: Qui Episcopus esse debet, necesse est ut anteà examinetur &c. Ut de his omnibus nos certificare dignemini, quo tempore vel loco constituta, sub quo Principe vel à quibus Patribus, quomodò habenda, vel si penitùs recipienda, aut in aliquo refutanda dijudicentur. Omnipotens Dominus vestram prudentiam nobis conservare dignetur, ut ab ea regulati recto tramite incedere valeamus.

* *Deest hic aliquod verbum.*

Digitized by Google

EIVSDEM.

IX. ATTO Dei gratiâ humilis Episcopus, cunctis Sacerdotibus eorúmque ministris in nostra Vercellense Diœceseſe commorantibus æternæ felicitatis coronam. Incontinentiæ, dilectissimi, multæ sunt species. Quoties enim aliquod facinus perpetramus, ad id per incontinentiam labimur. Specialis tamen incontinentia, luxuria est, quæ corpus simul corrumpit & animam. Nam cùm multa sint vitia, quæ licet unum offendant, fovent tamen sed alterum. Hæc est quâ corpus dissolvitur, mens fatigatur, anima affligitur. Hæc est quæ David appetiit, Salomonem prostravit. Hæc est quæ Martyribus palmam, Confessoribus insuper diuturnæ macerationis coronam auferre conatur. Igitur cùm cetera vitia per ministros quoque perfici possint, huic nullo modo nisi cum proprii corporis pollutione famulatur. Sunt etiam multa quæ incerta sunt quo animo fiant: Et licet cooperatores suos per propriam conscientiam . . . . . nec excusandi potest aditum reperire . . . . . continet locum. Unde omnibus Christianis, præcipuè tamen Sacerdotibus, qui prædicandi serviunt officio, eorúmque ministris summopere cavendum est. In quod lapsi si fuérint, sit eis nihilominùs in supplicium, continentibus in lamentum, conjugatis in scandalum, stultis in exemplum, sanctæ Dei Ecclesiæ in detrimentum. Nam secundùm Beatum Gregorium, cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Nostri denique officii nomina à talibus abstinendum esse nobis insinuant. Sacerdos namque quasi sacrum dans dicitur: minister autem à ministrando. Quâ ergo nefandâ præsumptione sacrum corporis vel sanguinis Domini nostri IESU-CHISTI conficere vel dare ceteris audet, qui semetipsum in hujusmodi spurcitiis p rmanere cognoscit? Aut quomodò in talibus ministrare in Ecclesia præsumat, qui libidini jugiter domi deservit? Itaque Sacerdotibus verbis simul & exemplis popu-

Digitized by Google

lum convenit regulare : Et ideò cavendum est, nè fortè cùm aliis prædicaverint ipsi reprobi inveniantur : & audiant quod Dominus hypocrisim redarguens ait : *Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.* Licet sint, quod pejus, qui nec trabem de suo ejiciunt, nec festucam fratris repellere præsumunt, sed confusi obmutescunt, dum seipsos reprobos recognoscunt. Hi dum suis peccatis aliena nutriunt, meritò utrorumque portabunt. Ait enim Dominus : *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur à via sua impia & vivat : ipse in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Præterea quod dicere pudet, tacere autem periculum, quidam in tantum libidini mancipantur, ut obscenas meretriculas sua simul in domo secum habitare, unà cibum sumere ac publicè degere permittant. Quarum inlecebris illecti suæ domui, cunctæque familiæ ac supellectili eas præesse dijudicant, suúmque post obitum scortum heredem constituunt, & quidquid de faculatibus Ecclesiæ, *vel eleëmosynis*, seu undecumque acquirere possunt, hujusmodi manibus distrahendum relinquunt. Sícque fit, ut dum sanctæ Dei Ecclesiæ matri & sponsæ pellicem superinducunt, Deo patri, & fideli viro animam . . . . . inopiæ causa continentiam fingunt, & postmodùm* . . . . . asciscunt. Qui dum penuriâ laborarent ab eis despecti, sed Ecclesiæ gremio sunt recepti. Inde quidquid postmodùm subtrahere valent, ipsis non desinunt erogare. Et unde meretries ornantur, Ecclesiæ vastantur, pauperes tribulantur. Hâc occasione Publicani* Clericorum domos irrumpunt, non ipsos, sed commanentes mulieres cum ipsis quos genuerant spuriis quasi sibi commissos extrahere simulantes. Id trepidant miseri, & munera quæque promittunt, & qui adorari poterant, cunctos adorare coguntur. Et qui omnium viriliter vitia declamare debuerant, de suis apud judicem quærunt licentiam. Sic sacræ ædes publicantur, & à vulgo deridentur, & nomen Domini blasphema-

Luc. 6. 42.

Ezech. 3. 18.

* concubinas aut quid simile

* Publicani heic aut Iudices publici, aut certè eorum ministri vulgò servientes dicti.

Digitized by Google

tur, ſicut ſcriptum eſt: *Vos eſtis per quos nomen Domini*
Rom. 2. 24. *blaſphematur inter gentes.* Solent etiam tali pro ſcelere vicinorum vicinarúmque odium incurrere. Quoties namque hujuſcemodi mulieres vel earum ſpurii cum aliquibus litigant, ipſi abjecta omni ſacerdotali reverentia ſeſe opponunt; injurias & contumelias quas poſſunt inferre, & deteriora minantur. Inſuper ut talis ditetur familia, ipſi cupidi, rapaces, uſurarii, avari, & invidi, ac fraudulenti efficiuntur. Unde non modicum Chriſti Eccleſia patitur detrimentum. Nam populus hoc conſiderans, decimas & primitias ipſis exigentibus reddere Deo contemnunt, nullúmque obſequium ſanctæ Dei Eccleſiæ perſolvere volunt, unde ipſi Sacerdotes aliquod conſequi poſſint emolumentum. Et inde populus ſacrilegus efficitur. Ipſi autem in tantam plerumque deveniunt paupertatem, vt vix ſufficere poſſint. Rurſus inveniuntur, qui cùm ab Epiſcopis ſuis tali pro crimine arguantur, paternam caritatem reſpuunt, & obedire contemnunt, ipſámque fidelitatem, quam jurejurando promiſerant, temerare non metuunt, ſed mundanâ adverſus eum aggrediuntur defendi potentiâ, ſe quoque ſuámque ſimul familiam ejus adverſariis committunt, & ſic demum his . . .

. . . . . .

contra jus Canonum ſine aliqua diſcretione præſumunt, & qui . . . . . arma hoſtium efficiuntur, ſéque in exitium, populum in errorem deducunt. Et inde ſæpe maximum adverſus ſanctam Eccleſiam oritur ſcandalum: quia quos vult habere filios, cernit inimicos, & quos conſiliarios, duros adverſarios.

Iterum ſunt, qui de feminarum contubernio ſe excuſare quærunt, dum ſuam quaſi neceſſitatem exponunt. Aiunt enim, quia niſi ipſarum manibus ſuſtentaremur, jam fame, vel nuditate deficeremus. Quod falſum eſſe cognoſcimus, dum illarum naturas conſideramus. Per-
Matt. 13. 17. ſecutionis igitur preſſuras Dominus inſinuans ait: *Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus.* Quod ideò dixiſſe intendimus, quia ipſæ impeditæ & graviores præ ceteris neceſſitatibus ſuis minùs poterant ſubvenire.

Quomodò

Digitized by Google

Quomodò ergo alium poterit sublevare, qui semetipsum non valet erigere? Certè talibus nisi ab aliis ministretur, suis laboribus, nec ipsæ subsistunt. Sed facinus quod voluptate perpetratur, utilitate excusari quæritur: utilitas tamen non est servanda, quam ratio non commendat. Verùm & si aliquis, ut asseritur, in hujusmodi commercio inveniretur quæstus, qui à nostro ministerio contrarium videtur, omnimodis est aspernandus. Qui enim aliquando Apostolorum, aut ceterorum Ecclesiæ Doctorum cum mulieribus ad prædicandum profecti sunt? Nempe ab ipsarum connubio, quas ante vocationem legitimè duxêre, *postmodum* se subtraxêre. Quod etiam Beatus Clemens in Apostolicis Decretalibus præcipiens ait: [Ministri altaris ad Dominica tales eligantur officia, qui ante ordinationem conjuges suas reliquerunt. Item Concilii Carthag. cap. 25. Placuit quod & in diversis Conciliis confirmatum est ut Subdiaconi, qui sacra mysteria contractant, Diaconi & Presbyteri, sed & Episcopi secundùm propria statuta & jam ab uxoribus se contineant. Sic Innocentius & Leo Romani Pontifices; sic ceteri quoque protestantur auctores. Quantò magis etenim carnalibus concupiscentiis & mundanis negotiis subtrahimus, tantò expeditiores divini operis cultores efficimur. Boëtio illustri viro testante, qui ait: Tu si in hanc mundi scenam nudus intrasses . . . . . perversitates exponendo, & futuras miserias liberè prædicando, ... canonibus de canticulis David proclamando: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*

Clement. Pap.

Concil. Carthag. 1. c. 12. sive 4.

Psal. 123. 7.

Custodite ergo vos, Fratres carissimi, à contubernio mulierum, *ne membra Christi membra faciatis meretricum*: unde difficile evadere potestis, nisi ab earum consortio declinetis. Quem enim compti crines, venusta facies, nictatio palpebrarum, elisio oculorum, affabilitas sermonum, garrula modulatio, visus facilis, blanda suasio, præclara monilia, schemata vestium, olfactio unguentorum, mollis incessus, ac totius corporis luxus

1. *Cor.* 6. 15.

Digitized by Google

non resolveret ad flagitium? Quod intuens Beatus Paulus exclamat Apostolus: *Fugite fornicationem*: nam cùm cetera vitia resistendo vitare possimus, huic pedibus succurrendum est: & ne deficiamus divinum auxilium imploremus.

Ibid. 18.

Sanctarum Scripturarum paginas, dilectissimi, perscrutate, & in his diligentiùs meditemini, unde hæc quæ à nobis dicta sunt non quasi nostra vilescent: quia quæ à sanctis Patribus accepimus, hæc Fratribus exposuimus. Quorum exempla quia cuncta non possumus explicare, pauca de multis quædam proposuimus: quædam autem subscribenda prævidimus. In primis Nicæna Synodus trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, in qua divino Spiritu fides catholica roborata, Arianorum est perfidia destructa, quæ ab hominibus quemadmodum evangelica verba servatur cap. tert. [Interdixit per omnia magna Synodus non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omninò qui in Clero est licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas quæ suspiciones effugiunt.] Item ex Decretis Clementis Papæ: [Nemo cum extranea habitet femina, nisi soror aut proxima fuerit, & hoc cum magna sollicitudine fiat. Non enim ignoramus malitias satanæ.] Item Siricii: [Feminas verò non alias esse patimur in domibus Clericorum, nisi eas tantùm quas propter solas necessitudinum causas habitare cum eisdem Synodus Nicæna permisit]. Hoc multa Concilia, hoc multorum Doctorum non tacuêre sententiæ. . . . . rubigo abstergitur. Sic sancta Ecclesia manifestissimè . . . . . servare possitis, adjuvet Trinus & unus Deus, qui vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Nicæn. Concil. can. 2.

Siricii Papæ Epist. 1. c. 12.

Digitized by Google

EIVSDEM.

X. ATTO gratiâ Dei humilis Episcopus, cunctis Sacerdotibus eorúmque ministris in nostra Vercellensi diœcesi commorantibus æternæ felicitatis coronam. Quæ sæpiùs usurpantur, carissimi, sæpiùs detestando reprimenda sunt, donec exinanita & penitus abolita deficiant: si autem post interdictum neglecta fuerint, & silentio contecta permanserint, magis armari* quàm abdicari videntur. Væ enim nobis erit, qui hujus ministerii onus suscepimus, si veritatem prædicare neglexerimus. Væ nobis erit, si silentio oppresserimus, quæ erogare nummulariis jubemur. Quid in futuro dicturi sumus examine, si veritatem confundimur prædicare? negligere enim qui potest deturbare perversos, nihil aliud est quàm fovere. Nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifestè facinori desinit obviare. *Ideſt,* *confiteri.*

De castitatis etenim bono, Fratres mei, jamdudũ vobis aliqua verbis intimavimus; quædam verò scriptis suggerere non obmisimus. In quibus quædam incentiva descripsimus, ejúsque calamitates partim enumerare curavimus. A meretricibus vos cavere docuimus, & extranearum penitus interdiximus contubernia feminarum; quæ etiam sanctorum Patrum confirmavimus testimoniis, nè impunè transgredi putassetis; sed quia aliquibus profeciſſe cognoscimus, Deo Patri devotas primùm laudes persolvimus: vobis etiam immensas per eum grates referimus; exorantes, ut de virtute in virtutem conscendere, & Deum Deorum in Sion mereamini prospicere. Quapropter, carissimi, si aliqui adhuc tantæ nequitiæ cœno demersi involvuntur, lacrimosis gemitibus Dominum exorare non differant; manus elevare non obmittant, ut de tanta voragine citiùs liberari valeant: Scriptum est enim *Omnis qui petit accipit, & qui quærit invenit; & pulsanti aperietur.* Tanta ergo Domini promissione, Fratres, nihil hæsitantes, castitatis tramitem incunctanter arripite. Dabit nempe perseverantiæ profectum, qui conti- *Matt. 7. 8.*

Digitized by Google

nentiæ dedit mandatum. Siquis autem superbiæ stimulis elatus, vel desperationis tabe profligatus assurgere neglexerit, non hoc absque sui periculo gradus omnino transibit, quod nullorum Doctorum . . . . . , malis actibus divino examini occurrant, quem infelicem propriæ nimiùm iniquitates gravant, sed potiùs de vestra bona conversatione nobiscum gratulari, & ab innumerabilibus delictis merear excusari, Jacobo dicente Apostolo : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvavit animam ejus à morte ; & operiet multitudinem peccatorum.* Vobis verò fratres, quos oculus Domini misericorditer jam respexit, & à talibus eruit, pro aliis jugiter Omnipotentem expedit exorare, ipsósque salutaribus monitis ad meliora convenit exhortari, ut eos quoquo modo vobiscum pariter valeatis sublimare, dicente Domino : *Si Frater fratrem adjuverit, ambo exaltabuntur.* Et Paulus Apostolus : *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et Jacobus ait. *Orate pro invicem ut salvemini.* Per Dominum nostrum Jesum-Christum, qui cum Patre sanctóque Spiritu vivit & gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Iacob. 5. 20.

Galat. 6. 2.

Iacobi 5. 16.

EIVSDEM.

XI. Sanctissimis & dilectissimis confratribus III. venerabilibus Episcopis, Atto gratiâ Dei humilis Episcopus, fideles in Christo orationes cum devoto famulatu. Novit caritas vestra, quia nostri Principes & Domini, glorioſissimi scilicet Reges, dum hostilem se dicunt suspicari impetum nostra scilicet Episcoporum contra hæc quærunt suffragia, nec nostris contenti pollicitationibus, nec de fidelitate juramento firmata confisi, obsides insuper à nobis pro eo accipere ut nuper audistis omnino laborant, quid vestræ sanctitati super hoc visum fuerit, nobis exponere vestris sacris apicibus, quia simul nunc aptè loqui non possumus, non dedignemini. Si præfati obsides à nobis dandi sunt, vel si denominati se pro nobis obligari noverint, quid agendum sit :

Digitized by Google

aut si consenserint, quo pacto, aut cum qua securitate hoc fieri oporteat. Si scriptis hæc conventio adnotari conveniat, vel si verbis tantummodò credatur communibus, si terminus sit imponendus, vel in quantum, aut si subreptum in aliquo Principibus de nobis fuerit, quod violaverimus propositam sponsionem, pro qua præfati obsides dari jubentur, qualiter convinci vel defendi debeat, aut quæ lex vigorem in talibus obtineat . . . . . diversæ partes dissenserint manifestissimè propalari . . . . . Plurimum etenim & nunc & in futuro valebit, si tam grandis seu inaudita causa in ipso exordio saluberrimis fuerit pertractata consiliis, ejúsque definitio paginis commendata nullam ulteriùs ambiguitatem admittat. Me quoque tam desidem & imperitum confiteor hactenus non reperisse ab ecclesiasticis Doctoribus tale quid auctoritate firmatum, vel exemplo propositum. Sed si quis studiosissimus hoc invenire potuerit perscrutator, ego quod à sanctis Patribus statutum est inviolabiliter assero observandum. Fidelitatem quoque nostrorum Dominorum & Regum pleniter in omnibus judico observandam. Nullo modo enim ante oculos divinę majestatis puri inveniri possumus, si eis infideles ullatenus existimus. Ait enim Dominus in Evangelio: * *Si hominem quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodò potes diligere?* Et ideò pro illorum fidelitate Regniq; statu & pace nobis satagere convenit, quemadmodum sanctissimos Præsules, nostros siquidem prædecessores, pro religiosorũ Principum novimus laborasse salute. Alioquin nil ultra novum adjicere censeo, nisi maxima utilitate vel necessitate cogente summi Pontificis sententiâ, vel prudentium fuerit Episcoporum deliberatũ consilio. Novimus enim quia, ut ait Dominus per Prophetam: *Quid est hoc, quod vertitis in proverbium dicentes: Patres comederunt uvas acerbas: & dentes filiorum obstupescunt. Vivo ego, dicit Dominus, quia non erit ultra hoc proverbium in Israel: ut anima patris, ita & anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris; & pater non portabit iniquitatem filii.* Quis er-

* S. Iohan. in Epist. 1. c. 4. 17.

Ezech. 18. 2.

Ibid. 20.

Digitized by Google

go religiosus contra dominicam sententiam dicere audeat, quod aliquis fidelis pro patris damnetur iniquitate, aut pro filii, cùm audiat ipsum Dominm dicentem: *Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filii?* Quamvis enim filii à parentibus noxam primi hominis trahant sacri fontis baptismate expiandam, tamen quicquid postea peccati parentes admittunt, ubi filii participes non sunt, ad eos non pertinere quis ambigit? Sed & si fieri etiam potest, ut patres comedant uvas acerbas, & dentes filiorum obstupescant, tamen non inter nos, non in Israël. Ait enim Dominus . . . . . qui hanc postponit sententiam, & filium patris, vel pro alicujus parentis culpa damnaverit, reus erit, & non in Israëlitico populo computabitur.

Et fortasse dicit aliquis: Quicquid in hujusmodi hominem fecero, ad eum pertinet, qui eum mihi tradidit. Certè revera quia ad eum pertinet, sed nec tu ideò excusaberis. Non enim suo peccato tuum evacuare poteris, sed si ille malè dedit, & tu malè accepisti, ambos tenebit iniquitas. Ille Christianum tuo supponit gladio, tibi Christiano non ideò eum ferire licebit. Quid ut percuteretur peccavit? Quid malè fecit? Nempe si caritatis causa se objecit, ut alterum liberaret, honorandus est, non perimendus.

1. Pet. 4. 8. Ait enim Beatus Petrus Apostolus: *Ante omnia mutuam in vosmetipsos caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum.* Et Dominus in Evangelio:

Iohan. 15. 17. *Majorem caritatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Moyses autem semetipsum pro

Exod. 32. 31. populo Israël opponens, ait ad Dominum: *Aut dimitte illis, Domine, hanc noxam, aut dele me de libro tuo, quem*

Ibid. 33. *scripsisti.* Cui ait Dominus. *Qui peccaverit in me, delebo eum de libro meo:* Ac si diceret: Tu bene postulas, quia piè postulas: ego autem non ita faciam, sed rectum judicium judicabo. Si verò pro alterius gratia aliquis se taliter opposuerit, ut alter exinde lucrum acquirat, vel gloriam, hoc minimè laudo in isto jam si venerit, revera triplicabitur homicidium, nec alieni erunt à crimine tam ipse qui homicidium perpetraverit, quàm ille qui hominem sub

Digitized by Google

tali conventione tradidit, seu & ipse, qui hoc de se fieri permisit, si ad intelligibilem jam pervenit ætatem. Nam de parvulis quid aliud dicendum est, nisi quod innocentes pereunt, & insontes existunt? Audi quid de ipso Domino actum sit: Vinctum illum Iudæi Pilato obtulerunt, ut crucifigeretur, dicentes: *Crucifige eum. Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori.* Et iterum: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Sed quamvis ipse dixerit: *Mundus sum à sanguine hujus*; Et quamvis manus laverit, tamen quia homicidium improbè perpetravit, nullatenus poterit à crimine excusari. Nam Dominici effusio sanguinis & illos maculavit, & hunc in perpetuum damnavit. Sed & hoc de omnibus innocentibus. . . . . vel etiam pro commodo, ut pro tali adulatione ditari vitant . . . . . ea quidem promittunt, quæ suæ non sunt potestatis, & pro tali pollicitatione obsides ponunt, quam illis vix adimplere permittitur. Quis enim de se præsumere audeat, vel quis de se poterit esse securus? Quis promptior de alicujus unquam poterit esse fidelitate beato Petro, qui ait ad Dominum: *Et si oportuerit me mori tecum, non te negabo?* Et tamen Domino prædicente, antequàm gallus cantaret, ter eum negavit. Christus enim ut Deus cognovit Petri fragilitatem: Petrus autem considerat suæ fidei ardorem. Quod autem Dominus dicit prævidendo, iste denegat amando. Ubi moraliter instruimur, ut quantum confidimus de ardore fidei, tantum timeamus de carnis fragilitate: quia si nostrum sit velle, Dei autem est perficere. Neque nos secundùm beatum Augustinum cùm ista dicimus, primum Apostolorum accusare delectat, sed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam de humanis viribus confidat. Nam quid aliud pertinuit ad Doctorem Salvatorémque nostrum, nisi ut nobis nequaquam de se quemquam debere præsumere in ipso primo Apostolorum demõstraret exemplo? In anima itaque contigit Petri quod offerebat in corpore. Ille enim mortem corporis offerebat, sed mortem animæ incurrit: quia sicut vivere est confiteri Christum, sic & mori

Iohan 19. 7.
Matt. 27. 25.
Ibid. 24.
Matt. 26. 35.
S. August. in Ioan. Tract. 66.

Digitized by Google

est negare eum. Quid etiam & Beatus Thomas dixerit no-
Joh. 11. 16. Matt. 26. 59. vimus: *Eamus & nos & moriamur cum eo, similiter autem & ceteri omnes dixerunt*: Et tamen *omnes relicto eo fugerunt.*

Et certum est Apostolos eo jam tempore plus eos dili-
f. * nos gere Dominum, quàm vos *omnes propinquos. Et ideo qui pro illius tunc non sunt retenti amore, pro nullis utique starent obsidibus. Multos quoque audivimus & vidimus post datos obsides irritam fecisse sponsionem. Quosdam verò etiam absque datis obsidibus usque ad mortem fidem servasse. Veruntamen si talis expetenda est obligatio, à stolidis & perversis Deúmque non curantibus tantummodò exigenda est. Vir autem prudens & Catholicus, quæ pro Dei omnipotentis timore sueque animæ periculo non custodit, pro nullis poterit servare obsidibus. Cavendum est ergo hoc omnibus Christianis, sed Pontificibus nullo modo æstimo præsumendum. Sicut enim Apostatæ dicuntur, qui post baptismum Christi susceptum . . . . . censuram, ad militarem se conferunt actionem. Quomodò enim pro se alios objicere periculo poterunt, qui se pro illis opponere debent? Legimus namque de beato Paulino Episcopo, quia cùm se pro uno tantùm viduæ filio captivitati, immo & servituti tradidisset, multos in hoc liberasse captivos. Quo etiam in facto tam à Beato Gregorio, quàm & à multis aliis sanctissimis laudatus est Patribus.

Unum tamen scio procul dubio, quòd ubique dicetur, quia si illud fidei vinculum, quod olim inter Principes nostrósque valuit prædecessores, minimè apud nos servari creditur, aut Principes deteriores aut nos nequiores esse probamur. Quia aut illi suâ sævitiâ adeò exosi videntur, ut ad popularem jam non possint redire amorem, aut nos adeò perfidi suspicamur, ut nullum in nobis fidei robur consistat, aut utrumque. Quæque tamen pars hoc meruisse convincitur, oporteret ei magis subsistere, quàm ad tale diu protrahi dedecus, quod absit.

Quapropter, dilectissimi, oremus Dominum omnipotentem,

Digitized by Google

potentem, ut noſtros glorioſſimos Reges ubique conſervet, nóſque illis commiſſos dignetur tueri, in omnibus nobis adverſitatibus propitiari. Illis de noſtra fidelitate donet fiduciam, & nobis in eorum obſequio perſeverandi præſtet conſtantiam. Tribuat illos nobis tranquillos, nóſque eis faciat eſſe devotos. Et ſi fragilitatis cauſa, aut ipſi in nobis aut nos contra illos aliquid iniquum commiſimus, ſic ejus clementia deleatur, ut nulla jam inpoſterum ultio exinde præparetur. Dimittamus debita, ut dimittantur, non vindicemus omnia nè omnia vindicentur. Non vindicentur maxima pro minimis, ſed ſervetur modeſtia & in magnis. Nullus quod alteri debetur pręſumat concupiſcere, quia hinc ſolent jurgia ſemper creſcere. Sufficiat unicuique quod ſuum eſt, nec invadere aliquem delectet quod non eſt. Qui enim injuſtè gaudet acquirere, ſolet etiam quod juſtè tenet amittere. Nam licet judicum poterit voces inficere, divinum non valebit judicium effugere. Det nobis Dominus ab exteris pacem, & inter nos ſuam conferat caritatem. Sit unum cor omnium, ut diligamus Deum & proximum. Dignè ſemper laudémus Dominum & benedicamus nomen ejus in ſæculum. Amen.

Digitized by Google

MISCELLANEA EPISTOLARVM AC DIPLOMATVM.

DIPLOMA LVDOVICI ET LOTHARII IMPERATORVM.

Anno Christi 826. *Ex Chartulario S. Crucis Aurelian. à D. d'Herouval communicato.* Confirmatur Privilegium Jonæ Aurelianensis pro instauratione Monasticæ disciplinæ in S. Maximini Miciacensi Monasterio.

I. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, LUDOVICUS & LOTHARIUS divinâ ordinante providentiâ Imperatores Augusti. Cùm petitionibus Sacerdotum Christi ad divini cultûs honorem pertinentibus annuimus & Imperialem consuetudinem adimplemus, & id procul dubio nobis ad æternam remunerationem capessendam profuturum fideliter credimus. Notum igitur esse volumus fidelium nostrorum tam præsentium quàm futurorum prudentiæ, necnon & successorum nostrorum magnitudini, quia postulavit nobis vir venerabilis JONAS Aurelianensis Ecclesiæ Episcopus, ut Privilegium, quod ob divinæ servitutis honorem & monasticum ordinem veraciter religioséque servandum circa Cellam sancti Maximini, quæ est juris Episcopii sui, cum conniventia Metropolitani sui JEREMIÆ Archiepiscopi & Canonicorum Ecclesiæ cui Deo largiente ministrat, nuper fecerat vel firmaverat, nostra auctoritate Imperiali confirmaremus; quod Privilegium nostris obtutibus exhibuit legendum. Cujus constitutionem, quia justè ac rationabiliter ob amorem Dei & animarum salutem factam esse perspeximus, æquum dignúmque judicavimus, ut ejus petitioni

Digitized by Google

aſſenſum præberemus. Quapropter per hanc noſtræ Præceptionis auctoritatem jubemus, & omninò decernimus, ut ſicut ab eodem Epiſcopo per memoratum Privilegium erga eamdem Cellam conſtitutum eſt, ita noſtris futuríſque temporibus à Rectoribus memoratæ Eccleſiæ modis omnibus obſervetur. Ita dumtaxat ut in præfata Cella in qua olim quoſdam Sanctos viros ſub monaſtico ordine probabiliter vixiſſe, Deóque placuiſſe evidentia argumenta teſtantur, quorum etiam interventu idem ordo in eodem loco creditur eſſe reſtitutus, memoratæ Sedis Pontificibus procurantibus, ſemper regularis ordo religioſiſſimè teneatur ac cuſtodiatur; & cùm Abbas ipſius monaſterii rebus humanis exemptus fuerit, providente ejuſdem Sedis Pontifice, ac piam paternámque ſollicitudinem gerente, eo ordine præferatur eis Abbas ſicut in eodem continetur Privilegio.

Res quoque ſive quæ eidem Cellæ juſtè & legaliter pertinent cum prædiis duobus, Quaſellis ſcilicet & Caſtaneovillari, ſive quæ idem Epiſcopus poſtea de cauſa Epiſcopii ſui, de ratione ſcilicet alterius Cellæ S. Maximini ad divinum officium honorificentiùs peragendum ei ſuperaddidit, in integrum abſque ullâ ſui diminutione, ſicut ab eo conſtitutum eſt, in uſus Monachorum cedant. Quòd ſi fortè his rebus propter Dei amorem Epiſcopo ipſius Sedis quippiam ſuperaddere libuerit, id cum Dei gratia ſuffragante ſibi Pontificali auctoritate libentiſſimè peragat: & ſi fortè hoc ei facere & voluntas & facultas denegaverit, de his quæ collatæ ſunt nihil aut cupiditate ductus, aut alicujus perſuaſione ſuccenſus quolibet modo auferat, ſed potiùs Monachi ipſius Cellæ his & ceteris rebus à Dei timentibus ſibi collatis ſuffragati liberiùs devotiúſque divinæ potentiæ famulari valeant; & pro nobis, conjuge & prole, & ſtabilitate Imperii à Deo nobis collati, & per immenſum ſuâ gratiſſimâ pietate conſervandi, necnon & pro Rectoribus Eccleſiæ cujus loco & rebus utuntur, jugiter divinam implorent miſericordiam.

Si verò quiſpiam Prælatorum memoratæ Sedis præfa-

Digitized by Google

tam conſtitutionem contra hanc noſtram Præceptionem quodammodò irritam facere, ac penitus convellere voluerit, volumus atque decernimus, ut res ad notitiam Senonici Metropolitæ perferatur, quatinus his adhibitis ſuæ diœceſeos Suffraganeis Epiſcopis idem negotium diligenti indagine diſcutiat & corrigat, & ad ſtatum priſtinum, ſalvâ memoratæ Sedis dignitate ac poteſtate, revocare procuret. Porrò ſi contingeret idem negotium propter aliquam ſui difficultatem ab eo minimè poſſe definiri, volumus ut ejus relatu noſtris ſucceſſorúmque noſtrorum auribus res innoteſcat, videlicet ut noſtræ auctoritatis ſanctione in generali Conventu Epiſcoporum hujus Conſtitutionis convulſor corripiatur & corrigatur, ut eorum ſalubri judicio memorata Conſtitutio priſtinum ſtatus ſui recuperare valeat vigorem. Præſul ſiquidem memoratæ Eccleſiæ ſummopere provideat, ut Monachi ipſius Cellæ rebus memoratæ matris Eccleſiæ donati, ociúmque ſanctæ quietis per memoratum Privilegium & hanc noſtram Auctoritatem adepti, in his in quibus ſe Deo devinxerunt divinâ adjuvante gratiâ inviolabiliter permaneant. Ita videlicet ut nec interiùs à ſuo propoſito deviare, nec exteriùs res ſibi deputatæ eorum inſolentiâ aut incuriâ quoquomodò negligi aut ſubripi poſſint: ſed Eccleſiæ, cujus loco & rebus utuntur, in omnibus fidem & humilem congruentémque ſubjectionem ſicut decet & oportet ſervare meminerint. Nec ſe putent propter noſtram Auctoritatem à jure & poteſtate ipſius Eccleſiæ ſubtrahere, aut eaſdem res qualibet machinatione alienare poſſe. Præſertim cùm & locus & res quibus utuntur juris ſint ipſius Eccleſiæ, & ab ejus meritò pendeat poteſtate.

Quæ ut pleniorem in Dei nomine obtineant vigorem, ut hæc etiam veriùs certiúſque credantur, ac meliùs conſerventur, nominis noſtri charactere muniri & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus. Data XIII. Calendas Martii, anno Chriſto propitio XIII. Imperii Domni Ludovici Piiſſimi Auguſti Indictione III. Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen.

Digitized by Google

PRÆCEPTVM LOTHARII IMPERATORIS, Quo Villam quamdam Ecclesiæ Eduensi restitui jubet.

Anno Christi 852. *Ex majori Chart. Eduensi à Domino d'Herouval communicato.*

II. IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI Dei æterni LOTHARIUS divinâ ordinante providentiâ Imperator Augustus. Si in restitutione rerum Ecclesiasticarum curam adhibemus, providentiámque non minimam gerimus, non solùm in hoc Imperialem exercemus consuetudinem, sed etiam id ad emolumentum animæ nostræ pertinere non ambigimus omnimodis. Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, nostrorúmque præsentium & futurorum noverit universitas, quia JONAS Venerabilis Augustudunensis Ecclesiæ Episcopus per REMIGIUM venerabilem sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ Præsulem, & vasallum suum GISLULFUM nomine, ad aures pietatis nostræ perducere studuit, quòd Aldricus quondam Comes ex rebus Ecclesiæ sancti Nazarii, cui idem JONAS Deo auctore præsidet, in pago Scudingis villam unam Voltnaus vocabulo, antequàm hanc lucem emisisset temerè invasisset, suóque vasallo Rodfrido nomine beneficiario munere delegasset. Quam causam prædicto viro venerabili REMIGIO & AGILMARO reverentissimis Archiepiscopis diligenter inquirere & discutere jussimus, & per ipsos sicuti superiùs nobis indicatum fuerat, eamdem villam ad præfatam sancti Nazarii Ecclesiam verè & legitimè pertinere didicimus, atque per judicium nobilium virorum, Comitum atque Scabiniorum memorato Gislulfo vasallo jamdicti JONÆ Episcopi eam reddi præcepimus.

Sed ut in perpetuum memoratus JONAS Episcopus successoréque ejus ad partem præfatę sancti Nazarii Ecclesiæ quietè eandem villam obtinere valeant, hoc nostræ mansuetudinis Præceptum fieri decrevimus: per quod

Digitized by Google

statuentes decernimus atque jubemus, ut abhinc in futuro prescriptam villam in jam dicto pago Scudingis sitam, pars memoratę sancti Nazarii Ecclesiæ quietè teneat ac possideat, & prout utilitas ejusdem loci dictaverit, ordinet atque disponat. Et ut hæc nostrę confirmationis auctoritas stabilem & inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter jussimus sigillare.

RODMUNDUS Notarius ad vicem HILDUINI recognovi.

Data v. Nonas Julii, Anno Christo propitio Imperii Domni LOTHARII pii Imperatoris in Italia XXXIV. & in Francia XIV. Indictione primâ, Actum Theodonis-villa palatio Regio in Dei nomine feliciter, Amen.

Anno Christi 858. *Ex Chart. Eduensi majori a Domino d'Herouval communicato.*

JONÆ EDUENSIS EPISCOPI.

Confert multa tum ad vitam Canonicorum, tum ad ipsorum ædificiorum constructionem, necessaria.

III. ANNO Incarnationis Dominicæ DCCCLVIII. Siquidem & glorioſissimi Domni CAROLI serenissimi Regis XVIII. In nomine Domini & Salvatoris nostri J. C. JONAS supernâ præveniente clementiâ Eduorum Episcopus, perpendens dum quia in hac mortalitate vivitur sine terrenarum rerum amminiculo Deo à mortalibus non servitur, & Pastoris officium esse ut gregibus sibi creditis geminam pastionem impendere debeat, spiritalem videlicet & carnalem. Quoniam dum carnalia eis congruenter impenduntur, adhibito spiritali labore uberiùs in eis salubria quæque excrescunt; & quia ubi hæc providâ ac rationabili distributione non impenduntur, necesse est ut illa negligantur. Idcirco de facultatibus Ecclesiæ cui Deo miserante deservio, Canonicorum cœtui mihi commisso aliquod subsidium, sicut in subsequentibus declaratur, conferre studui. Ductus ergo honore Domini nostri JESU-CHRISTI, eorúmque saluti pastorali sollicitudine prospicere gestiens, dignum æquúmque judicans pro viribus eis ferre debere consultum, secundùm canonicam auctoritatem adhibito consensu Presbytero-

Digitized by Google

rum, Diaconorum, ac totius sequentis ordinis ejusdem Ecclesiæ, ob divini cultûs amorem superaddere studui eis secundùm quod ratio dictavit, quantum necessaria fore existimavi.

Primùm enim prospiciens illorum habitum officinarum inconvenientem & penè nullum esse comparatione aliorum, juxta morem aliarum urbium, claustra illis construere, officinásque congruentiores & aptiores ad usus eorum ædificare studui.

Et licet quædam ecclesiasticæ res ad supplementum eorum & victum administrandum à prædecessoribus meis illis conlatæ fuissent, tamen pro quantitate sui atque difficultate itineris quia longiùs ab urbe distabant, penuriam sæpissimè pati solebant cotidiani victûs. Ut ergo penitus hæc occasio tolleretur, receptis eisdem rebus, atque militaribus viris distributis, id est Caramanno & Tillido villis, cum fisciaco ad se pertinente, delegavi in usus eorum in viciniori & pinguiori loco Marcassolium villam indominicatam cum omni integritate sui; Simpiniacum etiam villam similiter indominicatam ad cotidianum potum eis administrandum: superaddens etiam beneficium quod ex eodem fundo RAGEFREDUS quondam habuit, ut idem prædium cum omnibus ad se pertinentibus eorum usibus deserviat. Has ergo villas cum omnibus ad se pertinentibus simul cum Anlaciaco villa quæ olim à Domno Motoino* eis conlata fuerat, prædictis Canonicis matris Ecclesiæ S. Nazarii Episcopali auctoritate cedimus, & perpetualiter deservituras mancipamus: & non solùm hæc, verùm & illa quæ noviter à Canonicis ejusdem matris Ecclesiæ de propriis sumptibus ibidem data sunt, vel ab aliis fidelibus deinceps conlata fuerint, in usus famulorum Dei in integrum cedant, quatinus his ad supplementum sui utcumque suffulti devotiores in Christi militia existant, & non solùm pro Principibus & Rectoribus Ecclesiæ ejusdem, sed etiam pro statu totius sanctæ Ecclesiæ jugiter divinam exorent misericordiam.

* Seu Modoino Episcopo Augustodunensi.

Sed quoniam sæpissimè evenire solet, ut bene piéque

Digitized by Google

ob Divini cultûs honorem ordinata, multifaria occasione convellantur, ideò necessarium judicavi hoc Privilegium Pontificalis auctoritatis fieri & affirmari debere, ut videlicet de supradictis rebus nihil qualibet occasione aut à me, aut à successoribus meis aufferatur; sed neque pro eisdem rebus aliquid terreni servitii aut muneris ab eis exigatur, & quinquagenarius numerus Canonicorum non transgrediatur, donec Deo opitulante prædictæ res augmententur.

Vos igitur, ô Successores mei, quos divina pietas eidem Sedi Pastores substituerit, humiliter obsecro, & per Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM Pastorum omnium Pastorem precibus quibus valeo paternitatem vestram imploro, ut hanc Constitutionem auctoritatis nostræ ob divinæ servitutis honorem factam, ratam acceptámque habeatis, eámque ita conservetis, & conservari inviolabiliter faciatis, sicuti vultis à successoribus vestris pia vestra indissolubiliter conservari, quatinus, quod absit, non de convulsione aut substractione, aut diminutione aliquem lapsum incurratis, sed magis de conservatione & superadditione liberalissimæ pietatis vestræ præmium apud Dominum adquiratis: verùm si ad votum nostrum hæc res cesserit, vestráque voluntas nostris humillimis petitionibus faverit, non solùm mihi qui hoc facere studui, sed & vobis à quibus constiterit observari, plenissimam mercedem à Domino constat retribui.

Hanc ergo Privilegii chartulam tam de supradictis rebus, quàm etiam de his quæ ipsi Canonici intra vel extra urbem videntur habere, conscriptam non solùm manus parvitatis nostræ scripto, verùm etiam insignium virorum, Episcoporum videlicet & Abbatum, ceterarúmque spectabilium personarum manuum confirmatione roborari decrevimus.

JONAS humilis Eduorum Episcopus hoc Privilegium à me factum ob divini cultûs amorem roboravi & subscripsi.

REMIGIUS humilis Episcopus relegi & subscripsi.

ISAAC humilis Episcopus relegi & subscripsi.

EBO

Digitized by Google

EBO indignus Gratianopolitanus Epiſcopus.
GODESALDUS Cabilonenſis Epiſcopus.
TEUTRAMNUS humilis Epiſcopus relegi & ſubſcripſi.
BRINDINGUS Matiſcenſis Epiſcopus.
ABBA Maurogennenſis* Epiſcopus ſubſcripſi.
REMIGIUS Dienſis Epiſcopus ſubſcripſi.
RATBERTUS ac ſi indignus Valentinenſis Epiſcopus ſubſcripſi.
THEODMUNDUS humilis Diaconus ſcripſi & ſubſcripſi.
ELRADUS licet indignus Chorepiſcopus ſubſcripſi.
Bernardus Abbas Melundenſis Monaſterii ſubſcripſi.
ADO indignus Preſbyter ſubſcripſi.
MANNO Preſbyter ſubſcripſi.
CODRAMNUS Preſbyter ſubſcripſi.
RANDO humilis Abbas ſubſcripſi.

* Abbo Mauriannenſis.

Data XIII. Kalendas Junii, Anno XVIII. regnante CAROLO glorioſiſſimo Rege, Indictione VII. Actum in territorio Lingonenſi in Monaſterio ſanctorum Geminorum, in Dei nomine feliciter, Amen.

IONAS EDVENSIS EPISCOPVS.

Anno Chriſti 865. *Ex majori chart. Edunenſi à D. d'Herouval.*

Fundatam ac dotatam Eccleſiam à TANCRADO *nobili viro conſecrat.*

IV. IN nomine Domini & Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI JONAS divinâ providente clementiâ Auguſtidunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, & præcipuè ſucceſſoribus noſtris, quia venerabilis vir atque religioſus TANCHRADUS nomine acceptâ à nobis licentiâ Oratorium de propriis ſumptibus conſtruxit, ſimul cum ſua conjuge chriſtianiſſima femina, quæ vocabatur RICTRUDIS, in pago Auguſtidunenſe, in villa quæ vocatur Lanoſela, quam ipſe de denſitate ſylvarum ad agriculturam & habitationē

Digitized by Google

hominum exercendo & excolendo perducere studuit; deprecatíque sunt simul nostram pastoralem sollicitudinem, quatinus idem Oratorium eorum ope constructum ad debitas Deo omnipotenti laudes persolvendas ex more consecraremus. Quorum devotionem animadvertentes, etiam dotem ejusdem Basilicæ secundùm consuetudinem requirere procuravimus, & ipsi prout ratio dictabat studiosissimè adimplere studuerunt, ea videlicet ibidem ad hoc opus deputantes quæ subter adnexa demonstrant.

Sed quia contigit priùs illos ab hac luce migrare, quàm otii nobis fuisset, & congruentia loci & temporis nobis ambobus dictaret, ut illorum laudabile desiderium in consecratione ejusdem Basilicæ ad effectum perducere potuissemus, ne eorum opus & studium frustratum esse videretur, mox ut opportunum fuit quod illis viventibus promisimus, hoc post illorum obitum adimplere curavimus, exhortando & commonendo filios eorum, ut vestigia parentum sequentes, eorúmque bonam voluntatem imitantes, in sanctæ religionis studio & Christianitatis opere vigilantissimè excrescant, & semper quæ placita sunt Deo, adjuvante se divinâ illius gratiâ, agere satagant, illis ergo pro posse & sapere cum Dei omnipotentis adjutorio hoc totum servare se velle pollicentibus, prædictum Oratorium ad persolvendum ibidem divinum jugiter officium, IV. Idus Aprilis in honore Dei omnipotentis & veneratione sancti CIRICI egregii Martyris solemni officio dedicavimus.

Ego itaque in Dei nomine ACHARDUS pro amore omnipotentis Dei & æterna memoria supranominati genitoris atque genitricis meæ, necnon etiam pro remedio animarum eorum, atque pro absolutione delictorũ meorum, secundùm paternam ordinationem & maternam dispositionem dono prædictæ Casæ Dei sancti Cirici Martyris inclyti, cum consensu carissimi Germani mei ACHEMUNDI, de rebus proprietatis meæ quæ mihi hereditario jure de paterno dato atque materno advenerunt, idest Casalem vnum in quo idem Oratorium sancti Cirici pa-

Digitized by Google

tris noſtri opere conſtructum eſſe videtur cum adhærenti ſylva, qui habet terminationes in uno latere manſum indominicatum ejuſdem donatoris, & viam publicam, in una fronte terram Grimaldi & Guttam mortuam, in altero latere terram ipſius donatoris quam vocant exertum Heliæ; in quarto terram Grimaldi. Dono etiam in loco qui apellatur Viat terram arabilem ad modios XII. quæ habet terminationes in uno latere ſylvam ejuſdem donatoris, in altero latere terram ſanctæ MARIÆ: in tertio latere rivum decurrentem: in quarto verò latere terram ipſuis ACHARDI infra iſtas terminationes totum & ad integrum.

Dono etiam in Marnanto pratum unum ad carra XX. quod habet in duabus partibus viam, & in aliis duabus partibus terram Grimaldi. Dono etiam in Alctiaco villa vineam unam ad modios XX. quæ habet in duobus lateribus viam, in tertio latere vineam Ragentei: in quarta verò fronte terram ipſius donatoris, infra iſtas terminationes totum & ad integrum. Dono etiam in ſupradicta villa Lanoſcra manſum veſtitum unum cum omni ſuppoſito, & terris & pratis ad ipſum aſpicientibus, & cum mancipiis ſupra commanentibus, quorum hæc ſunt nomina. Sigradus & infantes ſui, Privatus, Dominicus, Madalbertus, Sigrada.

Hæc omnia ſuperiùs denominata de meo jure & poteſtate in jus Caſæ Dei & Rectorum ejus trado atque transfundo perpetualiter, cum poteſtate ad faciendum ex his omnibus quidquid juſtè & rationabiliter judicaverint, & uti omni tempore, ab infeſtatione heredum ſit quieta & libera, eandem baſilicam cum omnibus rebus ad ſe pertinentibus matri Eccleſiæ Sancti Nazarii contradimus & perpetualiter deſerviturum mancipamus, eâ conditione & firmitate, ut annis ſingulis perſolvatur inde à me vel ab heredibus meis feſtivitate ſancti Nazarii de cera libram unam.

Si quis verò quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe aut ullus de heredibus meis, vel quælibet oppoſita perſona

Digitized by Google

contra hanc Donationem vel Dotationem à me plenissima voluntate factam aliquid dicere vel calumniare voluerit, sua repetitio nullum obtineat effectum, sed insuper cui litem intulerit, auri uncias sex coactus exsolvat, & præsens hæc donatio firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnexa.

Actum suprascripta villa publicè,

Signum ACHARDI qui hanc donationem fieri & firmare voluit,

Signum ACHAMUNDI fratris ejus qui consensit,

Signum ARULFI,

Signum RAGENTEI,

Signum VOLBERTI,

Signum item RAGENTEI,

Signum HILDEMODI,

Signum FULCHERICI,

Signum ADELONGI,

Signum AGLINI,

Signum BERMUNDI,

Signum WARLANNI,

SARULFUS clericus scripsit & subcripsit,

Data in mense Aprilis, die quo suprà, anno XXV. regnante Domno Carolo Rege in Dei nomine feliciter Amen.

Anno Christi 884. *Ex Chartulario Aurelianensi à Domino d'Heroual.* Omnia quæ à Prædecessoribus concessa sunt Ecclesiæ Aurel. approbat.

CARLOMANNI REGIS PRÆCEPTVM.

V. IN nomine Domini æterni, & Adjutoris nostri JESU-CHRISTI, CARLOMANNUS gratiâ Dei Rex. Scripturarum divinarum fluenta sedulo requirentibus ingenio, necnon promulgata Canonum sollicitè relegentibus perfacilè patet, quòd quicumque Principum utilitatibus Ecclesiasticis consulunt, non solùm reipublicæ stabilimenta quæ permaximè sunt necessaria construunt, verùm etiam æternę beatitudinis innenarrabile præmium

Digitized by Google

sibi præparant possidendum. Compertum siquidem non solùm Episcoporum solertiæ, ad quorum notitiam quæ inferiùs subnectenda sunt pertinet præ omnibus, verùm etiam cunctorum fidelium nostrorum notitiæ esse volumus, qualiter venerabilis GAUTERIUS * sanctæ Aurelianensis Ecclesię Episcopus nostram adiens Celsitudinem, unà cum consultu venerabilis HUGONIS Abbatis, totiúsque Regni nostri utriusque ordinis Procerum. Significavit Ecclesiam sibi divinitus commissam quondam Privilegia, sive Præcepta in eligendis sibi Pontificibus, tam auctoritate Apostolica, quámque patrum nostrorum confirmatione habuisse firmata, quòd lamentabili Normannorum persecutione cum multis aliis ejusdem Ecclesiæ librorum ac testamentorum copiis concremationē deperisse incendii, non solùm veridicorum fidelium nostrorum testatur relatio, verùm etiam ipsius matris Ecclesiæ Basilica à supradictis Regni persecutoribus concremata certissimis prætendit indiciis. His igitur venerabilis Episcopus GAUTERIUS anxius considerans suis diebus memorata instanti persecutione & Ecclesiam concrematam, & permaximè tanti ac singularis Privilegii sive Præcepti damnum universarum utilitatum ipsius Ecclesiæ cupidus restaurator, juncto suis precibus inclyto ac venerabili HUGONE Abbate tutore nostro, ac Regni nostri maximo defensore, cum reliquis nostris fidelibus sapientissimè nostram magnitudinem exoravit, ut nostræ auctoritatis Præceptum super hoc suæ denuò confirmassemus Ecclesiæ, atque liberam à nostra parte licentiam eidem concessissemus antiquam auctoritatem more canonico à Sede Apostolica impetrandi.

* *sive* Valterius.

Petiit quoque memoratus venerabilis Episcopus, ut de villis, Basilica scilicet de Ulmeto, quas piæ memoriæ avus noster CAROLUS Imperator suæ restituit Ecclesiæ, atque de villa Cadonno per deprecationem HUGONIS venerabilis Abbatis eidem concessimus Ecclesiæ, cum omnibus appendiciis ad easdem pertinentibus; necnon etiam de omnibus rebus quas præfatus Præsul tam in

Digitized by Google

luminaribus quámque etiam in omnium suorum Canonicorum usibus, tam scilicet matri Ecclesiæ, quàm reliquis sibi pertinentibus Monasteriis hactenus per Testamentum delegavit, vel deinceps Deo propitio delegaturus canonicè est, nostri præcepti confirmassemus auctoritate, quatinus futuris temporibus in usus & dispendia & utilitatem Fratrum suprascriptæ Ecclesiæ, vel Monasteriorum ibidem pertinentium, sicut idem Pontifex canonicè Testamenta dispositi, permanendo consistant.

Hujus igitur humillimas petitiones, cum consultu fidelium nostrorum curiosiùs pertractantes, omnibus esse gratissimas, primò omnium pro amore Dei & ipsius sacratissimi loci veneratione, qui speciali ac divinâ benedictione, per manus scilicet Domini apparitionem noscitur esse consecratum; necnon etiam sæpedicti venerabilis Abbatis petitionibus ac commonitionibus exhortati, fieri quod præmissum est libenter decrevimus; & ut deinceps hoc nostræ Celsitudinis Præceptum per succedentia tempora vigeat, relegatur, manu Excellentiæ nostræ subterfirmavimus, & annuli nostri impressione sigillari jussimus.

Datum tertio Idus Augusti anno quinto regnante CARLOMANNO glorioſissimo Rege, Indictione primâ. Actum apud Melnacum-villam & Vimnau Comitatu in Dei nomine feliciter. Amen, amen, amen.

Digitized by Google

TESTAMENTVM HERIVEI Eduenſis Epiſcopi.

Anno Chriſti circiter. 923. *Ex majori Chart. Eduenſi a D. d'Herouval communicato.*

VI. IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris noſtri Jesu-Christi Heriveus ejuſdem propitiante miſeratione humilis Eduorum Epiſcopus. Si paſtoralem à Deo nobis commiſſam curam digna & Deo placita ſollicitudine providemus, & in paſcendis atque enutriendis Dominici gregis collegiis operam damus, ad repromiſſa bonis ſervis à ſummo Paſtore præmia percipienda greſſus noſtros dirigi ipſo duce non diffidimus. Quapropter noverit omnium ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelium præſentium ſcilicet & futurorum generalis unanimitas, quoniam cùm de variis memoratæ noſtræ Eccleſiæ incommoditatibus præcordialiter moveremur, & ſpecialiter de congregatione ejuſdem ſanctæ Matris qualiter in divinis cultibus condigna ſinceritate ſubſiſteret, cum Rectoribus illius ſollicitè tractaremus, præcipuè autem cum veneranda genitrice noſtra Donna Irmengardi illuſtri Comitiſſa, hujus poſſibilitatis conſilium expeteremus, quam tanto noveramus in hujuſcemodi incrementis voluntariam, quanto de noſtra ſalute non dubitamus ampliùs eſſe ſollicitam; reperimus horum omnium conſilio quandam noſtræ poteſtatis villam olim à noſtra Eccleſia injuſtè alienatam, & anteceſſorum noſtrorum ſtudio nonis & decimis eidem ſervatis ſolemniter receptam, Mariniacum videlicet ſitam in Comitatu Nivernenſi ſuper fluvium Icaunam, talibus obſequiis commodam, quam Canonicorum prædictæ Congregationis & egregii patroni noſtri Beati Nazarii uſibus deſtinavimus æternaliter poſſidendam, cum omnibus ad ſe juſtè & legaliter pertinentibus, quæſitis & inquirendis, & cum manſis quinque ſitis in Comitatu Avalenſi, diverſis in locis poſitis, at-

Digitized by Google

que à possessoribus jamdictæ villæ simili jure possessis. In Comitatu etiam Augustudunensi, in montibus scilcet eidem civitati prominentibus mansos duos penitus absos, & omni cultura destitutos, pascuis solummodò animalium aptos, quos de potestate comitali Domnus Ionas antecessor noster Regia auctoritate adeptus est, in loco videlicet quem Porcaritiam incolæ apellant. Iuxta murum quoque ipsius civitatis, in loco quem Brolium nuncupant, mansum unum similiter absum, hortum similiter ad villam Arneias pertinentem, ad quam & ipse mansus visus est pertinuisse; & Hortolanum nomine .... cum uxore & liberis, pistorem verò nomine. . . . . cum uxore & liberis, coquum necnon nomine Gudinum cum uxore & liberis: hos omnes tam mansos quàm servientes cum supradicta villa, & omnibus jamdictis rebus, jure prędicto prælibatæ Congregationi in perpetuum habendos & dominandos mancipavimus.

Unde & hoc piæ institutionis Testamentum fieri decrevimus, successorum nostrorum venerandam assensum prębere orantes successionem, per quod statuentes decernimus, & pontificali auctoritate confirmamus, ut supradictas res cum omnibus suprà consignatis Fratres memorati Collegii sicut reliquas res ad eorum generalitatem pertinentes Canonico jure possideant, & inviolabiliter prout communi utilitati melius visum fuerit disponant atque regant, nullo inquietante aut disrumpente.

Omnium igitur Prælatorum & sæcularium Principum, & virorum nobilium unà cum prædicti Ordinis Patribus eorúmque subjectis piam exoramus devotionem, ut hæc statuta nostra ita observent paternâ conlaboratione, quemadmodum post se sua observari optabunt decreta, quo participes ejusdem mercedis fieri mereantur, qua nos credimus remunerandos pro talibus largitionibus.

Ut ergo hoc nostræ institutionis Testamentum tutiorem in Dei nomine obtineat firmitatis plenitudinem, prælibatorum Patrum & Coëpiscoporum nostrorum manibus firmandum offerentes, manu nostra firmavimus & prædictorum Principum, eorúmque & nostrorum amicorum

Digitized by Google

rum atque fidelium manibus humiliter firmari rogavimus.

Heriveus humilis ſanctæ Eduenſis Eccleſiæ Epiſcopus huic ſcripto voluntate plena aſſenſum prębui & ſubſcripſi.

Ego Irmingardis humilis Comitiſſa meæ proli venerabili Epiſcopo hoc Teſtamentum conſtituere ſuggeſſi, manúque propriâ confirmatum aſſenſum præbui.

Gilbertus Vicecomes ſubſcripſi.

Ardradus Cavillonenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Remigius ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ humilis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Adalardus humilis Anicienſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi.

Gerardus peccator & humilis Epiſcopus ſubſcripſi.

Aimo Abbas ſubſcripſi,

Letricus Monachus & Abbas ſubſcripſi,

Theodbodus humilis Abbas ſubſcripſi,

Durannus Prælatus ſancti Vincentii ſubſcripſi,

Arembaldus Archidiaconus ſubſcripſi,

Trutbaldus Archidiaconus ſubſcripſi,

Fulco Archidiaconus ſubſcripſi,

Erbladus Abbas ſubſcripſi,

Aimardus Abbas ſubſcripſi,

Letrardus humilis Levita ſubſcripſi,

Girardus humilis Abbas ſubſcripſi,

Vtuldricus Preſbyter ſubſcripſi,

Signum Bodonis,

Signum Eldradi,

Signum Radulfi,

Signum Arlegii,

Signum Rotgarii,

Signum Theoderici,

Item ſignum Arlegii,

Signum Adaldi,

Signum Landrici,

Signum Walicardi.

Digitized by Google

Datum IX. Calendas Maii Indictione septima, Anno XXIV. Caroli Regis post obitum Domini Odonis quondam Regis.

Anno Christi 990. *Eruit Dominus d'Herouval, ac descriptam ex Codice Mss. communicavit.* Gausbertus eligitur Episcopus Cadurcensis permittente Metropolitano, & Episcopis assensum præbentibus.

FORMA ELECTIONIS Episcopi.

VII. PRISCA modernáque Ecclesiarum moderamina theoloquelariis sanxêre Canonibus, quò arripientibus viam universæ terræ quarumlibet sedium Præsulibus, per viciniorem Episcopum, aut per quemlibet alium Episcopum, cui Archipræsul injunxerit, extincti fratris tumulatorem, orbatæque Sedis visitatorem atque consolatorem, sine cujus conscientia sacri prohibent Canones confiteri aut confici de subrogatione Episcopi, perficiatur ecclesiasticarum inventarium rerum. Tunc verò prioribus viduatæ Sedes dispositis Oeconomis commendetur. Postmodùm autem cleri plebísque ordinis desideriorum consensus requiratur, quinimmò amotis simoniacis sacculis, postpositísque omnium cupiditatum argumentis, universa fideliter notitiæ Archiepiscopali significentur, quo disponente cuncta in talibus expedit cum Suffraganeorum consilio sub divina censura disponi negotiis atque ordinari. Igitur Metropolitano Dominicâ vocatione rebus humanis vitáque perfuncto, hæc eadem fideliter exigenda sunt omnia à visitatore atque tumulatore, & omnium diœcesanorum si fieri potest cognitioni significanda prudentialiter, quò urbes quas gentilium temporibus habebant Idolicolæ Flamines, nunc gubernent Christicolæ Præsules.

Cùm ergo Pastorem contigerit subrogandum, post advocationem & clamationem Cleri petitionémque viduatæ plebis, ne urbs Præsulem minimè optatum non spernat, nec odium habeat, fiátque minus religiosa quàm convenit, cui non licuit habere quem voluit. Quoniam difficile est quòd bono peragantur exitu quæ malo sunt inchoata principio, expedit orbatæ Sedi cum Episcoporum electione, cleri ac populi ipsius Ecclesiæ acclama-

Digitized by Google

tione, Episcopum ordinari atque inthronisari. Quapropter vir inclytus DAGOBERTUS, primæ sanctæ Bituricensis Ecclesiæ sedis Archimandrita * cognoscens obitum beatæ memoriæ FROTERII * Episcopi sanctæ sedis Caturcensis Ecclesiæ, cujus memoria æthereo describatur in albo, uti sacra Canonum auctoritas jubet. In ipsius loco jubeo & absolutionem facio ad Coëpiscopos nostros eligere & benedicere GAUSBERTUM Sacerdotem verò * nobilem, orthodoxum non cenodoxum, frugalem non gastrimargicum, humilem non philarchicum, modestum, hospitem *, caritativum, castum, misericordem, & juxta Apostolum, armis divinis decentissimè ac pleniter adornatum.

Id est, * Archiepiscopus. * *Non reperitur in Gallia Christiana inter Episcopos Cadurcenses.*

f. * verè

* hospitalem.

Nos quoniam humiles JESU-CHRISTI unà cum auctoritate & absolutione domni Archipræsulis nostri DAGOBERTI, BEGO Arvernensis, INGELBINUS Albiensis, FROTERIUS Petragoricensis, cernentes tantam acclamatorum unanimitatem, & acclamanti proficuam Ecclesiæ utilitatem, unà per consensum & voluntatem GUILLELMI Comitis Caturcensis, matrísque suæ ACILICINÆ, recepimus in nostro Episcopali numero atque collegio proclamatum GAUSBERTUM, & eum per auctoritatem Canonicam benedicendum * ordinavimus, & electum Episcopum in ipsam sedem sancti Stephani Ecclesiæ Caturcensis Episcopum exaltavimus, & in nomine sanctæ Trinitatis inthronisavimus, & ipsi Ecclesiæ Pastorem præfecimus. Acta schedula hujus indaginis à corporea trabeatione Verbi divini, Anno. DCCCC.XC. indictione III. facta electione ista Nonas Januarii. regnante CAROLO Rege.

* Benedicendum, *seu* consecrandum.

Digitized by Google

Anno Christi 1057. *Ex Chartulario Aurelian. à Dom. d'Heroval.*

HENRICI FRANCORVM REGIS Diploma, quo abrogat injustam consuetudinem.

Ne portæ civitatis Aurelianensis tempore vindemiæ claudantur; nec custodes adhibeantur.

VIII. IN Christi nomine ego HAINRICUS gratiâ Dei Francorum Rex. Notum volo fieri cunctis fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ tam præsentibus quàm futuris, qualiter ISEMBARDUS Aurelianensis Episcopus, cum Clero & populo sibi commisso, nostram Serenitatem adit, conquestionem faciens super quadam injusta consuetudine quæ videbatur esse in ea urbe, videlicet de custodia portarum quæ custodiebantur & claudebantur civibus tempore vindemiæ, & de impia exactione vini quas faciebant ibi ministri nostri, obnixè & humiliter deprecãs, ut illam impiam & injustam consuetudinem sanctæ Dei Ecclesiæ, & illi, clero & populo, pro amore Dei & pro remedio animæ nostræ & parentum nostrorum in perpetuum perdonarem. Cujus petitioni benignè annuens perdonavi Deo, sibi & clero & populo supradictam consuetudinem & exactionem perpetualiter: Ita ut nulli amplius ibi custodes habeantur, nec portæ sicut solitum erat illo tempore toto claudantur, nec vinum cuilibet tollatur, nec exigatur. Sed omnibus sit liber ingressus, & egressus, & unicuique res sua jure civili & æquitate servetur. Hæc autem perdonatio ut firma & stabilis in perpetuum permaneret, hoc Testamentum nostræ auctoritatis inde fieri volumus, subtérque sigillo & annulo nostro firmavimus.

Signum ISEMBARDI Aurelianensis Episcopi: S. HENRICI Regis, S. GERVASII Remensis Archiepiscopi: S. HUGONIS Bardulfi: S. HUGONIS Buticularii: S. HENRICI de Ferrariis: S. MALBERTI Præpositi: S. HERVEI Viarii; S. HERBERTI Subviarii. S. GISLEBERTI Pincernæ: S. IORDANIS Cellarii. BALDUINUS Cancellarius subscripsit. Datum Aureliæ publicè VI. Nonas Octobris, anno ab Incarnatione Domini meillesimo quinquagesimo septimo, HENRICI verò Regis vigesimo septimo.

Digitized by Google

RAGINARDVS

In Concilio Auguſtodunenſi excommunicatus quæ abſtulerat Canonicis Auguſtodunenſis Eccleſiæ reſtituit.

Anno Chriſti circiter 1076. *Ex majori Chart. Eduenſi à Domino d'Herouval.*

IX. CUM omni penè humana intentio concupiſcentiis carnalibus uſque adeò aggravetur, ut præpediente patre tenebrarum minus quàm neceſſe ſit ſalutis ſuæ ſit provida, illos ſibi ſanius conſulere manifeſtum eſt qui mundanis perſuaſionibus repugnantes, quæ ſurſum ſunt ſapiunt non quæ ſuper terram; cúmque apud mundanos Principes ſæpe fieri videamus, ut quoties aliquis à qualibet potenti perſona quippiam magnum impetrare deſiderat, illum pro ſe faciat interventorem, quem potenti eſſe cognoverit familiariorem; ita & nos ſi apud Regem Regum perpetuam ſalutem obtinere cupimus ſanctos ejus Martyres ceteróſque ipſius fideles, quos in cælorum curia prævalere credimus, pro nobis neceſſe eſt interceſſores adquirere ſtudeamus, de quibus bene confidere poſſimus, ſi nos erga ſanctam atque Catholicam Eccleſiam mundanæ pervaſionis aggravationem de medio ejus prout potuerimus auferentes, pietatis viſcera teneamus.

Quocirca ego RAGINARDUS de Monte ſancti Johannis Chriſti fidelium univerſalitati volo fieri manifeſtum, quòd pro quibuſdam conſuetudinibus injuſtis, quas in quadam poteſtate ſancti Nazarii, Biliniaco ſcilicet, ex parte uxoris meæ . . . ſalvamenti occaſione capiebam, prædicti Martyris calumnias Canonicorum ſæpe audiens, ſed non exaudiens. Ideóque à Legato Apoſtolicæ ſedis UGONE Dienſi Epiſcopo in Concilio Auguſtuduno celebrato niſi reſipiſcerem excommunicatus, tandiu ſubſtiti quoad uſque uxor mea moleſtiâ corporis captâ ad extrema deducta eſt, quæ ne prædictæ excommunicationis rea judicaretur prædictas injuſtas conſuetu-

Concil. Auguſtodunéſe.

Digitized by Google

dines dereliquit, méque ut dimitterem studiosissimè familiaritérque rogavit. Ego itaque non tantùm uxoris meæ, sed & meæ animæ consulere volens, in sancta Pentecostes solemnitate residente HUGONE Duce* in civitate Augustuduno interfui, ibíque jussu ipsius Ducis, à quo prędictæ potestatis salvamentum prędecessores mei beneficii jure tenuerãt, & ego tenebam, intervenientibus Augustudunensi atque Cabilonensi Episcopis AGANONE atque ROCLENO, prędictas Consuetudines & universas Captiones, quas in potestate de Biliniaco ubicunque conjaceant prędecessores mei requisierant, & ego requirebam, omninò dimisi & dereliqui: & ut filii mei derelinquerent feci præter ex uno quoque manso investito duos sextarios avenæ, & sex denarios & dimidium. De apsis verò mansis, si aliquando investirentur, ne ampliùs quàm quæ prędicta sunt requirerem similis conventio facta est. Hoc autem ne ultra quàm dictum est unumquodque mansum deberet, GIRUARDUS ejusdem potestatis Decanus sacramento probavit, ceteris verò vicinis suis idem facere apparatis dimisi.

* Burgundiæ

Ut autem dimissio hæc firmiorem stabilitatis obtineret vigorem supra sacrum altare ejusdem dimissionis donum posui, méque in sempiternum ita servaturum promisi. In testimonium etiam permansurum chartam hanc inde fieri præcepi, quam & ego manu propria firmavi, firmandámque HUGONI Duci, ceteríque adstantibus viris concessi; fidejussorem etiam me in manu Episcopi & Canonicorum pro quingentis solidis ut ita teneretur obligavi, pro aliis verò quingentis alios quinque fidei jussores impolui, quorum nomina sunt.

Signum HUGONIS Ducis.
Signum ODONIS Fratris Ducis.
Signum RAGINARDI.

Digitized by Google

RAIMUNDUS *Comes Tolosanus pœnitentiâ ductus erogat quædam Monasterio S. Andreæ Avenionensis.*

Anno Christi 1088.

X. UT his qui oderunt pacem malignandi tollatur occasio, ea quæ ad utilitatem Ecclesiarum fiunt scriptis solent memoriæ commendari. Ideò notum sit tam præsentibus hominibus quàm futuris, quòd ego RAIMUNDUS Dei gratiâ Comes Tolosæ, Dux Narbonæ, Marchio Provinciæ, veni apud Monasterium S. Andreæ, consideránsque vitam Fratrum ibi Deo contemplativè servientium, meámque in fœditate peccatorum meorum involutam, per eleëmosynam à me datam Monasterio Andaonensi & Fratribus ibi Deo famulantibus, meipsum aliquantulum à peccatis mundare desideravi.

Pro sanitate itaque mihi observanda, & pro salute animæ post mortem meam mihi à Deo retribuenda, aliquantulum eleëmosynæ donavi, atque donando laudavi Deo & Monasterio S. Andreæ, & Abbati PETRO Fratribúsque ibi Deo famulantibus præsentibus atque futuris, Podium videlicet de Todone supra quem constructæ sunt Ecclesiæ S. MARIÆ & S. Petri, cum nemore, cúmque omnibus appendiciis sibi pertinentibus, & cum villa sibi adjacente, meo annuali albergo* excluso, & mecum ire in exercitu dum opus fuerit. Totum etiam territorium Todonis donavi Monasterio similiter & laudavi, & totam paludem cum suis tenementis, portúmque etiam Sorgiæ, qui est in loco qui dicitur Albennat, quem portum cum aqua & piscationibus & litoribus sibi pertinentibus, & fibulam cum finitima palude sibi pertinenti BOSOBLAUS de Paternis, & AITELENA uxor sua, & ISNARDUS filius eorum, GUILLELMUS Petri proximus eorum, & alii propinqui sui, consensu & voluntate mea pro salute animarum suarum donaverunt Deo &

Gal. * Albergo.

Digitized by Google

Monasterio sancti Andreæ, & Abbati Petro & successoribus suis, & Monachis sancti Andreæ tam præsentibus quàm futuris, & Ecclesiis de Todone sanctæ MARIÆ & S. Petri.

Termini quoque ipsius paludis sunt, quam Bosoblaus & Aitelena uxor sua donaverunt Monasterio, à portu Albennat usque al tor de Lavorzena, del tor de Lavorzena, ad Gadperenc, de Gadperenc al riarmer.

Item termini quoque territorii Todonis sunt (quod territorium ego Monasterio donavi) Delriarmer als Sauzes de Isimbart, dels Sauzes de Isimbart ad terram de Vidar exemplador, & inde ad pontem minorem de ponte minori revertitur al tuver.

Factum est hoc anno ab incarnato Domino MLXXXVIIJ. Testes hujus rei sunt FRANCO de Paternis.

GUILLELMUS de Paternis filius de Ozila.
ROSTAGNUS Dauriol,
ALFANTUS Lautoardus de Toro.
ISUARDUS Rainoardus de Toro.
ROSTAGNUS Alfantus de Toro.
ELIZIARDUS Rufus.
GUILLELMUS Cotaronus.
ISNARDUS Colo.
GUILLELMUS de Gorda.
WILLELMUS de Sabra.
R. . . . de Baucio.
GUIRAUDUS Amicus.
ISNARDUS de Cavomonte.
Isuardus de Laneis.
Pe. . . . . Rainaudus Monachus.
GUIGO de Molanis Monachus.
BERT. . . . de la Penna Monachus.
ROSTAGNUS de Rocamaura Monachus, & totus Conventus.

TESTAMEN-

Digitized by Google

TESTAMENTVM GERALDI *Cadurcensis Episcopi.*

Anno Christi 1090. *Sua manu, descripsit ac communicavit Dominus d'Herouval.* Constituit. Canonicos Regulares in Ecclesia Cadurcensi.

XI. IN nomine sanctæ Trinitatis ego Dei gratiâ GERALDUS Caturcensis Ecclesiæ Episcopus, recognoscens ordinis mei statum diuturnis offensionibus & magnis obnoxium ; tractavi tandem aliquando mecum & deliberavi Deo, quod credo, inspirante ac miserante, periclitanti animæ salutis aliquod remedium in futuro providere ac parare. Visum est igitur parvitati meæ plus sanum inter cetera consilium, si Ecclesiam, cui annuente Deo præfuissem, ad disciplinæ regularis canonicalem normam perducere potuissem tenendam. Cujus rei cùm rara vel nulla penè in partibus nostris invenirem exempla, undecumque non sine labore Clericos bonæ opinionis in unum aggregavi, canonicalis vitæ statum & ordinem regulariter professos. Quibus ad temporalis vitæ & communis subsidium tantam rerum summam ad præsens contuli, ac perpetuo jure possidendam contradidi, unde propitiante sibi Deo triginta Canonici vestiri sufficienter possint & pasci. His ergo uti rebus & dominari Canonicos regulares constituo, laudo, confirmo, propter jugiter agendum in Ecclesia Beati Proto-martyris Stephani divinum officium. Si qui autem regularis disciplinæ studium recusaverint, & quod avertat Deus jugum ipsum ferre detractaverint, ut talibus non sit participandi societas, vel invadendi præsumptio in hoc dono, per Dei tremendam omnipotentiam contradico, prohibeo, excommunico.

Vos quoque alloquor, ô successores mei Episcopi, mihi quidem ignoti, Deo verô qui fecit quæ futura sunt præcogniti, credite vos quemadmodum & me de hac vita exituros, ut per hanc admonitionem conventi, hoc exiguum quod ad Dei rationabile obsequium cõstitui nequaquam minuatis, sed pro Dei amore ac salute animarum vestrarum, ampliare omnibus modis studeatis. Addentibus aliquid ad meum inceptum & benefacientibus pax Dei

Digitized by Google

& benedictio super illos, contrarium quid molientibus ex parte Dei & sancti Stephani, cujus patrocinio locus ipse celeberrimus habetur, contradico, & nodum excommunicationis si non resipuerint perpetualem obtendo.

Scripta est hæc charta in Caturcensi civitate, me præsente, atque ipsam confirmante, cum consilio Domni Ugonis Venerabilis Cluniacensium Abbatis tunc mecum unà ibidem commanentis. Data II. Idus Martias, Anno ab Incarnatione Domini millesimo nonagesimo, Indictione XIII. feria V. in diebus Quadragesimæ hebdomada VII.

Ut autem hæc charta pleniſſimâ sit auctoritate inviolabilis conservanda manu propriâ eam subterfirmavi, cum nomine omnipotentis Dei & memoria beatissimi Protomartyris Stephani, quoniam à Canonicis seculariter & non regulariter viventibus vastata & propè annihilata fuerant bona Caturcensibus Canonicis ad usum necessariæ subsistentationis pertinentia; quod ego Geraldus Domini gratiâ Caturcensis Episcopus Regularibus meis noviter institutis Canonicis de proprio nostro dedi & addidi, placuit ob memoriam posterorum hîc per nomen summatim annotari & conscribi.

Sunt autem & hæc ita. Medietas omnium quæ in altari ex oblatione fidelium venerint; decima monetæ, quæ per meam, id est, mei Geraldi præfati Episcopi providentiam inventa fuit & statuta. Post decessum verò meum constituo Regularibus ipsis Canonicis dimidium quicquid de censu monetæ nostræ parti videbitur competere vel obvenire. Eodem modo post decessum meum quandam vineam apud Carnerios eis possidendam contrado. Tertiam partem paratarum, & quod in Synodis exierit, ipsorum usui deputavi tertiam portionem. Domum meam & turrim studiosè constructam illis commendavi ad Ecclesiæ & Claustri tutelam & custodiam. Aliam turrim in gyro interiùs ædificatam proprietati eorum & dominio ex integro donavi; Ecclesiam Beati Juliani de Boina; & Ecclesiam Beati Petri Delmontado, & quicquid in villa, quæ dicitur Pardinas visus sum possidere

Digitized by Google

modò Canonicis contradidi. Præpositura sive Archidiaconatus & ceteri Ecclesiastici honores Caturcensis Ecclesiæ pro nostro decreto, per consilia Canonicorum ordinanda sint de cetero in posterum.

Hanc conscriptionis paginam ego GERALDUS sæpe nominatus Episcopus fieri jussi, cum consilio & auctoritate Domni Archiepiscopi Bituricensis RICARDI, & Domni RAINALDI Petragoricensis Episcopi, & Domni SIMONIS Agennensis Episcopi, & Domni ISARNI Tolosani Episcopi, & Domni GUILLELMI Albiensis Episcopi, & Domni Rutenensis Episcopi PONTII, & consilio Domni Petri Abbatis Aureliacensis, & Domni AIRALDI Figiacensis Abbatis, & Domni GONBERTI Marciliacensis Abbatis, & Domni PETRI de sancto Saturnino Prioris; & cum assensu & laudamento Domni GUNILLELMI Comitis Tolosani.

Harum porrò auctoritate personarum cum meo nomine, ut prælibavi, confirmatum Canonicis meis Testamentum, ut semper maneat stabile per omnia & inviolatum per Deum contestari censeo meos successores, qui futuri sunt in reliquo. Qui adversari præscriptis tentaverit, Dei judicium incurrat & prædictarum personarum, donec perfectè resipiscat, & satisfaciat. Ego UGO Lucdunensis Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus hanc chartam laudo, atque confirmo.

GODEFRIDI *Episcopi Ambianensis.*

Anno Christi 1104. *Communicavit Dominus d'Heronval.* Confirmat quæ Lehunensi Monasterio donata sunt à Comite Flandriæ Roberto juniore & à Roberto Paironensi.

XII. GODEFRIDUS gratiâ Dei Ambianensis Episcopus omnibus in Christo credentibus, & sacro fonte baptismatis renatis salutem & sanitatem. Adierunt nos dilectissimi Fratres nostri Leunensis Ecclesiæ Monachi, deferentes secum chartas sigillatas à ROBERTO Flandrense Comite juniore, & ab uxore sua CLEMENTIA, & filio eorum BAUDUINO, & à Paronensi ROTBERTO fratre Comitis nostri INGELRANNI, & à conjuge ejus Adelide; quibus inscriptum erat, quòd prædictæ personæ omne alodium de Harbonieres, & omnia

Digitized by Google

ad illud pertinentia præter altare, Monastério sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in quo Fratres jam dicti Domino serviebant, hilari devotione tribuerant, quatinus suis & antecessorum suorum animabus id fieret ad retributionis præmium, quod temporalibus necessitatibus suis subtrahentes, pauperibus Christi conferebant in victum, quibus allatis atque perlectis, oraverunt nos Fratres illi ut quia prædictum alodiũ in Episcopio nostro erat, quod factum fuerat chartâ nostrâ testificaremur & confirmaremus, quam petitionem libenter suscipientes, precibus eorum satisfaciendo sic factum fuisse testificamur, & quantum ad nos pertinet concedendo firmamus, incrementum non detrimentum rebus eorum maximè cupientes.

Hujus Doni testes scriptos in prædictis chartis reperimus. In charta Flandrensi Abbatem Molismensem:

Robertum de Betunia.
Onulfum Senescalcum.
Baldricum de Colham.
Amolricum de Neura.
Ostonem Bostelarium.
Guillelmum Castellanum de S. Aldomaro.
Hacetum Brugensem.
Balduinum Camerarium.
Sigerum de Lilerio.
Thebaldum de Hipra.

In Charta Paronensi erant, Mainerus de Parona.

Odo filius Ingranni.
Petrus filius Hilisindis.
Acardus filius Gerardi.
Gerardus Frotetus.
Geraldus de Capi.
Gonzo & Rabellus.
Drogo.
Lupus.
Waldricus de Vermendeisuiler.
Sibodus filius Rogeri.
Rainerus de Lehuno.

Digitized by Google

HERBERTUS Major de Herbonieres.
HERBERTUS avunculus ejus.
WALBERTUS & GILBERTUS.

Si qui hoc violaverint, ut ſacrilegi Epiſcopali judicio condemnati à corpore Chriſti quod eſt Eccleſia ſeparabuntur.

Data Ambianis IV. Kal. Martii, Anno primo GODEFRIDI Epiſcopi.

Pactum initum inter GUILLELMUM *Montiſpeſſulani Dominum, &* BERHANDUM *de Anduſia pro ineundo matrimonio filii & filiæ ipſorum.*

Anno Chriſti 1109
Ex membranis D. d'Herouval.

XIII. IN nomine Domini, anno ejuſdem Incarnationis milleſimo centeſimo nono, menſe Novembris, Ego GUILLELMUS dominus Montiſpeſſulani trado filiã meam GUILLELMAM tibi BERTRANDO de Anduſia & uxori tuæ ADALAIZ in Dei fide & veſtra, ut eam teneatis & nutriatis in bona fide, ab hoc venienti feſto Beatæ MARIÆ ſecundo die Febr. uſque ad quatuor annos; Idcirco quòd filioveſtro RAIMUNDO de Rocafolio detis omnes Caſtros veſtros de terris veſtris, & omnes forcias, & ſennorivos[a], & poteſtativos[b], quæ modò habetis vel in antea aliquo modo habebitis; & ut illam filiam meam eidem Raimundo de Rocafolio filio veſtro in legitimam uxorem tunc detis, in præſentia mea ſi ibi eſſe voluero, ſi verò ego tunc deceſſus fuero, vel non ero in terris noſtris, dabitis eam ſimiliter filio veſtro prædicto in uxorem legitimam, in præſentia filii mei domini Montiſpeſſulani, ſi eſſe ibi voluerit. Et nolo ut ante hunc terminum illam filio veſtro jam dicto in matrimonio tradatis, eo quòd ipſa ſit bene ætatis duodecim annorum, niſi cum conſilio meo vel filii mei domini Montiſpeſſulani. Et promitto & convenio vobis, quòd ego dabo filio veſtro Raimundo in dotem cum filia mea centum marchas argenti fini infra annum unum poſtquam eam in uxorem habebit, & non

[a] ſennorias *infrà.*
[b] *id eſt*, poteſtates.

Digitized by Google

faciam aliquid nec fieri faciam, nec aliquis arte vel consilio meo, quin hoc matrimonium ad effectum veniat. Sic Deus me adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Ideóque ego BERTRANDUS de Anduſia & ego ADALAIZ ejus uxor recipientes filiam tuam GUILLELMAM in Dei fide & noſtra, promittimus & convenimus tibi GUILLELMO Domino Montiſpeſſulani in bona fide, quòd nos nutriemus & tenebimus prędictam filiam tuam ab hoc feſto ſanctæ MARIÆ Februarii uſque ad quatuor annos, & tunc dabimus eam in uxorem legitimam filio noſtro RAIMUNDO de Rocafolio in præſentia tua, ſi tunc ſuperſtes fueris vel ſi eſſe ibi volueris; ſi verò tunc deceſſus fueris, in præſentia filii tui domini Montiſpeſſulani ſimiliter ſi eſſe ibi voluerit præſens. Et damus & concedimus huic filio noſtro Raimundo de Rocafolio, omnes caſtros noſtros de terris noſtris, & omnes forcias & ſennorias & poteſtativos quæ modò habemus vel inantea aliquo modo habebimus. Et in tempore matrimonii, nos & filius noſter pro ſupradictis centum marchis argenti, quas filio noſtro dabis cum filia in dotem, dabimus & obligamus pignori filiæ tuæ caſtrum de Breiſſaco cum omnibus ſuis pertinentiis, & totum illud quidquid ſit quod habemus & habere debemus, vel habituri ſumus, vel aliquis per nos, ab Eccleſia ſanctæ MARIÆ de Sumena in Aval verſus mare. Et dabimus filiæ tuæ in donationem propter nuptias ſive in ſponſalicio ſuo omne illud quod habemus, & habere debemus, vel habituri ſumus, ſeu aliquis per nos, in toto terminio de Valle-Eraurga, & in parochia ſancti Martini, & in parochia ſanctæ MARIÆ de Roveria, & in parochia S. Andreæ de Maëncolas: & totum illud quod habemus, vel habere debemus, & habituri ſumus, ſeu aliquis per nos, in villa de Solanon, & in ejus terminio. Ita tamen quòd ſi filius noſter Raimundus priùs deceſſerit, filia tua ſuperſtite, habeat & teneat ipſa totum hoc prænominatum pignus, & totum ſponſalicium prædictum, & fructus & reditus inde exeuntes, ſuos proprios faciat & percipiat, ne in ſolutione computentur, tamdiu in omnibus vitæ ſuæ diebus quamdiu abſ

Digitized by Google

que marito manſerit: Si verò maritum acceperit, debemus nos vel noſtri recuperare totum hunc honorem; ita tamen quòd quandocumque illum honorem recuperare voluerimus, dabimus filiæ tuæ jamdictæ ducentas marchas argenti fini, quæ marchæ ſint ſuæ propriæ ad omnes voluntates ſuas faciendas. Et pro iſtis ducentis marchis recuperabimus caſtrum de Breiſſaco, quod eſt pignori oblatum pro dote, & totum ſponſalicium prædictum ſine omni impedimento & contrarietate.

Et promittimus & convenimus tibi GUILLELMO domino Montiſpeſſulani, quòd totum hoc ſicut ſuperiùs ſcriptum eſt, quando Raimundus filius noſter in uxorem filiam tuam duxerit, bona fide & ſine dolo & fraude, cum charta nos laudabimus, & faciemus filium noſtrum laudare & confirmare ſacramento, & benè aſſecurabimus pignus dotis & ſponſalicium tenendum & habendum filię tuæ, per viginti Milites de terris noſtris quos tibi & filiæ tuæ dare poſſimus ſacramento cognitione tua vel filii tui domini Montiſpeſſulani. Si verò filius noſter priùs deceſſerit, & filia tua caſtrum de Breiſſaco acceperit pro pignore ſuo, tu GUILLELME dominus Montiſpeſſulani, ſi tunc vivus fueris, vel heres tuus dominus Montiſpeſſulani, & filia tua jam dicta aſſecurabitis nobis caſtrum de Breiſſaco per decem Milites ſub ſacramento & mandato veſtro, ut nos ſine omni impedimento & contrarietate caſtrum de Breiſſaco recuperemus quandocumque nos vel noſtri filiæ tuæ jam dictæ vel mandatario ſuo centum marchas argenti fini reddemus ſuæ dotis: Sed quandoque illud aſſecuramentum facere volueritis, nos illud accipiemus, & ſtatim caſtrum de Breiſſaco cum omnibus ſuis pertinentibus filiæ tuæ pro pignore ſuo tradiderimus.

Item promittimus & convenimus tibi, quòd ſi filius noſter Raimundus deceſſerit antequam filiam tuam in uxorem duxerit, ut eam tibi vel heredi tuo domino Montiſpeſſulani infra unum menſem poſtquam inde ammoniti fuerimus, de ammonitione illa non ſubſtrahemus, ſine omni dolo & fraude in villa Montiſpeſſulani redde-

Digitized by Google

mus, & non faciemus ei aliquid nec fieri faciemus, nec aliquis homo vel femina arte vel consilio nostro, quod sit diminutio, vel dedecus, seu damnum tibi vel filiæ tuæ.

Hæc omnia prædicta ut in hac Charta continentur, Ego BERTRANDUS de Anduſia promitto & convenio tibi GUILLELMO Montispessulani per stipulationem, ut ita plenariè tenebo & observabo, & teneri & observari faciam, & ad diem à te constitutum tantas assecurationes tibi dabo, quòd bene securum te tenebis, & hoc idem similiter ab uxore mea, filio meo Raimundo sub sacramento assecurari faciam, sic Deus me adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

De omni hoc sunt firmantiæ & hostatici per BERTRANDUM de Anduſia, RAIMUNDUS de Mandagot, BREMUNDUS de Salve, BERTRANDUS de Salve, GUILLELMUS de la Roca, BREMUNDUS Dessunaz, GERVASIUS Dalgua, PETRUS de sancto Marciali, ARNALDUS de Cantobre, FREDOL de Monte Iudeo, ILUGO de Rabastenes, PONTIUS de Montelauro, GUILLELMUS de Monte Olivo, SIGUINUS de Calcadits, PETRUS Raimundi de Sobeiraz, & RAIMUNDUS de Cornules, quisque per sacramentum factum super sancta Dei Evangelia. Ita tamen quòd si aliquid infringeretur de supradictis conventionibus, debent revertere apud Montempessulanum, & ibi debent tenere hostaticum tamdiu donec totum compleatur ad notitiam domini Montispessulani, sine enganno. Et insuper est inde fidejussor PETRUS Bremundi, & promisit & convenit quòd omnes prædictas conventiones ex parte Bertrandi de Anduſia & uxoris suæ & filii sui, tenere & observare, sicut superiùs scriptum est, faciet.

Et ex parte Domini GUILLELMI Montispessulani pro centum marchis persolvendis, sunt firmantiæ & hostatici, POMAIUS Gaucelmi, PONTIUS de Vallauches, B. Aerrataerra, PONTIUS de Monte-Lauro, PETRUS de Veruna, PONTIUS de Pomairols, GUILLELMUS de Cornone, FROTARDUS de Corconna, GUILLELMUS de Monte Olivo; quisque per fidem suam, qui debent tenere hostaticum

Digitized by Google

hostaticum ad Anduſiam tamdiu donec perſolvantur.

Et inſuper ex parte Domini Guillelmi Montiſpeſſulani ſunt firmantia PETRUS Bremundi, & RAIMUNDUS Gaucelmi, de omnibus conventionibus implendis.

Hoc totum factum fuit apud Montempeſſulanum in domo Militiæ Templi, in præſentia Domini I. Magalonenſis Epiſcopi, FULCRANDI Præpoſiti. G. Mauriny Archipreſbyteri, SURIANI Canonici, BERNARDI Guillelmi Biterrenſis Archidiaconi, MATFREDI Monachi ſancti Guillelmi, BERTRANDI de Armazanicis, BERENGARII de Vallauches, G. de Fabricis, AGULLONIS de Caſtronovo, G. de Texeriis, PONTII de Meſoa, ARNALDI de Montaren, RAIMUNDI Aimoini, GUILLELMI ROSTAGNI de Monte-Olivo, G. de Arzaz, B. de Inſula, G. Leterici, & filii ſui GUILLELMI Leterici, ARBRANDI, PONTII Lamberti, G. Petri, G. Adalguerici, G. Olrici, PETRI Olrici, PONTII Betonis, RAIMUNDI de Narbona, GITBERTI de Arlenis, BRUNONIS Silveſtri, AIMERICI Tallatoris, PETRI de Mairois, PAULI, OTONIS de Campo-novo, PONTII Guillelmi, RAIMUNDI Rotgerii, & multorum aliorum, & SILVESTRI qui hæc ſcripſit.

BALDRICI *Noviomenſis Epiſcopi.*

Anno Chriſti 1113. *Ex Mſ. D. d'Herouval.* Boſo Miles à ſuis prædeceſſoribus ablata Lehun. Monaſterio moribundus reddit.

XIV. EGo BALDRICUS Dei gratiâ Noviomenſis Epiſcopus Eccleſiæ B. Petri GERBERTO Priori & ceteris Fratribus Lehunenſis Cœnobii, omnibus qui in eadem Eccleſia ſub Chriſto & monaſtica profeſſione nunc degunt & ſubſtituendi ſunt. Quoniam præcedentium Patrum admonemur exemplis, laïcorum preſſiones & inlicitas poſſeſſiones ab Eccleſiis removere, exhortando & cogendo ad id proſequendum debemus inſiſtere, & eos qui ſuper hoc pœnitere voluerint ut Eccleſiæ filios benignè ſuſcipere. Unde Boso Miles de Perona Deo vocante pœnitentiâ ductus ad extremum vitæ ſuæ duas partes decimæ altaris de villa quæ Vermendoiſuiler nuncupatur, quas ſui prædeceſſores tenuerant, pro decreto &

Digitized by Google

excommunicatione Apostolica prorsus dimissas, per manum Domni HENRICI Abbatis, & BISLANI Peronensis Decani nobis renuntiavit, petens vobis & Ecclesiæ vestræ, cui jam prædictum altare concesseram, etiam eamdem decimam condonari, & nostrâ auctoritate confirmari. Cujus justæ petitionis votum, etiam amita ejus Leiardis & filius ejus Hugo Peronensis Canonicus, qui eandem decimam à suis prædecessoribus & assensu ipsius Bosonis tunc tenebant, devotè prosequentes, illam decimam, necnon & alodium suum & quicquid propriũ & hereditarium in eadem villa possederãt, vobis annuentes sub perpetua libertate nostrâ auctoritate confirmari postulaverunt. Itaque quod Episcopalis curæ & officii nostri est diligenter exsequentes, nostra & GERARDI Archidiaconi nostri, & eorum quorum interest auctoritate, & præsentis chartæ paginâ, vobis & Ecclesiæ vestræ in perpetuum confirmamus altare de villa quæ Vermendoisuiler vocatur, cum universis decimis & appendiciis suis, alodium & universam hereditatem quam Leiardis & Hugo filius ejus in eadem possidebant.

Quicumque igitur huic eleëmosynæ assenserit & augmentum dederit, æternæ hæreditatis remunerationem à Deo percipiat. Quisquis verò contraïre voluerit, nostræ excommunicationi & divinæ ultioni donec resipuerit subjaceat. Quòd si pro hac eleëmosyna & pro impensis Ecclesiæ vestræ beneficiis Remensem, seu etiam Apostolicam sedem vobis adire placuerit, sancti ac reverendi ad quoscumque perveneritis Patres per eamdem paginam nostræ humilitatis preces exaudiant, & tam huic eleëmosynæ quàm ceteris vobis impensis beneficiis suæ corroborationis munimentum adhibeant.

Signum BALDRICI Episcopi.
Signum ROSCELLINI Decani.
Signum GERARDI Archidiaconi.
Signum RORIGONIS Præpositi.
Signum HUGONIS Thesaurarii.
Signum HAGENONIS Cantoris.
Signum LANDRICI Subcentoris.

Digitized by Google

Signum ANSELLI Sacerdotis.
Signum ARNULFI Sacerdotis,
Signum PETRI Canonici.
Signum ODONIS Canonici.
Actum an. Dominicæ Incarn. MCXIII. Indictione VI.

GODEFRIDI *Ambianensis Episcopi.*

XV. FRater GODEFRIDUS gratiâ Dei Ambianensis Episcopus, sanctæ Ecclesiæ filiis & fratribus salutis & pacis interminabilem jocunditatem. Notitiæ fidelium omnium tam præsentium quàm futurorum præsentibus literis significamus, Cluniacensis Monasteri Fratribus in Lehunensi Cœnobio Deo devotè servientibus, consensu & petitione Archidiaconorum nostrorum FULCONIS & INGELRANNI, ROGERII quoque Decani atque GUARINI Thesaurarii, omnis quoque Cleri nostri atque synodi Ambianis congregatæ, nos in perpetuum concessisse atque præsenti Privilegio confirmasse totum altare de Herboneriis, altare quoque de Hangesto, quod filius noster Ambianensis Ecclesiæ Prępositus OTBERTUS *ab* eadem Ecclesia nostra diu in personatu possederat, sed cùm vanitatibus sæculi renuntiare decrevisset, ad conversionem monasticam properando, adhortante Archidiacono nostro Fulcone, me quoque desiderante prædictis Fratribus illud dimisit.

Anno Christi 1114. *Ex Mss. D. d'Herouval.* Otbertus Prępositus Ambianens. Ecclesiæ Monachum induës Lehunensibus confert Ecclesias de Harbonieres & de Hangesto.

Ut autem firmi muniminis robur hoc Privilegium perpetualiter obtineret, Ego GODEFRIDUS Episcopus primus subscripsi, personæque assistentes, suffragiúmque sive consensum nostræ actioni adhibentes similiter subscripserunt. Altare de Halud similiter eis eodem Privilegio confirmavimus.

Signum GODEFRIDI Episcopi Ambianensis.
Signum FULCONIS Archidiaconi.
Signum ROGERII Decani.
Signum ACARDI Sacerdotis.
Signum NENTAUDI Diaconi.
Signum SIMONIS Canonici.
Signum INGELRANNI Archidiaconi.

Digitized by Google

Signum GUARINI Thesaurarii.
Signum RADULFI Sacerdotis.
Signum GERALDI Diaconi.
Signum RADULFI Subdiaconi.

Actum est hoc anno ab Incarnatione Domini MCXIV. Indictione septimâ, XV. Kalend. Maii, in Ecclesia Ambianensi majore.

RADULFUS Cancellarius scripsit & subscripsit.

Anno Christi 1120. ***Compositio pro Abbatia S. BLASII Diœcesis Basilienſis.***

XVI. CONtroversiam quæ agitata est inter Basilienſem Ecclesiam, & Monachos S. Blasii, nos GREGORIUS Presbyter Cardinalis, & PONTIUS Cluniacensis Abbas, vice fungentes Domini Papæ CALIXTI, per Dei gratiam sic diffinimus, auditâ utriusque partis causâ. Si alii Archiepiscopi vel Episcopi regni, qui sunt Advocati in Abbatiis aliorum Episcopatuum jure Ecclesiæ suæ, ex concessione vel ex tolerantia sedis Apostolicæ, electis Abbatibus concessionem per virgam fecerint, Episcopus quoque Basilienſis Abbatibus, qui in Ecclesia Beati Blasii præponendi sunt post electionem hoc ipsum faciat. Quòd si Romana Ecclesia ceteris Episcopis concessionem per virgam contradixerit, sic se habeat Dominus Episcopus Basilienſis, sicut & ceteri Archiepiscopi vel Episcopi dispositione Romanæ Ecclesiæ se habuerint.

De cetero Domnus Episcopus prædictos S. Blasii Fratres sic tueatur, ut Fratrum religio & Monasterii possessio per ejus industriam non minoretur, verùm etiam in dies augmentetur.

Præterea illa antiqua observantia quæ ab Episcopis retenta est, & scriptis confirmata, videlicet quòd Advocatus Laïcus quem Episcopus eis dederit, si tyrannidem in possessionibus vel hominibus Monasterii exercuerit, ab eodem Episcopo amoveatur, & alius bonus subrogetur.

Hæc igitur omnia ut rata & illibata permaneant, Apostolicâ auctoritate confirmamus, & sigilli nostri impres-

Digitized by Google

sione signamus. Actum publicè Basileæ apud sanctum Albanum, anno ab Incarnatione MCXX. præsidente in sede Apostolica CALIXTO Papa II. imperante verò HENRICO IV. Imperatore Augusto, astantibus atque collaudantibus Domno RADULFO Basilienſi Episcopo, & Domno ROSTANNO S. Blasii Abbate. Testes hujus nostræ actionis fuerunt Domnus GIRARDUS Lausanensis Episcopus & prædicti Imperatoris Cancellarius, & WICHARDUS Camerarius, Hugo Constabularius, PETRUS Armarius, & WILLELMUS Prior S. Albani Monachi Cluniacenses. Canonici quoque Basilienses, HESSO Præpositus, HEREMANNUS Decanus Claustri, HUGO Cantor & alii multi. Monachi etiam S. Blasii DRUTMANNUS, GIRALDUS, & plures alii. De Laïcis verò Comes ADELBERO, WARNERIUS Advocatus, WARNERIUS vice-Dominus. De Præpositis verò Basilienſis Ecclesiæ SIGENANDUS Præpositus S. Germanni Grandis vallis, & BUCEO Præpositus S. Ursini. Scriptum per manus domni ADELBERTI Prioris de Cella S. Petri Cluniacensis *in sylva nigra*, sub die Kal. Aprilis.

Nunc Domine mi providentia vestrę authoritatis decernat super hanc rem.

BARTHOLOMÆI *Episcopi Laudunensis.*

Anno Christi 1131. *Ex Mſ. D. d'Herouval.* Judicium Episcopi quo Lehunensium Monachorum terra de Caïs à Roberto abjuratur.

XVII. EGo BARTHOLOMÆUS Dei gratiâ S. Laudunensis Ecclesiæ Minister indignus. Quia Pontificali cathedræ licet indigni præsidemus, & ex debito curæ pastoralis exterioribus negotiis occupati in terreni actus pulvere mundis vestigiis transire non prævalemus, eorum interceſſionibus, qui calcatis mundi illecebris jocunda contemplationis quiete cum Domino refoventur; imperfectioni nostræ subsidium aliquod comparare debemus, ut aut de nostro si facultas suppetit eorum necessitatibus subveniamus, aut aliorum erga eos munificentiam benigno favore prosequamur, & Episcopali auctoritate roboremus. Notum igitur esse volumus tam posteris quàm modernis, quia cùm bonæ memoriæ INGELRAMUS

Digitized by Google

de Fara, & ANSELMUS Clericus frater ejus, & ROBERTUS tertius frater, annuente MATHILDE sorore sua, possessionem de Cais Monasterio B. Petri dé Lehuns in eleëmosynam dedissent, cúmque Fratres loci illius possessionem illam tricennali tempore aut eo ampliùs quietè habuiessent, ROBERTUS de Cais præfati Anselmi filius, ipsam terram calumniari cœpit: sed Priore & Monachis ipsius loci justitiam subire minimè subterfugientibus, causam inde prosequi & judicialem sententiam susscipere noluit. Tandem autem cùm ad colloquium cum domina MILESINDE apud Vallabriniacum in sylva quæ Gislaniricius dicitur conveniissemus, ibi ROBERTUS in audientia nostra præsente MILONE præfati loci Priore se nihil juris in terra illa habere, nec aliquando quidquam in ea habuisse recognovit, & quidquid querelæ super illam terram exercuerat, in perpetuum quietum clamavit.

f. * sententiam.

Hanc itaque efficientiam* præsenti scripto firmari præcepimus, quod testium subscriptione & sigilli nostri impressione roborari curavimus; & ne vel ipse vel quispiam alius imposterum super hac re Fratres inquietare præsumat, anathematis sententiam interposuimus.

Signum BARTHOLOMÆI Episcopi qui hoc scriptum fieri jussit.

S. ANDREÆ Abbatis.
S. ARNULFI Clerici.
S. NICOLAI Castellani Laudunensis.
S. WERMUNDI Dentart.
S. BONIFACII Præpositi.
S. ADONIS de Guni.
S. OILARDI fratris ejus.
S. RAINARDI Bellahera.

Actum Lauduni IV. Kal. Decembris, Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXI. Indictione X. Epacta I. concurrente III.

Ego BADULPUS S. Mariæ Cancellarius relegi.

Digitized by Google

ALDEFONSI *Hiſpaniæ Regis Præceptum.*

Anno Chriſti 1132.

XVIII. AD hoc divina providentia Imperatores & Reges terreni regni apicem conſcendere permittit, ut ſervorum Dei de ſua abundantia ſuppleant inopiam, & ſic per miſericordiam quam impenderint, æternam poſt temporalem mereantur percipere coronam. Hoc enim modo & nobis conſulitur & ipſis, dum in altero noſtra largitate eorum relevatur inopia, in altero ipſorum devota oratione æterna nobis paratur coronà. Iccirco ego ALDEFONSUS Hiſpaniæ Imperator, compertâ Cœnobii Cluniacenſis tam celebri, tam probatâ, tam ſanctâ religione, divino mox timore compunctus & amore, ſocietatem fratrum ibidem Deo & ſancto Petro militantium humiliter peto, & dono Deo & Eccleſiæ præfatæ beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Cluniaci, & PETRO Abbati omníque Conventui Abbatiam Sancti Facundi & Primitivi, quæ ſita eſt in Legionenſi Epiſcopatu ſupra flumen quod dicitur Ceia, cum univerſis honoribus ſuis quos poſſidet, vel quos eſt poſſeſſura in æternum, pro animæ meæ & patris mei RAIMUNDI Comitis, matríſque meæ URRACHÆ Reginæ, & avi mei Regis ALDEFONSI & omnium parentum meorum redemptione, per conſilium & prudentiam Domni Stephani Abbatis ſupradicti Monaſterii, & HUGONIS Camerarii.

Abbatia SS. Facundi & Primitivi Cluniaco ſubjicitur.

Tali autem pacto donum iſtud facio, ut Abbas Cluniacenſis quicunque ille ſit, de Congregatione ſua quem voluerit Abbatem in præfato Monaſterio ordinet, qui ſub ejus & Eccleſię Cluniacenſis obedientia permaneat, & in uno quoque anno quatuor marcas argenti Cluniaco pro cenſu reddat.

Si quis autem ex heredibus meis aut alius aliquis contra hanc donationem noſtram venire tentaverit, & præſenti chartæ obviare, cum his qui Dominum tradiderunt & crucifixerunt in inferno perpetualiter ardeat, & totius hereditatis meæ mea imprecatione & Dei manu vindicante exſors fiat.

Digitized by Google

Factum est autem hoc Testamentum era millesima centesima septuagesima. Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo XXXII. Epacta XII. Indictione X. VII. Idus Septembris. Ut autem inviolabilis tam à me quàm ab omnibus successoribus meis in perpetuum hæc mea teneatur Donatio, hanc chartam fieri præcepi, quam regia manu & auctoritate subterfirmavi & corroboravi, atque firmandam æquè Principibus meis & fidelibus mandavi. Et hoc donum in manu Domini STEPHANI ejusdem Monasterii Abbatis, & HUGONIS Cluniacensis Camerarii peregi.

RAIMUNDUS Archipiscopus in Toleta confirmavi,
DIDACUS Archiepiscopus in Compostella confirmavi,
ARIES Episcopus in Legione confirmavi,
PETRUS Episcopus in Palentia confirmavi,
ROBERTUS Asturicensis Episcopus confirmavi,
Infanta SANCTIA germana Regis confirmavit.
RODRIGUS Gunzaluet Comes in Toleta confirmavit.
PETRUS Comes in Monte-forti confirmavit.
RODRIGUS Gomiz Comes confirmavit.
RODRIGUS Comes in Legione confirmavit.
BELASCO Moniet confirmavit.
GOTER Pelagius confirmavit.
PETRUS Pelagius confirmavit.
GOTER Fernandus confirmavit.
ANAÏA Rodrigo confirmavit.

Ego Rex ALDEFONSUS cum uxore mea Regina BERENGARIA & SANCTIA mea Germana dono Abbatiam sancti FACUNDI & PRIMITIVI, cum suis honoribus Deo & sancto PETRO Cluniaci. Et hanc Chartam fieri jussi, quam propria confirmavi & corroboravi manu.

INNOCENTIS

Digitized by Google

INNOCENTII *Papæ Sententia*

Anno Christi 1133. *Ex Mss. cod. Domini d'Herouval.* Quam pœnitentiam interfectores Archembaldi Subdecani Aurelian. agere tenentur, ut satisfaciant & ab excommunicatione absolvantur.

XIX. INNOCENTIUS Episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus Fratribus GAUFREDO Carnotensi Apostolicæ sedis Legato, & STEPHANO Parisiensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Noverit vestra dilectio quoniam GOFFREDUS de Vico-novo nuper ad nos veniens in præsentia Fratrum nostrorum jurejurando firmavit, quòd salva fidelitate carissimi filii nostri LODOVICI Francorum Regis ligium hominium faciet dilectis filiis nostris STEPHANO Subdecano, SI. Præposito, & aliis cognatis & nepotibus ARCHEMBALDI bonæ memoriæ Aurelianensis Subdecani, qui hoc recipere voluerint, & tam ipsis quàm omnibus aliis qui cum eodem defuncto fuerãt exulati, vitam & membra & bona jurabit, & cum eo meliores de cognatione ipsius eandem securitatem jurabunt. Hoc etiam addito quòd fideliter laborabit, quatinus HENRICUS similiter juret idem & faciat, & uterque Aurelianensi Ecclesiæ quam graviter læserunt satisfaciet. Præterea HERVEUS de Vico-novo, HUGO nepos ejus, & THEBALDUS HERVEI, & cum eo tot milites ut centesimun numerum compleant, & centum quadraginta de melioribus burgensibus urbis Aurelianensis, quos ad hoc poterunt invenire, prædictis Archembaldi Subdecani parentibus hominia facient. Quòd si Henricus hoc jurare noluerit, prædictus Goffredus hoc per se nihilominus faciet adimpleri.

Deinde verò proxima Omnium Sanctorum festivitate nostro se conspectui præsentabunt, pœnitentiam quam eis injungere voluerimus fideliter suscepturi, tunc per nos ab excommunicationis vinculo absolvendi. Denique præfatus ST. Subdecanus, & SI. Prępositus mortem jamdicti Archembaldi recolendæ memoriæ eidem Goffredo in conspectu Fratrum nostrorum pro Dei amore misericorditer indulserunt, & hoc ipsum facient aliis militibus ejusdem Subdecani interfectoribus, qui Aurelianensi Ecclesię & parentibus interfecti satisfaciant. Veruntamen ipsi

Digitized by Google

omnes interim extra Ecclesiam & in pœnitentia erunt, & si quem eorum ad extremum vitæ venire contigerit, & absolutio ab excommunicatione & viaticum non negabitur. Volumus autem ut pro his qui Ecclesiæ satisfecerint, Aurelianensis Ecclesia ulteriùs à divinis non cesset officiis. Si qui autem de eisdem interfectoribus se ab ipsa satisfactione substraxerint, donec in terra de speciali dominio glorioſi filii nostri LODOVICI Francorum Regis in ipso Aurelianensi Episcopatu manserint, tota civitas & Archidiaconatus STEPHANI de Garlanda usque ad eorum satisfactionem à divinis vacet officiis. Ideóque sollicitudini vestræ mandamus, ut quia status terræ notior vobis existit de modo satisfactionis & absolutione Ecclesiæ, quę sub interdicto tenetur, vice nostra providere curetis. Datum Pisis sexto Idus Januarii.

Legesis Epistolam S. Bernard. 161. & Petri venerab. lib. 2. Epist. 17.

Anno Christi 1153.

HENRICI HVNTINDONENSIS Archidiaconi Lincolniensis.

Exemplar tertiæ Epistolæ de Contemptu mundi per ea quæ ipsi vidimus hoc est.

XX. WALTERE quondam decus juvenum, quondam deliciæ rerum, nunc proh dolor! diutino languore decoqueris, nunc lamentabili dolore consumeris. In ætatis nostræ jocundabili flore librum tibi Epigrammaton poëticè composui, carmen etiam in amorem acceptabilem contexui: juvenis quidem juveni juvenilia, jam senex seni senilia destino.

De contemptu igitur mundi quædam tibi & mihi scripsi, in quibus te languens exerceas, & ipse potentissimùm *sæpe legendo recurram, nec differendo rhetoricè, nec tractando philosophicè, id unde omnis divina pagina intonat, omnia Philosophorum ingenia desudant: sed loquendo omnino simpliciter ut pateat pluribus, id est, minùs doctis & de his quæ tu & ego vidimus;

f. potissimùm.

Digitized by Google

Hinc jam ſenes contemnere contemptibilia diſcamus. Nihil igitur de hiſtoriis deante relatis, ſed quę videndo ſcimus quia tale teſtimonium nec aliud lex admittit apponimus. Quòd ſi temporis noſtri nomina poſteris barbara videantur, vel quia tot apponuntur aſper & obliquus tædeat tractatus ſaltem mihi & tibi proderit.

CAPITULUM I.

Sit igitur primum Capitulum de his quæ in Eccleſia noſtra contigerunt.

Igitur à pueritia omnia fere vitia præter luxuriam pullulant, inter quæ cacumen exigit rigidiſſimum, & principatur nimius amor præſentium. Cùm autem ętatis naturali bono mala multa pueritiæ vacuentur, velut in ſcientia levitas, mutabilitas, & alia, hoc prædictum quod jocundius eſt ceteris, & melle venenato conditur, remanet & creſcit. Ætatis tamen magno proceſſu pungere videntur quæ mulcebant, & amaricare quæ indulcabant. Viſu tamen mali velut hamo fere inextricabili captæ mentes divitiis & deliciis fugientibus retinentur, quod à meipſo didici. Cùm namque puerulus, cùm adoleſcens, cùm juvenis ROBERTI Præſulis noſtri gloriam conſpicerem, ſcilicet equites decentiſſimos, adoleſcentes nobiliſſimos, equos pretioſiſſimos, vaſa aurea & deaurata, ferculorum numerum ferentium ſplendorem, veſtes purpureas & biſſinas, nihil nimirum beatius æſtimare potui. Cùm igitur omnes & ipſi qui etiam de mundi contemptu in ſæculo legebant ei obſequerentur, & ipſe quaſi pater & Deus omnium æſtimatus mundum valde diligeret & amplexaretur, ſi quis tunc mihi hæc pulcherrima quæ omnes admirabamur contemnenda diceret, quo vultu, quo animo ferrem? Inſaniorem Oreſte, importuniorem Terſite judicaſſem. Nihil tanti viri tantę beatitudini obeſſe poſſe putabam. Vir tamen effectus narrationem audivi de turpiſſimis omnino conviciis ad eum dictis, quæ ſi mihi nihil habenti in tanta audientia dicta fuiſſent, ſemimortuum me ducerem. Cœpi ergo illam beatitudinem minoris pendere, quia verò multis

Iuvenes quid appetere ſolent.

De Roberto Epiſcopo qui divitiis & mundanis rebus abundabat.

Digitized by Google

secularibus solent ante mortem acerbissima contingere; quid ante finem ei contigerit edisseram.

Qui Justiciarius totius Angliæ & ab omnibus summè formidatus fuerat, in ultimo vitæ suæ anno bis implicitatus est à Rege per quendam justiciarium ignobilem, & damno gravissimo cum dedecore bis afflictus. Unde tanto stupore mentis angariatus est, ut cùm ego jam Archidiaconus ejus inter prandium juxta eum recumberem, lacrymas eum fudisse viderim. Causam quæsitus: Quondam inquit, astantes mihi pretiosis induebantur, nunc multæ Regis cujus semper gratiæ studui maximè cõpegerunt eos agninis vestiri. Tanta verò post hæc desperatione de Regis amicitia usus est, ut cùm laudes egregiæ, quas Rex de eo absente dixerat, ei retractarentur, suspirans dixit: Non laudat Rex quempiam suorum, nisi quem voluerit funditus delere (Rex namque HENRICUS si dicere fas est, summæ simultatis erat & mentis inscrutabilis.) Post paucos exhinc dies apud Wdestoch, ubi Rex conventum hominũ & ferarum statuerat, cùm Episcopus loqueretur cum Rege & Episcopo Salesburiensi, qui summi erant in regno, percussus est apoplexiâ. Vivus tamen sed elinguis in hospitium suum deportatus præsente Rege mox expiravit. Rex magnus, cui semper servierat, quem valde dilexerat & metuerat, quem tanti ducebat, in quem adeò confidebat, nihil pluris in summa necessitate fuit ei mendico. Animadverte igitur non frustra dictum: *Maledictus homo qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium suum.* Dum igitur puer vel adolescens vel juvenis conspiciunt beatos, præcogitent quàm sit eorum finis ambiguus, & in hoc etiam mundo marcescere incepturi sunt in miseriis. Fuit autem ROBERTUS Præsul mitis & humilis, multos erigens, nullum deprimens, pater orphanorum, deliciæ suorum, hoc tamen usus est fine.

Miserè periit Episcopus.

Ierem. 17. 5.

Tractandum autem erat de prædecessore ejus REMIGIO, qui cum Willelmo Rege in Angliam venit & bello interfuit, qui postea Episcopatum Dorcheceastriæ prædicto Rege largiente suscepit, qui deinde sedem Episcopatus à Dorcheceastria in Lincolniam* transtulit, qui Eccle-

* Lincolne

Digitized by Google

ſiam veſtram fundavit, fundatam poſſeſſionibus variis ditavit, ditatam perſonis honeſtiſſimis infloravit. Sed non loquimur niſi de auditis & viſis, eum autem non vidimus: Clericos autem venerabiles quos in Eccleſias primos impoſuit omnes vidimus; quorum paucos memorabimur paucis.

RADULFUM igitur ſacerdotem reverendum conſtituit Decanũ: REINERUM verò, in cujus loco GALFRIDUS nepos ejus adhuc degit, theſaurariũ exhibuit. Reinerus verò adeò religioſus fuit, ut ſæpe in tumulo quem morti ſuæ pręparaverat pſalmodiã exerceret; & domui æternitatis ſuæ aſſueſcens diutiùs orabat, ut cùm orare non poſſet ibidem recumbens à Dei pietate viſitaretur: felix exemplum viri clariſſimi. Nec tacendus eſt HUGO Sacerdos, vir memoriâ dignus, principium & quaſi fundamentum Eccleſiæ. Cui ſucceſſit OSBERTUS vir omnino comis & deſiderabilis. In quorum loco jam Willelmus extat, juvenis magnæ indolis. GUERNO verò Cantor effectus eſt: hujus in loco Radulfus inpręſentiarum Cantor degit. Nec prætereo ALBINUM Andegavenſem, Magiſtrum quippe meum. Cujus fratres honeſtiſſimi & conſocii mei qui terno pollebant habitu, ſcientiâ profundiſſimâ, caſtitate clariſſimâ, innocentiâ ſummâ, occulto tamen Dei judicio leprâ percuſſi ſunt; ſed jam purgamento mundati mortis.

Septem autem Archidiaconos ſeptem provinciis quibus præerat REMIGIUS impoſuit: RICHARDUM Archidiaconum Lincolniæ, cui ſucceſſit Albertus Longobardus, cui ſucceſſit etiam WILLELMUS Bajocenſis: & nunc ROBERTUS junior, omnium Archidiaconorum, qui in Anglia ſunt ditiſſimus; Cantebrugenſi & Huntidonenſi & Herfordenſi Nicolaũ, quo nullus erat corpore formoſior, nec moribus corpori multùm erat abſimilis. Cujus circa tranſitum cùm Cantebrugenſis provincia ab Epiſcopatu noſtro ſeparata novum Epiſcopum ſuſcepiſſet, duabus reliquis provinciis Archidiaconus ei ipſe ſucceſſi. NIGELLUM verò Archidiaconum Haintoniæ prępoſuit: cui ſucceſſit ROBERTUS, quibus modò WILLELMUS Alexan-

Digitized by Google

dri Episcopi neposegregius. Leicestriæ verò RADULFUM, cui successit GODEFRIDUS. Quibus WALTERUS vir omninò laudandus: nunc verò ROBERTUS de Querceto vir famâ dignus: Oxinfordiæ quidem præposuit ALVEREDUM, cui successit Walterus superlativè Rhetoricus. Buchingehan præposuit ALVEREDUM parvũ. Cui successit GILLEBERTUS versibus & prosâ & habitu curialissimus. Quibus
* Chester, successit ROGERUS jam Cestrensis * Episcopus effectus, postea RICARDUS. Nunc verò D. Frater Alexandri venerabilis Episcopi à primo quintus. Septimum verò Archidiaconum Bedefordiæ præposuit OSBERTUM, cui successit RADULFUS miserandè occisus: quibus HUGO à primo tertius: Nunc verò Nicolaus quartus. Ceteri verò Olerici honestissimi ne prolixitatis arguar taceantur.

Cogitetur igitur quomodò prædictæ personæ venerabiles exinanitæ sunt, & mox oblivione æternâ absorbendę sint. Immo mente revolve omnes quos in choro dextro, omnes quos etiam sinistro priùs vidimus, nec unus quidem jam supereſt. Amabant quæ amamus, optabant quæ optamus, sperabant quæ speramus, mors omnes dedit oblivioni. Cogitemus igitur quia similiter & nos eadem manet oblivio, curemus omni nisu quærere quod duret, quod stabile sit, quod differat à somnio, immo quod quid sit quia hæc nihil sunt.

CAPITULUM II.

Ad contemptum mundi est de his quos in summis deliciis educatos vidimus summis miseriis tandem deletos.

Ideò autem per capitula tibi scribo, ut quia diversorum nomina & gesta ubique dispersa intermiscentur, hinc
De Guillelmo Regis Henrici I. filio. apertior & dilucidior fiat Tractatus. Vidimus igitur WILLELMUM filium Regis vestibus sericis & auro consutis indutum, famulorum & custodum turbâ consertum gloriâ quasi cœlesti coruscantem. Ipse unicus erat Regis & Reginæ filius nec dubitabat se diademate sublimandum. Enimverò nescio quid magis afferebat ei certa spes

Digitized by Google

in futurum regnandi, quàm patri suo ipsa essentia regni, quia patri magnum regnandi spatium jam præterierat, filio verò totum adhuc reservabatur; pater etiam jam de amissione cum mentis angaria cogitabat; filius verò tantùm ad habendum cum gaudio totus inhiabat. Displicebat autem mihi, & in animo meo cladem futuram portendebat nimius circa eum cultus, & nimius in ipso fastus, & dicebat animus meus: hic adeò delicatus nutritur in cibum ignis. Ille autem semper de Regno futuro, de fastigio superbo tumidus cogitabat. Deus autem dicebat: *Non sic impii, non sic.* Psal. 1. 5.

Contigit igitur ei quod pro corona auri rupibus marinis capite scinderetur, pro vestibus deauratis nudus in mari volutaretur, pro celsitudine regni maris in profundo piscium ventribus sepeliretur. Hæc fuit *mutatio dexteræ Excelsi.* RICARDUS enim Consul Cestrensis, filius unicus HUGONIS Consulis, summo splendore nutritus, summâ expectatione patris heres eximius adhuc imberbis in eadem nave deperiit, & eandem sepulturam habuit. RICARDUS quoque filius Regis nothus, ab Episcopo nostro Roberto festivè nutritus, & in eadem quâ degebam familia à me & aliis celebriter honoratus, cujus indolem mirabamur, & magna quæque expectabamus, in eadem navi cautibus illisa cùm mare ventis careret subita morte raptus est, & à mari voratus est. Cùm igitur WILLELMUS regius nepos, filius scilicet ROBERTI Normannorum Ducis, jam solus regius esset heres & omnium expectatione dignus judicaretur, probitate ineffabili consulatum Flandriæ adeptus esset, & vigore inexterminabili Theodoricum signis collatum superasset, parvo ictúque sauciatus in manu deperiit Omnes qui eum Regem futurum securi expectabant, & qui jus ad libitum præjudicabant illusi sunt. Si singula sequerer exempla, fieret epistola codex magnus.

Nunc autem Decanum nostrum SIMONEM non prætereo, qui filius ROBERTI Præsulis nostri fuit, quem genuerat dum Cancellarius WILLELMI magni Regis esset; qui ut decebat regaliter nutritus & ad-

Digitized by Google

huc impuber Decanus noſter effectus, in ſummam Regis amicitiam & curiales dignitates mox provectus eſt. Erat autem celer ingenio, clarus eloquio, formâ venuſtus, gratiâ choruſcus, ætate junior, prudentiâ ſenilis, ſed ſuperbiæ vitio reſperſus. Ex ſuperbia crevit invidia, ex invidia odium, ex odio detractiones, jurgia, delationes. Bene igitur prophetavit de ſe dicens: Ego curialibus interpono quaſi ſal anguillis viventibus. Sicut enim ſal anguillas excruciat, ſic delationibus ſuis omnes Regi famulantes diſtorſit, ſicut ſal anguillarum deſtruitur humore, ſic ipſe omnium aſpiratione annullatus eſt. Hujus tamen prophetiæ partem priorem intellexit, alteram non prævidit. Vera tamen de ſe dixit neſcius. Summus igitur in faſtigio Curiæ & Regni poſt dies in ſummum Regis odium devolutus eſt, & in carcerem poſitus per latrinam aufugiſſe dicitur & in exilium & miſeriam juvenis interiit. Bene igitur in illo illud propheticum patuit; Thren. 4. 5. *Qui in croceis nutriebantur amplexati ſunt ſtercora.* Non igitur magni æſtimemus cùm nobiles pueros vel juvenes viderimus tam formâ quàm divitiis & favoribus præradiare, cùm ſæpenumero in ſummas miſerias redigantur. Tunc omnis expectatio ſtultorum diſſoluta eſt, & quod nihili erat ad nihilum redigitur.

CAPITULUM III.

Tertius erit Tractatus ad hujus vitæ labentis deſpectum quæ utinam deſpici poſſet à me quantum animus optat meus, & dignitas exigit ſua, de ſapientia hujus mundi, ſcilicet de hoc quod potiſſimum eſt in mundo. Illa namque pretioſior eſt cunctis opibus terræ, & omnia quæ mundo deſiderantur, huic non valent comparari. Scriptum eſt tamen: 1. Cor. 3. 19. *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Quod Apoſtoli ſignaculum viſis proſequar exemplis.

Fuit igitur Robertus Conſul de Mellent in rebus ſecularibus ſapientiſſimus omnium hinc uſque in Jeruſalem degenerum, fuit ſcientiâ clarus, eloquio blandus, aſtutiâ perſpicax

Digitized by Google

perspicax, providentiâ sagax, ingenio versipellis, prudentiâ insuperabilis, consilio profundus, sapientiâ magnus. Possessiones magnas & varias, quas vulgò vocant honores, urbes & castella, vicos & villas, flumina & sylvas prædictis acquisierat instrumentis. Erant autem honores ejus non solùm in Anglia, verùm & in Normannia & in Francia. Pro libitu suo Reges Francorum & Anglorum nunc concordes uniebantur, nunc discordes prælibantur. Si adversus aliquem insurgebat, contritus humiliabatur: si prodesse volebat, gloriosus exaltabatur. Hinc thesauri copia, auri scilicet & argenti, gemmarum & palliorum incredibiliter ei confluxit.

Cùm igitur in summo statu gloriæ suæ degeret, contigit quemdam alium Consulem sponsam ei tam factione quàm dolosis viribus arripuisse. Unde in senectute sua mente turbatus, & angariâ obnubilatus in tenebras mœroris incidit, nec usque ad mortem se lætum vel hilarem sensit. Cùm autem post dies dolori dedicatos in infirmitatem mortis prænuntiam incidisset, rogatus ab Archiepiscopo & Sacerdotibus cùm ei confessionis purgatorium impenderent officium, ut terras quas vi vel arte multis abstulerat pœnitens redderet, & erratum lacrymis lavaret. Quibus respondens ait: Si terras quas aggregavi multifariam divisero, quid miser filiis meis relinquam? Cui contrà ministri Domini, sufficerent filiis tuis hereditates pristinæ, & quas justè terras adquisisti, cetera redde; alioquin animam devovisti gehennæ. Respondit autem Consul: Filiis omnia tradam, ipsi pro salute defuncti misericorditer agant. Eo autem defuncto filii ejus magis injustè congregata injustè studuerunt augere, quàm aliquid pro salute paterna distribuere. Liquet igitur summam viri sapientiam in fine qua laus canitur, non solùm in summam stultitiam, sed in cæcam deveniſſe insaniam.

Renuit moribundus restituere quæ injustè abstulerat.

Quid memorem GILLEBERTUM cognomine UNIVERSALEM, Episcopum Londonienſem? non fuit ad usque Romam par ei scientia, artibus erat eruditissimus, theoriâ singularis & unicus. Famâ igitur celebris & splendi-

Gilbertus Universalis Episcopus London.

Digitized by Google

dus, quapropter dum scholas regeret juvenis in Gallia ad summum Londoniæ sacerdotium vocatus est, & exoratus concessit. Qui magnâ expectatione susceptus cœpit avaritiæ crimini deservire, multa perquirens, pauca largiens.

Mortuo, ejus ingentes divitiæ Rex accipit.

Moriens siquidem nihil divisit, sed infinitam thesauri copiam Rex Henricus in ejus deliciis invenit. Ocreæ etiam Episcopi auro & argento refertæ in fiscum Regium allatæ sunt: unde vir summæ scientiæ ab omni populo habitus est pro stultissimo.

Ranulfus Regis Cancellarius.

Quid etiam de RANULFO Regis Cancellario, qui cùm esset vir sagacissimus, astutus & callidus, omnem vim sapientiæ suæ convertit ad simplices deheritandos & pecunias eradendas. Sed inter agendum decidit in languores interminabiles. Tunc verò quasi Deo renitens & naturæ victor, facinus cumulare, quos poterat devorare

Ex equo corruens moritur.

non destitit. Crescebat cum cruciatu cupiditas, cum infirmitate impietas, cum doloribus dolus, donec cùm ex equo corrueret, Monachus super eum equitavit, & insolita mole demolitus est.

Ex infinitorum sylva exemplorum ad mundi sapientiam immo fallaciam discernendam jamdicta sufficiant.

CAPITULUM IV.

Quarto subdetur loco virorum magni nominis felicitas, quam scilicet dedisse Regi suo David Dominus ipse

2. *Reg.* 7. 9. pronuntiat his verbis: *Fecique tibi nomen grande juxta nomen magnorum qui sunt in terris.* Ille igitur hanc felicitatem feliciter habuit, nostri autem infeliciter: his namque temporibus non pervenitur ad magnum nomen nisi summis sceleribus.

Thomas Princeps crudelissimus.

THOMAS Princeps magnus juxta Laudunum in Gallia principans, magnus erat nomine, quia summus erat scelere. Ecclesiis igitur circumjacentibus hostis omnes in fiscum suum redegerat: si aliquem vi vel dolo in captione

Psal. 17. 6. sua tenebat, non falsò dicere poterat: *Dolores inferni circumdederunt me.* Cædes humana voluptas est & gloria. Comitissam contra solitum in carcere posuit, cui crude-

Digitized by Google

lis & ſpurius pedes & ſupplicia diebus ut pecuniam extorqueret, ſtuprum noctibus inferebat ut eam derideret, à carcere in lectum Thomæ crudeliſſimi quâque nocte ferebatur; à lecto in carcerem quâque die referebatur. Pacificè loquens proximum in corde non ſine riſu gladio tranſpungebat. Unde gladium ſæpiùs ſub clamyde nudum ferebat quàm vaginatum. Hunc igitur omnes timebant, venerabantur, adorabant, fama omnis Galliæ circa illum, creſcebat in dies ei poſſeſſio, creſcebat theſaurus, creſcebat ſervitus. Audire finem ſcelerati deſideras? gladio lethaliter percuſſus, pœnitentiam recuſans, & à corpore Domini collum retorquens ſic periit ut bene dici poſſet: Impiè moritur.

Conveniens vitæ mors fuit iſta tuæ.

Vidiſti ROBERTUM de Beleſme, qui Princeps Normannenſis in carcerem poſitis erat Pluto, Megera, Cerberus, vel ſi aliquid horrendius ſcribi poteſt; nec curabat captos redimere ſed interimere. Filioli ſui oculos ſub clamyde poſiti quaſi ludens pollicibus extraxit. Homines utriuſque ſexus ab ano uſque in ora palis transforabat. Erat ei cędes horribilis hominum, cibus jocundus animæ. Erat igitur in ore omnium poſitus, ut dicerentur in proverbiis mirabilia Roberti de Beleſme. Tandem veniamus ad finem ad rem ſcilicet optabilem. Qui ceteros carcere vexaverat in carcere perenni à Rege HENRICO poſitus longo ſupplicio ſceleratus deperiit, quem tantopere coluerat dum viveret in carcere utrum viveret vel obiiſſet, neſcivit. Diem quoque mortis ejus obmuteſcens ignoravit. Hos igitur duos inter multos deſcripſi, nec jam ampliùs de gente ipſis dæmonibus horrenda loquendum duxi. Robertus de Beleſmo vir nequiſſimus. Periit in carcere.

CAPITULUM V.

Quinto tractabitur de ſummis hominum, qui ſic ſunt in rebus humanis ut generaliſſima in prædicamentis. Reges verò gentium ſubditis ſuis quaſi Deus ſunt, quibus omnes juramento ſe devoverunt, quibus ſtellæ cæli deſervire videntur. Horum igitur mundi cacuminum tanta eſt ſublimitas, ut in eos videndo ceteri non ſatientur, ut

Digitized by Google

eis cohabitantes supra homines æstimentur. Nec mirandum est si ad eos inspiciendos mulierum turba, vel juvenum turba, vel etiam viri levitatis prosiliunt, sed etiam sapientes & discretione graves ad videndum sæpe vivos nescio qua gratia mulcente impelluntur. Quid igitur est? Quid jocundius est? Quid beatius esse potest? Vellem tamen unum ex eis tibi colloqui, & mentis suæ secreta funditus revelare, longè aliter judicares. Cùm eos alii beatos judicent ipsi dolore detorquentur, timore decoquuntur. Nemo in regno eorum par eis miseriis, nemo par sceleribus. Unde dicitur: Regia res scelus est.

Henricus Anglorum Rex etsi felicissimus tamen miserrimus est habendus.

Rex Henricus fratrem suum dominum Robertum in carcerem perennem posuit, & usque dum moreretur detinuit; neptum suarum oculos erui fecit; multos proditione cepit; multos subdolè interfecit; multa contra sacramenta egit, semper cupiditati & avaritiæ deservivit. Quos terrores sensit dum frater ejus Robertus in eum exercitus à Normannia in Angliam duceret? Concordiam quidem territus cum eo instituit, sed in ea Procerum optimos perjurare fecit, quia pacem fregit, & fratrem cepit. Quos terrores habuit dum Consul Andegavensis castella ejus diriperet, nec ipse procedere auderet? Quos terrores dum Balduinus Consul Flandrensis Normanniam ipso præsente inflammaret, nec ipse procedere auderet? Quomodò mente contribulatus est, cùm filii ejus & filiæ, & Proceres pelago sunt devorati? quibus curis demolitus est dum nepote suo Willelmo Flandriam adipiscente se diadema regni amissurum pro certo putaret? hinc tamen beatissimus Regum habitus est, sed certè miserrimus est.

Philippus Francorum Rex & Ludovicus filius ejus.

Quid de Philippo Rege Francorum, & Lodoveo filio ejus qui temporibus nostris regnavit, quorum Deus venter fuit, immo funestus hostis fuit, adeò voraverunt ut seipsos pinguedine amitterent nec sustinere se possent. Philippus olim pinguedine defunctus est. Lodovicus adhuc juvenis pinguedine tamen jam mortuus est. Quid autem de felicitate eorum? Nónne Philippus à suis sæpè victus est, & à personis viliissimis sæpe fugatus est? Nónne

Digitized by Google

Lodovicus per Regem Henricum à Martio campo expulsus est, & à suis ut patet sæpenumerò fugatus est?

Rex verò Norwagensis fratrem suum Regem nuper bello cepit, oculos capto eruit, mentulam abscidit, pedem dextrum ademit; filium ejus lactentem excapitavit; Pontificem ejus laqueo suspendit. Infelix æquè Rex uterque.

Quare Autor in sua historia Regem Anglorum laudavit, quem hic vituperat.

Sed oppones: Cur igitur Regem Henricum in historia tua tantis laudibus extollis, quem hîc tantis criminibus subvertis. Ad quod respondeo: Regem sapientiâ magnum dixi, consilio profundum, providentiâ clarum, armis insignem, gestis sublimem, divitiis singularem, & tamen omnia quæ hîc apposui, vera nimis sunt & utinam falsa essent.

Sed forsitan adhuc dices: Triginta & quinque annis jam regnavit, & multò plura si numeres prospera sensit quàm adversa. Contra quod ego: immo nec millesima pars fortunæ ejus prosperitati potest adhiberi, ea namque quæ prospera videbantur doloribus semper immixta erant. Cùm Regem Franciæ prælio vicit, quàm longa turbatione mentis breve illud gaudium adeptus est? breve dico, quia mox alius exercitus insurgens mentis febribus aliis eum contribuit*. Quòd si diuturnitatem vitæ & regni miraris, jam non per biennium regnaturum vir Dei prædixit. Nuper itaque videbis miseræ vitæ miserum finem, quod utinam si fieri potest absit, sed tamen non aberit. Non igitur mireris Reges istos infelices, sed Deum solum felicem, & regna felicia suis dantem.

* Conturbavit

Reges quorum meminit infelices; solus Deus Rex felix.

CAPITULUM VI.

Sextus autem qui & ultimus erit Tractatus, de Regni nostri Proceribus habeatur, qui nuper potentissimi fuerunt, nec jam impotentes sunt. Jam enim nihil sunt, nusquam sunt, & per excessum penè dici potest nunquam fuerunt: nunc etenim ferè nemo eorum recordatur, omnis memoria eorum* interire incipit, mox nulla erit. *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.* Audi igitur WAL-

* ut.

Digitized by Google

TERE consors carissime sermocinationem de viris illustribus, sed tamen in audiendo tædiosum, licet eos oculis nostris inspexerimus. Splenduit igitur temporibus nostris LANFRANCUS Archiepiscopus vir Philosophus, vir perspicuus; cui successit ANSELMUS Philosophus & sanctissimus. Vidimus post eos RADULFUM dignum tanta celsitudine habitum. Postea verò sedit Cantuariæ WILLELMUS cujus laudes dici nequeunt, quia non sunt. Inpræsentiarum THEBALDUS vir omni laude dignus. Fuit etiam temporibus nostris WALCHELINUS Wintonienſis Episcopus, cui successit Willelmus Giffardus vir nobilissimus. Hi quoque exinaniti sunt & ad nihilum devenerunt. Nunc autem sedet in loco illorum HENRICUS nepos Regis Henrici, qui futurus est novum quoddam monstrum ex integro & corrupto compositum, scilicet Monachus & Miles.

Illustres viri Angliæ, Archiepiscopi Cantuar.

Fuit etiam tempore nostro INGULFUS * Præsul Rovecestrensis*, post quem BALDULFUS, post quem ERNULFUS deinde JOHANNES, hi omnes exinaniti sunt. Nunc autem sedet ASCELINUS* mox periturus.

al * Gundulfus moritur 1170. *sive* * Roffensis *vulgò* Rochester. * qui obiit an. 1147.

Tempore nostro MAURITIUS Episcopus Londonienſis decessit: post quem RICARDUS, post quem GILLEBERTUS magnus philosophus, nunc verò ROBERTUS vir animo magnus: & hi exinaniti sunt. Badæ * verò JOHANNES, medicus, & GODEFRIDUS. nunc verò sedet ibidem ROBERTUS. Et hi jam nihil sunt. Wirecestriæ SAMSONEM vidi clarissimum, post hunc TEULFUM; nunc autem ibidem SIMONEM videmus. Cestriæ* verò vidimus ROBERTUM Pontificem: deinde alium ROBERTUM qui cognominatus est Peccatum*. Nunc autem sedet ROGERUS mox nihilum futurus. Norweciæ sedit HERBERTUS vir benignus & doctus, cujus extant scripta. Cui succedit EVERARDUS vir crudelissimus & ob hoc jam depositus; nunc verò sedet ibi WILLELMUS.

Sive * Bathoniæ *vulgò*, Bathe.

Sive * Conventriæ & Lichfoldiæ. * *Vulgò* Peccam.

Helienſis Episcopus primus fuit HERVEUS, cui successit NIGELLUS. Salesberienſis* Episcopus fuit OSMUNDUS; cui successit ROGERUS vir magnus in secularibus; nunc verò GOCELINUS. Execestriæ * verò sedit ROBER-

Sive * Sarisburienſis. *al.* * Exoniæ *vulgò* Chichester.

Digitized by Google

tus nuper mortuus & pridem cæcus, nunc verò nepos ejus item Robertus. In Siceſtria* verò ſedit Radulfus. In cujus loco ſedit Pelochin vir gnatonicus, & ob hoc jam depoſitus. Dunelmæ verò ſedit Willelmus qui occiſus eſt: poſt quem Ranulfus qui totam raptor Angliam ſuccendit: quibus ſucceſſit Galfridus, inpræſentiarum verò Willelmus.

*Sive Cicestria.

Vidimus autem Gerardum Archiepiſcopum Eboracenſem, poſt eum Thomam, poſt eos Turstanum omnino laudandum, ſed nunc Willelmum ejuſdem Eccleſiæ Theſaurarium. Lincolniæ verò tempore noſtro Remigius deguit Epiſcopus; cui ſucceſſit Robertus vir clementiſſimus; quibus ſuccedit Alexander vir fidelis & munificus. Hactenus de Epiſcopis.

Nónne vidiſti Hugonem Conſulem Ceſtriæ, & Ricardum filium ejus & Randulfum ſucceſſorem eorum; & nunc alium Randulfum. Et hi omnes exinaniti ſunt. Vidiſti virum nequiſſimum, & ſapientiſſimum Robertum de Mellent ſcilicet in ſecularibus, de quo prædixi: Et nunc filium ejus Robertum laude parvum. Nónne vidiſti Henricum Conſulem de Warewic, & filium ejus Rogerum, qui nunc deget, animis ignobilem. Vidiſti Willelmum Conſulem Warenniæ, & Robertum Conſulem de Beleſme, & Robertum Conſulem de Moretuil: de quibus in hiſtoria Anglorum locuti ſumus: & Simonem Conſulem Huntendoniæ, & Eustachium Conſulem Boloniæ, & alios multos. Et ipſa memoria tædioſa eſt, qui cùm potentiſſimi & aſpectu intento digniſſimi viderentur, nunc nec pronuntiatione digni ſunt; ſed & pellis ovina in qua depinguntur eorum nomina perdita videtur omnino, nec invenimus oculos qui eam perlegere velint. Teſtis eſt hæc Epiſtola, quam pro nominibus potentiſſimorum, & omnium aſſurrectione digniſſimorum, nemo tamen, vel vix aliquis, poteſt perlegere.

Nunc agit de viris nobiliſſimis.

Quid memorem Alwinum dominum meum Abbatem Rameſiæ, & ſucceſſorem Bernardum, & poſteà Reinaldum virum callidum ſed inclementem, nunc

Abbatum quorumdum meminit.

Digitized by Google

autem WALTERUM virum elegantem. TURALDUS Abbas Burgensis, & ERNULFUS, & MATHIAS, & GEDRICUS & JOHANNES, & MARTINUS; quos omnes vidimus, exinaniti sunt, & ad nihilum devenerunt.

Quæris autem cur post mortuos & in fine vivos interponam, & jam ad nihilum deveniſſe dicam? Cujus causa hæc est, sicut enim mortui ad nihilum devenerunt, ita & isti mox devenient, immo ut liberiùs dicam jam devenerunt. Nostra namque quæ dicitur vita, ut Tullius ait, mors est: ex quo incipit vivere incipit mori.

Prætereo viros clarissimos scilicet RADULFUM Basset, & RICARDUM filium ejus justitiarios totius Angliæ; & GALFRIDUM Ridel justitiarium totius Angliæ, & alios absque numero: Quibus jamdudum magni constamenti* servitium impendere jocundum mihi videbatur; nunc autem mortuis breviſſimam operam vile videtur impendere.

*Id est *expendi, à verbo* consto. Gal. *Un service de grand coust.*

Alia in altera vita quærenda est fecilitas quæ non fallax exiſtit, sed æterna.

Cogita igitur, WALTERE, quàm nihil sit hæc præsens vita: cùm namque videamus potentissimos, qui ejus divitias plenariè adepti sunt, nihil effeciſſe, ne & nos nihil efficiamus quæramus aliud iter vitæ, in qua beatitudinem speremus & adipiscamur. Surge, frater, surge & quære quia & in hac vita quod quæsisti nunquam inveniſti. Nónne Rex ALEXANDER, vir, ut ita dicam, pluſquam potentissimus, parvo tandem veneno demolitus est, non invenit quod quæsivit. Nónne & JULIUS Cæsar vir æquè magis potens cùm omnia subjugasset exinanitus est illis, quod quæsivit non invenit. Quære igitur quod invenias, quære vitam post vitam, quia vita non est in hac vita. O Deus magne quàm justè mortales dicimur: Mors enim nostra ex quo vivimus continua est. Illa autem quæ dicitur mors finis nostræ mortis est. Quicquid enim agimus, quicquid dicimus ex quo actum est vel dictum statim moritur. Memoria quidem eorum ut circa mortuum aliquandiu vivit; cùm autem & illa deperierit, jam quasi secunda mors facta omnia & dicta nostra omnimodè adnihilavit. Ubi est quod heri feci, ubi quod dixi? ad nihilum devenerunt. Ubi & quod præterito anno hodiernâ

Mors vita præsens.

licet

Digitized by Google

die feci vel dixi? æterna morte oblivionis absorpta sunt. Optemus igitur in hac morte mortem, quia non evademus hanc vivendi mortem nisi corporis morte, quæ scilicet medius terminus est mortis & vitæ.

Sed antequam Epistolam hanc perfinierim, nuntiatum est amicum meum cui scribebam mortis legibus concessisse. O mortalium sors abjecta nascendi, misera vivendi! dura moriendi! O mors quàm citò proruis, quàm inopinatè irruis, quàm magnificè subruis! Ille igitur qui post mortem est medicus, donet tibi, Waltere, antidotum suæ pietatis ad capescendam vitam continuæ sanitatis. Jam tibi quidem Epistola mitti non potest, sed Epitaphium breve, scilicet monumentum cum lacrymis scribendum est.

HENRICVS tibi serta gerens Epigrammata, primùm
Prælia, mox Veneris gramina deinde tuli.
Nunc, VVALTERE, tibi fero carmen funebre totus,
Alter ab Henrico, qui tria serta tulit.
Dimidius perii, periit mens & decor & lux,
Formáque, mensque viri, mens caritura pari.
Mens assueta viri dare magna tamen pudibundè,
Mente minora sua se tribuisse videns.
Mens assueta viri quantumlibet alta parare,
Sed cùm multa paret xenia parva timet.
Mens assueta viri festino tradere vultu,
Lætitiáque pari congeminare datum.
Mens assueta viri dare sic ne danda rogentur,
Præveniens vocem bina ferente manu.
Nil medium, nil par magnis vir summus habebat,
Summa Dei sit ei gratia grata quies.

Digitized by Google

Anno Christi 1156. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

Donatio facta MARIÆ *sorori Ducis Burgundiæ à* GUILLELMO *Montispessulani domino propter nuptias.*

XXI. CUM in mundi principio Deus omnia creando ad ultimum hominem condidisset, tulit
Gen. 2. 18. unam de costis ejus dicens: *Non est bonum esse hominem solum in terra, faciamus ei adjutorium similem sibi*: ex
Gen. 1. 22. qua cùm feminam fecisset, benedixit eis & dixit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Quapropter re-
Matth. 19. 5. linquit homo patrem & matrem, & adhæret uxori suæ: & fiunt duo in carne una. Apostolus autem quanto vin-
Coloss. 3. 19. culo dilectionis ligari debeant ostendit, cùm dicit: *Viri diligite uxores vestras sicut Christus Ecclesiam.* His Dei testimoniis eruditus ego GUILLELMUS Montispessulani dominus, in Dei nomine ducens te MATHILDEM sororem ducis Burgundiæ in uxorem, dono & mitto tibi eidem Mathildi dilectæ uxori meæ in sponsalicium seu donationem propter nuptias castrum scilicet de Monteferrario, & castrum de Pinnano, & forum seu mercatum Delpeïro, cum reditibus, usaticis, & omnibus suis pertinentiis, & balnea Montispessulani cum suis similiter reditibus, & duo molendina in palude cum suis reditibus & omnibus suis pertinentiis, & totum meum laborivum de Arneïr. Hæc omnia, tali tamen ratione & pacto, tibi in sponsalicium dono & concedo, quòd habeas & teneas, & utaris, fruaris more sponsalicii in vita tua tantùm.

Et ut hoc sponsalicium seu dotalicium firmiùs observetur, & tutiùs tibi caveatur, juravit Guillelmus de Tortosa frater meus supra sancta Dei Evangelia, ut si quandoque inde tibi aliquid imminutum vel detractum ab aliquo ex his quæ supradicta sunt tibi fuerit, secundùm electionem voluntatis tuæ postquam à te vel tuis commonitus inde fuerit, vel apud Montempessulannm donec damnum tibi restitueretur, ostatgium teneret, vel fidelis

Digitized by Google

coadjutor existeret inde tibi. Et hoc idem tibi juraverunt RAIMUNDUS Stephani de Cerviano, & ELSIARIS filius Gaucelini de Clareto, & PONTIUS de Montelauro, & RAIMUNDUS de Castris, & GUILLELMUS de Fabricis, RAIMUNDUS de Monteferrario, BERMUNDUS de Someire, ERMENGAUDUS de Mergorio, GUILLERMUS de Centrairanicis, GUILLERMUS de Pinnano, & RAIMUNDUS Guillermi de Pinnano, FROTARDIS, PETRUS Guillermi de sancto Firmino, GUILLERMUS de Alba-terra, PETRUS Gaucelini de Monte Albedone, BERNARDUS de Castriis, RAIMUNDUS de Soregio, RAIMUNDUS de Selvinaco, & ERMENGAUDUS de Lopiniaco. Et præter hos qui sic juraverunt sunt tibi fidejussores & manulevatores, RAIMUNDUS Trencavilli Vicecomes, & BERNARDUS de Andusia, ut quod supradictum est te quietè habere & tenere, & damnum si quod inde tibi contigerit, restitui faciant, vel decem millia solid. Mergoriensium quisque illorum tibi persolvat.

Hoc autem factum est apud Montempessulanum in domo seu stari* sancti Firmini, Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo sexto, quinto Kalendas Martii, sub præsentia RAIMUNDI Magalonensis Episcopi, BERNARDI de Figareto, & JOHANNIS Prioris sancti Firmini, & BERNARDI de Andusia Senioris, & G. Prioris sancti Ægidii, & ENGELERICI, & RADULFI Cistercienſium Monachorum, & BERNARDI de Villei, & ARNULFI de Veiranicis, Militum, & GUILLERMI Litterici, ARBRATIDI, GUILLELMI Urbani, BERENGARII Lamberti, GUILLELMI Petri, & DURANDI Notarii, & aliorum multorum. 1156.

* Altari.

Digitized by Google

GUILLELMI *de Rocamaura* & PETRI *fratris.*

Anno Christi 1164. Conferunt Monasterio S. Andreæ quidquid in Iaxia habebãt dum frater illorum Pontius cucullam assumpsit.

XXII. NOTUM ac manifestum sit tam præsentibus quàm futuris, quòd GUILLELMUS de Rocamaura & PETRUS frater ejus, illorúmque mater AZALAICIA de Rocamaura, venerunt in præsentia Domni Abbatis Pontii ad Monasterium S. Andreæ, & ibidem frater eorum PONTIUS de Rocamaura monachatus est, & deseruit matri & fratribus hereditatem suam. Quapropter prælibati fratres Guillelmus & Petrus, & illorum mater Azalaicia dederunt illi & Monasterio quidquid habebant in Iaxia in aqua & terra quantumcumque sit illud à campo Benedicti subtus rupem, & protenditur usque ad viam quæ vadit juxta manicam, & quidquid est usque ad viam quæ venit à Tavellis, & vadit usque ad idem stagnum. In stagno quidem donant, dum aqua fuerit, sextam quam ibidem partem habebant. Si verò ad terram redactum fuerit, medietatem donant quam habere debent.

Dederunt insuper Deo & Monasterio S. Andreæ & Monachis ibidem Deo famulantibus præsentibus & futuris omne dominium quod habebant in Petro Milone & ejus fratre, pro terris quas acquisiverunt de illis de Morers. Habebant enim in ipsis 11. solid. in omnibus annis dum ibidem aliqui fructus fuerint. Si verò nullam ibidem alicujus bladi culturam facerent, quamvis in eisdem terris nihil laborarent, semper in tertio eosdem 11. solidos idem Petrus Milor & frater ejus reddere debent. Terræ verò illorum has habent confrontationes &c.

Adhuc etiam dederunt terram illam quæ est ad Rocam caducam, quam faciunt Pontius Balzans, & Pontius Alonis, & terminatur &c. Hanc præfatarum rerum donationem inconvulsam fecerunt, & perpetuò non retractaturi Deo & Monasterio tradiderunt, & firmantias dederunt BERTRANDUM Bollaroth, & PONTIUM Bertrandi, & PETRUM Bertrandi fratrem ejus, ut Monasterio in pace tenere faciant. Quòd si facere

Digitized by Google

non poſſent, ad mandamentum Domni Abbatis & Monachorum ſe placitarent.

Actum eſt hoc anno Incarnationis Domini MCLXIV. in novo prolocutorio, in præſentia Domni Abbatis S. Andreæ, GUILLELMI Prioris, ROTLAMDI, TRIMUNDI Decani, LAMBERTI, UGONIS, PETRI Bremundi, PETRI de furnis, GUIRALDI de Rocamaura, BERTRANDI de Cabannis, PETRI Armandi, RAINOARDI, PETRI Lombardi, GUILLELMI de Guilleſtra, PETRI Guillelmi &c.

Iſti viderunt traditionem & oſtenſionem LAUTALDUS, PONTIUS de ſancto Juliano, PETRUS Bremundus de Podio, Guillelmus de Obra, GUILLELMUS de Cortezon &c.

Interfuit Domnus Pontius Abbas, & UGO de Laudunо & GUILLELMUS de Rocamaura & PETRUS frater ejus.

LUDOVICI VII. *Francorum Regis Præceptum.*

Anno Chriſti 1171. *Ex Chartulario Aurel an. a Domino d'Herouval.* Approbat donationem Aurelian. Eccleſiæ factam à Manaſſe Epiſcopo.

XXIII. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. LUDOVICUS Dei gratiâ Francorũ Rex, Omnibus in perpetuum. Regiæ ſublimitatis noſtræ depoſcit officium, ut nos qui in ſolio regni Francorum munere divino reſidemus, amore Dei de Eccleſiis ſub noſtra poteſtate conſtitutis ſolliciti ſimus, & ſi qua perſonis divino mancipatis ſervitio beneficia conferantur, maximè illis quas caritatis ac familiaritatis brachiis artiùs amplexamur, benignum præbeamus aſſenſum, & ne proceſſu temporum perturbari, aut in irritum duci valeant pietatis intuitu caveamus. Notum itaque facimus univerſis tam futuris quàm præſentibus, quòd fidelis ac naturalis noſter vir venerabilis MANASSES Eccleſiæ Aurelian. Epiſc. Canonicis ſuis videlicet Capitulo ſanctę Crucis, annuum reditum quindecim librarum in oblationibus magni altaris & calicis in elëemoſynam perpetuam donavit, certos etiam terminos quibus ſingulis annis reciperentur aſſignans, ſtatuit & decrevit, ut de illis quindecim libris ſemper in die anniverſarii noſtri ſexaginta ſolidi, & in die anniverſarii uxoris noſtrę CONSTANTIÆ Reginę, quæ in eadem Eccleſia cõſecrationis ſuę benedictionem accepit, quadraginta

Digitized by Google

solidi Canonicis illis qui servitio intererunt persolventur. Primus terminus decem librarum est, ab isto die quando incipit Passio Domini, donec integrè reddantur. Secundus terminus centum solidorum est, à crastina die Exaltationis sanctæ Crucis, donec integrè reddantur.

Nos igitur à fideli nostro Episcopo requisiti & rogati cùm apud Caritatem essemus, præsentibus fidelibus nostris Comite Blesensi THEOBALDO, & PETRO fratre nostro, & ceteris, petitioni ejus quæ nobis rationabilis videbatur condescendimus, & rem totam sicut ab ipso facta est amore Dei, & intuitu devotionis quam erga nos ipsum Capitulum habere dinoscitur, concedimus, & præsentis scripti patrocinio confirmamus. Quod ut ratum deinceps permaneat & inconvulsum scripto commendari, & sigilli nostri auctoritate communiri præcepimus. Actum publicè apud Caritatem anno Verbi incarnati millesimo septuagesimo primo. Astantibus in palatio nostro quorum subscripta sunt nomina & signa. S. Comitis T. Dapiferi, S. GUIDONIS Buticularii, S. MATTHÆI Camerarii, S. Radulfi Constabularii. Data per manum HUGONIS Cancellarii.

PHILLIPPI *Belvacensis Episcopi.*

Anno Christi 1180. *Ex Mss. D. d'Herouval.* Ecclesiam Ursivilarensem dat Lehunensibus Monachis, qui in die obitus Episcopi Missas, & anniversarium celebrare pollicentur.

XXIV. EGO PHILIPPUS Dei gratiâ Belvacensis humilis Episcopus, Omnibus in Christo fidelibus in Domino salutem. Quoniam ad officium nostrum spectat utilitatibus Ecclesiarum pastorali sollicitudine prudenter invigilare, & eas patrocinii suffragio munire devotiùs & confovere, ad notitiam tam præsentium quàm futurorum pervenire volumus, quòd sicut prædecessores nostri piæ memoriæ PETRUS & ODO Belvacenses Episcopi Ecclesiæ Lehunensi in Ecclesia Ursivillari, quam esse constat in nostra Diœcesi, duas partes totius decimæ & oblationum in tribus festivitatibus, videlicet in Natali, & in Purificatione Beatæ MARIÆ & in Pascha, personatum quoque & donationem ejusdem Ecclesiæ annuente HENRICO Archidiacono, in cujus Archidia-

Digitized by Google

conatu erat, ſalvo jure Belvacenſis Eccleſiæ pia devotione conceſſerunt, Nos quoque in beneficiis ejuſdem Eccleſiæ partem habere volentes, donum iſtud integrè & abſque ulla diminutione præfatæ Lehunenſi Eccleſiæ concedimus, & ſigilli noſtri impreſſione, atque præſentium adſtipulatione confirmamus, annuente etiam ROBERTO Archidiacono, in cujus Archidiaconatu tunc temporis erat præfata Eccleſia.

Quoniam igitur Monachis Lehuni* liberum præbuîmus aſſenſum in ſuis petitionibus, ipſi pro tanto beneficio minimè ingrati ſpiritualem in domino mercedem nobis retribuentes, audito obitu noſtro tricenarium in generali Conventu nobis conceſſerunt, & anniverſarium noſtrum ſolemniter celebrandum in perpetuum. Hujus rei ſunt teſtes WALBERTUS Abbas S. Luciani & ejuſdem Eccleſiæ Monachi, Magiſter WALERANNUS, WIBERTUS de Mallers, RAINERUS de Gornaco, Clerici, Magiſter DROGO de Moi, WALBERTUS Decanus Montiſtharenſis, Magiſter PETRUS de Chambli, JOHANNES Bugres, Monachi de Lehuno, HUGO ſecretarius, ERNAUDUS Theſaurarius, HERBERUS Preſbyter.

* *Libuni en Santerre.*

Actum apud S. Lucianum Belvacenſem, anno Incarnationis Domini MCLXXXV.

RAIMUNDI *Comitis Toloſani confirmatio donationis ab* ISNARDO *facta dum habitum Monachalem ſuſciperet.*

Anno Chriſti 1180.

XXV. DILECTIS in Chriſto fidelibus tam præſentibus quàm futuris, ad quos litteræ iſtæ pervenerint. R. Dei gratiâ Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, Marchio Provinciæ, in Chriſto gaudere & proſperari. Quoniam ex conceſſa nobis à Deo poteſtate ſuæ ſanctæ Eccleſiæ, ubi juriſdictionem terrenarum rerum habere videmur, advocati, tutores ac defenſores ad utilitatem noſtrarum animarum ubique eſſe debemus, ea quæ Proceres noſtri religioſis & Catholicis viris pro remedio ſuo-

Digitized by Google

rum peccatorum largiuntur confirmare, & maximè illorum qui se & sua Deo dedicantes Monasteria ingrediuntur, votis favere dignum duximus, & vobis notum fieri volumus, quod ISNARDUS de Gargaïa Monasterium S. Andreæ ingrediens, & ibi habitum religionis suscipiens, ac exitum hujus labilis vitæ in bono finire desiderans, in præsentia bonorum hominum, quorum nomina subterleguntur, omne jus quod habebat vel habere debebat in castro Podii-alti, scilicet quatuor menses, per Februarium & Martium & Aprilem & Maïum, tam in ipso castro quàm in ejus territorio, sive in terris cultis & incultis, pratis, pascuis, vineis, paludibus, piscationibus, aquis, aquarúmque decursibus, nemoribus & venationibus, in manu nostra refutavit: & ejus rogatu nos GUILLELMO venerabili Abbati S. Andreæ & Fratribus ibi Deo servientibus, suísque in perpetuum successoribus donavimus, laudavimus, & justitiâ mediante defendere promisimus.

Et etiam feudales ei concessimus habendos, quorum Amilius custodiam unius mensis ab ipsis de Gargaïa cognovit se habere, cui præcepimus ut amodo ab Ecclesia S. Andreæ se habere recognoscat, & ei debitam fidelitatem faciat, salvâ tamen in omnibus justitiâ & jurisdictione nostrâ.

Testes sunt BERNARDUS Abbas sanctæ Crucis.
JORDANUS Prior TORTONII.
Magister GUILLELMUS Sacrista S. Andreæ.
ISNARDUS Draconetus Vicarius domini Comitis.
RAIMUNDUS de Boqueto.
PETRUS de Albarone.
LAIDETUS de Medernis.
BERTRANDUS de Monteliis.
GUILLELMUS LAIDERTUS.
PONTIUS Lautaldus.
RADULFUS Causidicus & Cancellarius domini Comitis.
ROSTAGNUS Malussanguis.
GANDALMANNUS.

Factum

Digitized by Google

Factum est hoc anno Incarnationis Domini MCLXXX. mense Augusti, regnante PHILIPPO Rege Francorum.

ARCHEMBALDI *de Borbonio pactum initum cum* PETRO *de Blot coram Rege Anglorum* HENRICO.

Anno Christi circit. 1187. *Ex membranis Domini d'Heronval.*

XXVI. PRÆSENTIBUS & futuris notum fiat, quòd ARCHEMBALDUS de Borbonio & PETRUS de Blot, causam habuerunt ante dominum suum HENRICUM Regem Anglorum. Domnus etenim Ar. quærebat ab eo forifactum de castello Montis-acuti & Castellaniæ quod domnus Ar. habebat à Rege Anglorum, quod cum eo quamvis esset in bona pace cepit & destruxit exceptâ turre. Petrus verò coram Rege factum à se ei denegavit: domnus verò Ar. de perjurio & de proditione Petrum appellavit. Cùm enim domni Archembaldi Petrus homo ligius salva ligiantia Regis Anglorum devenisset, & similiter filii domni Ar. in eo amore & in ea pace castellum quod à Rege habebat combussit & destruxit. Domnus autem Ar. tradidit ei militem suum Jordanum Corallum qui eum de hoc scelere convinceret & comprobaret de perjurio & de proditione. Petrus autem vadimonium suum de se defendendo reddidit in manu Richardi de Hummet. Rex verò diem belli assignavit. Petrus verò dixit domno Archembaldo quòd pater suus & pater illius fratres germani fuerant. Domnus Archembaldus dementivit eum, dicens quòd pater suus & pater illius nihil sibi pertinuerunt. Petrus dixit, quòd cùm pater suus moreretur, se in manu & in tutela domni Ar. dimisit, & quòd domnus Archembaldus eum de castello suo devestiverat in scelere & in malitia. Domnus Ar. dementivit eum inde, & militem suum tradidit qui eum de sua appellatione defenderet. Sed domnus Ar. suam appellationem priorem esse volebat, si curia judicaret. Si verò judicaret curia, quòd Archembaldus prior se defenderet, ipse concedebat. Judicavit autem curia quòd

Digitized by Google

sua appellatio prior esset. Homines siquidem Petri locuti sunt cum hominibus domini Ar. de pace facienda. Domnus Ar. dixit nullum verbum inde tenere nisi ex præcepto domini Regis. Placuit autem domino Regi ut pax inde fieret. Fuit autem pax coram Rege hoc modo. De appellatione quam fecerat Petrus versus domnum Ar. & de defensione quam versus Jordanum militem suum fecerat, se dementivit ipse. Iterum ipse Petrus omne jus quod in castello de Monte-acuto habebat, Ar. & filio suo & heredibus suis liberè & sine querela concessit. Domnus Ar. dedit Petro medietatem castellaniæ ejusdem castelli. Petrus fuit inde homo ligius domni Ar. salva fidelitate Regis Anglorum, & erit fi'ii domni Ar. post mortem suam. Illam medietatem quam dedit sibi domnus Archembaldus, tradidit in vadimoniũ Petrus domno Archembaldo usque ad septem annos pro septem millibus solidorum: si infra septem annos voluerit redimere, bene poterit facere. Si verò non, erit post septem annos terra Petri libera. Rex Angliæ fuit responsor domino Archembaldo, quod hoc pactum sibi faceret tenere, & RICHARDUS filius ejus Dux Aquitaniæ, & Regina.

Facta sunt hæc videntibus & audientibus ex parte domini Regis, Rotomagensi Archiepiscopo, Lexoviensi Episcopo, Præposito Luscar, BARTHOLOMÆO Morall. Ex parte Archembaldi FRANCO* de Rupe Dagonis, &

**Ideſt*, Francone.

WILLEMO de Bosco,
JORDANO Corallo,
AMONE de Montignac,
THEOBAUDO Dartborsa,
RAIMUNDO Crasso,
STEPHANO de Bugenville,
BERNARDO filio suo,
HUGONE Duols,
WILLELMO Comite de Montferrant,
PETRO de Mercurol,
Hugo de Montmoris,
CHATART de Bossiol,
CHATART de Chaboneres,

Digitized by Google

WILLELMO Herveo,
STEPHANO de Perol Dalfino.
Ex parte PETRI B. Abbas Claromontis,
WIDO de Ponte Gibaldi,
GIRBERIO* Tanevele.
STEPHANUS de Grantual,
JORDANUS Taisson.

* *Id est*, Gisberto, *vel* Gerberto.

PHILIPPUS II. *Rex Francorum quæ usurpârat Regalia Eduensis Ecclesia restituit.*

Anno Christi 1189. *Ex Mss. cod. Domini d'Herouval.*

XXVII. PHILIPPUS &c. noverint universi præsentes pariter & futuri, quoniam legitimorum hominum testimonio Lugdunensis Ecclesiæ jus esse didicimus, ut quotiens Eduensis sedes vacaverit, totiens Lugdunensis Archiepiscopus, & Regalia nostra Eduensia, & alia quæ ad Episcopatum Eduensem pertinent in manu sua habeat: & versa vice quotiens Lugdunensem sedem vacare contigerit, totiens Episcopus Eduensis in manu sua habeat & custodiat universa ad Archiepiscopatum Lugdunensem pertinentia. Quocirca quoniam jura harum Ecclesiarum volumus & debemus immutilata conservare, decrevimus ac præcepimus quatinus utraque Ecclesia jus suum integrè habeat sicut prædictum est, & sicut ex legitimorum hominum testimonio didicimus; ita videlicet quòd Ecclesiarum non cedat ad præjudicium id quod Regalia Episcopatus Eduensis ignorantiâ occupavimus post decessum STEPHANI Eduensis Episcopi. Unde fideli nostro JOHANNI tunc Archiepiscopo Lugdunensi regalia ipsa restituimus, & per ipsum successoribus suis, ipso Episcopatu vacante, in perpetuum habenda cessimus.

Quod ut perpetuum robur obtineat, præsentem paginam sigilli nostri auctoritate & Regii nominis charactere inferiùs annotato præcepimus confirmari. Actum Parisius anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo nono, regni nostri anno decimo, adstan-

Digitized by Google

tibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt & signa.

Signum Comitis THEOBALDI Dapiferi nostri,
Signum GUIDONIS Buticularii,
Signum MATTHÆI Camerarii.
Signum RADULFI Constabularii. Data vacante Cancellariâ.

Anno Christi 1189.

RAIMUNDUS *Tolosan. Comes approbat ea, quæ* BERTRANDUS *professionem Monast. amplectens tradidit Abbatiæ S. Andreæ Avenionensis.*

XXVIII. NOTUM sit omnibus hominibus tam præsentibus quàm futuris, quòd Nos R. Dei gratiâ Comes Tolosanensis, Dux Narbonensis, Marchio Provinciæ donamus, concedimus, & cum hac charta in perpetuum per nos & successores nostros tradimus tibi GUILLELMO Monasterii S. Andreæ Abbati, & successoribus tuis BERTRANDUM Jordanum filium BERTRANDI Jordani pro Monacho, & omnia jura & dominationes quas Bertrandus Jordani habebat vel habere debebat in castro de Podio-alto, & in toto tenemento ipsius castri in aqua sive in terra, & dominationes omnibus Jordanensibus* & omni tenemẽto eorum, salvo tamen albergo & cavalgada, & omne hominium quòd Jordanenses nobis facere debent, de cetero tibi faciant & successoribus tuis. Et ego præfatus GUILLELMUS Abbas ob hanc dominationem mihi à vobis domino meo R. Comite datam & concessàm, qningentos solidos Raimundensium dono.

* *deest hîc nonnihil.*

Acta & completa sunt hæc anno ab Incarnatione Domini MCLXXXIX. mense Junii, feria quintâ, regnante PHILIPPO Rege Francorum, in villa S. Ægidii. Hujus recognitionis sunt testes ELISIARDUS de Avinione, & AMELIUS de Podio-alto, BERTRANDUS de Montilio, & RAIMUNDUS de Monte-bruno, & PETRUS Fulcodii & BER-

Digitized by Google

TRANDUS Riperti, PETRUS Bermundus Monachus, & RAIMUNDUS de sancto Victorio, & BERNARDUS de Liris, & PETRUS Raimundi domini Tolosani Notarius, & Elias qui chartam scripsit, & BERNARDUS Guillelmi & GAUFREDUS de Cerviano, & RAIMUNDUS de Usceścia *. * Uccia.

Dotalitium ob matrimonium inter GUILLELMUM *Montispessulani &* TITBURGAM *filiam* RAIMUNDI *Atonis.*

Anno Christi 1191. *Ex membranis Domini d'Heronval.*

XXIX. ANNO Dominicæ Incarnationis MCLXXXXI. mense Junio, ego ADEMARUS de Muro veteri per stipulationem cum hac charta promitto tibi GUILLELMO Domino Montispessulani, filio quondam Mathildis Ducissæ, quòd ego collocabo in matrimonium GUILLELMO filio tuo domino Montispessulani neptem meam TITBURGAM filiam quondam majorem RAIMUNDI Atonis olim filii mei, & cum ea do & trado tibi Guillelmo domino Montispessulani, nomine filii tui, in dotem omnia omninò quæcumque RAIMBALDUS de Aurenga, vel pater ejus GUILLELMUS de Omelacio per se vel per alios habuerunt & tenuerunt, vel habere debuerunt vel potuerunt in toto Episcopatu Biterrensi, & in toto Episcopatu Lodovensi, & in toto Episcopatu Agathensi, & in toto Episcopatu Magalonensi, scilicet castrum de Omelacio cum omni dominio ejus & dominatione, & districtione, & hominiis, & satisdationibus & firmantiis, & justitiis, feodis, feualibus* hominibus, feminis, quartis, usaticis, albergis, aquis, pascuis, ripariis, nemoribus, garricis* cascivis, dervesis, mansis & mausuris*, appennariis, toltis, quæstis, castris, villis, campis, vineis, molendinis, cultis & incultis, hermis & condictris, fortiis & munitionibus, domibus estaribus; & cum omnibus aliis quæcumque ad dictum castrum de Omelacio pertinent vel pertinere debent, seu unquam pertinuerunt, vel pertinere potuerunt ad ipsum RAIMBALDUM, vel ad patrem ejus, per se, vel per alios.

Seu * feodalibus, feudum & feuum *idem. Vulgo* * Garrigues. *f.* * masuris, *gal.* masures.

Digitized by Google

Insuper omnia quæcumque RAIMBALDUS de Aurenga, vel pater ejus habuerunt & tenuerunt per se vel per alios in toto castro de Popiano, & in ejus terminio; & in toto castro de Mazernis, & in ejus terminio; & in toto castro de sancto Pontio, & in ejus terminio; & in toto castro de Pogero, & in ejus terminio; & in toto castro de monte Arnaldo, & in ejus terminio; & in toto castro de Piniano, & in ejus terminio; & in toto castro de Cornone sicco, & in ejus terminio; & in toto castro de Montebaseno, & in ejus terminio; & in toto castro de Frontiniano, & in ejus terminio; & in tota Forcia-vallis, & in tota ipsa valle, & in eorum terminiis; & in tota villa S. Paragorii, & in ejus terminio; & in tota villa de Vindemiano, & in ejus terminio; & in tota villa sancti Amantii, & in ejus terminio; & in tota villa de Muro-veteri, & in ejus terminio; & in tota villa sancti Georgii, & in ejus terminio.

Hæc omnia suprascripta do & trado tibi Guillelmo domino Montispessulani, nomine filii tui in dotem, & generaliter universa superiùs nominatim expressa & dicta, & omnia alia quæcumque RAIMBALDUS de Aurenga, vel pater ejus Guillelmus de Omelacio per se vel per alios habuerunt vel tenuerunt, vel visi sunt habuisse & tenuisse in suprascriptis Episcopatibus.

Hæc omnia superiùs nominatim expressa, vel generaliter dicta, eâ lege & pacto in dotem do & trado tibi GUILLELMO domino Montispessulani nomine filii tui cum dicta TITBURGA nepte mea, quòd manente matrimonio dictus Guillelmus filius tuus dominus Montispessulani habeat & teneat, & fructus exinde exeuntes suos proprios faciat, & percipiat; & mortuâ prædictâ TITBURGA filius tuus habeat & teneat in tota vita sua, & post obitum ejus ad communes liberos revertatur: sin autem, ad eum cui ipsa dimiserit revertatur. Et si fortè contigerit TITBURGAM neptem meam ante contractum matrimonium præmori, eâdem lege & pacto, & dote & modo filius tuus dominus GUILLELMUS dominus Montispessulani habebit & accipiet in uxorem neptem meam mino-

Digitized by Google

rem SIBILLAM, filiam quondam ipsius Raimundi Atonis filii mei. Et si fortè filius tuus Guillelmus dominus Montispessulani ante contractum matrimonium moreretur, eadem lege & pacto, & dote, & modo filius tuus secundus, qui dominus fuerit Montispessulani, habebit & ducet in uxorem neptem meam majorem TITBURGAM præscriptam, vel aliam sororem suam SIBILLAM, si Titburga mortua fuerit.

Sed si culpâ tui Guillelmi domini Montispessulani, vel filii tui, contigerit, quòd supradictum matrimonium non contrahatur, vel contractum dissolvatur, debes perdere decem millia solidorum Melgorensium de illa pecunia pro qua haberes præfatas res obligatas. Similiter si culpâ mei, vel neptis meæ primę vel secundæ prędictum matrimonium non contraheretur, vel contractum dissolveretur, supra totum honorem prædictum & super omnia supradicta laudo & concedo tibi GUILLELMO domino Montispessulani & filio tuo alios x. millia sol. Melgorien.

Item per stipulationem firmiter expromitto tibi GUILLELMO domino Montispessulani, & filio tuo, quòd quando SIBILLA neptis mea minor fuerit nubilis ætatis, curabo & faciam quòd ipsa hæc omnia laudabit, & jurabit corporaliter tactis sacro-sanctis Evangeliis; & cum Charta remittet & sine retentione solvet ad vestram vestrorúmque notitiam, & inde obligo me vobis, & omnia bona & jura mea.

Sed est sciendum, quòd STEPHANUS de Cerviano debet tenere & fideliter custodire Sibillam neptem meam, donec fuerit facta viripotens, & laudet & juret præfato modo se omnia ista observaturam, & tempore matrimonii jure sponsaliciæ largitatis Titburga vel SIBILLA habeat Castrum-novum, & Balnea Montispessulani: & si SIBILLA memorato modo nollet laudare, jurare, solvere, & remittere, aut si fortè rapta, vel furata, vel à se ipso subtracta fuerit, vel si quocumque modo alicui se copulaverit in matrimonium sine consilio & assensu nepotum meorum STEPHANI de Cerviano, & BERNARDI de Menerba ante laudationem, sacramentum, solutio-

Digitized by Google

nem, & remissionem, eam penitus à bonis meis omnibus exheredo.

Item ego ipse ADEMARUS de Muro-Veteri eâdem lege & pacto, & modo qui superiùs continetur, de aliis rebus suprascriptis, do & trado tibi Guillelmo domino Montispessulani, nomine filii tui, in dotem totum castrum de Poallano, cum omnibus suis pertinentiis, & cum omni dominio & dominatione sua, & cum omnibus quæ ad jus vel dominationem castri pertinent, vel pertinere debent.

Hæc omnia suprascripta sicut pleniùs continentur bona fide & sine omni dolo, Ego ADEMARUS de Muro-Veteri tenebo & observabo ad vestram vestrorúmque notitiam & commonitionem, nec aliquid istorum mutabo vel infringam per me, vel per alium. Sic Deus me adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia.

Et ego GUILLELMUS dominus Montispessullani hæc omnia suprascripta laudo, & in perpetuum confirmo, & ita totum firmiter tenebo & observabo, & à filio meo Domino Montispessulani teneri & observari faciam sine omni dolo. Sic Deus me adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia. Et hanc dotem nomine filii mei recipio, & sponsaliciam largitatem constituo dictæ TITBURGÆ vel SIBILLÆ, sicut superiùs plenariè continetur.

Pro his omnibus observandis ex parte Ademari de Muro veteri sunt fidejussores & debitores, & hostatici per sacramentum, STEPHANUS de Cerviano, BERNARDUS de Menerba, GUILLERMUS Ermengavus de Fozillon, P. RAIMUNDUS de Salviano, ADEMARUS de Monte-maurel.

Et ex Parte Domini GUILLELMI Montispessulani similiter per sacramentum, GUILLELMUS de Mesoa, GUILLELMUS de Abbatera, ROSTAGNUS de Montarbezon, R. de Centrairanicis, DAUDE Laget, ERMENGAVUS de Piniano, R. de Piniano & MICHAEL de Latir.

Acta sunt hæc in cimiterio Canonicorum de Magalona. Horum omnium testes sunt, R. de Montepessulano,

G. Segnorel,

B. Salera Monachi Grandis-sylvæ,

GUIDO

Digitized by Google

Guido de Ventatorio Prior sancti Firmii,
B. de Buada,
Olricus,
Gitbertus,
Michael,
G. Eldini,
Julianus,
B. de Frontiniano,
Ferrerius,
P. Calvet Canonici,
R. Lamberti,
Stephanus de Concas,
Stephanus de Porta,
G. Petri,
Magister Guido P. Luciani.
B. Glera,
R. de Moreze,
Pontius de Montarbedon,
G. frater ejus,
G. Malcauzet,
P. de Vallato,
R. Eguezerius,
Pontius de Barut,
Durantius Noüelas,
P. Andreæ,
Joseph Bonafos,
R. de Corbessas,
Stephanus Guarinus,
Ricardus de Rodes,
Daude de Columbio,
G. Melgor,
B. Bergonon,
Joseph de Soregio,
Stephanus Bermundus,
Pontius Maneip.
G. Pellicius,
G. de Hospitali,
P. Ægidius,

Digitized by Google

G. Noüelas,
Bertrandus Arberti,
P. Pontius;
Et Guillelmus Raimundi Notarius qui hæc scripsit.

Anno Christi 1195. *Ex membranis Domini d'Heronval.*

Sententia divortii facti inter Galcherum *de Salinis & M. de Borbonio Consanguineos.*

XXX. Galterus Eduensis, Garnerius Trecensis Dei gratiâ Episcopi, &. . . . . Abbas Monasterii in Argona, Omnibus ad quos litteræ istæ pervenerint in Domino salutem. Noverit universitas vestra quòd Dominus Papa nobis scripsit in hunc modum:

Celestinus Episcopus servus servorum Dei Venerabilibus Fratribus G. Eduensi, G. Trecensi Episcopis & dilecto filio . . . . . , Abbati Monasterii in Argona salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm ex assumpto regiminis universalis officio, de salute gregis sollicitudini nostræ commissi curam omnimodam gerere teneamur, circa matrimonia tantò magis cautos & sollicitos nos esse convenit, quantò ex ipsis si indiscretè agantur majora pericula proveniunt animabus, si vel illi videlicet quos Deus conjunxit, per hominem minùs rationabiliter separentur, vel invicem cohabitare sinantur, quos contra Deum esse constat ab homine copulatos. Significantibus autem consanguineis dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris M. dominæ de Borbonio ad nostram noveritis audientiam pervenisse, quòd nobilis vir Galcherus de Salinis, dictus vir ejus, ipsam in ea linea consanguinitatis attingit infra quam nec matrimonium contrahi potest, nec contractum subsistere secundùm sacrorum Canonum instituta. Quoniã igitur nobis non constitit de substantia veritatis, discretioni vestrę per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatinus evocatis ad vestram presentiã qui fuerint evocandi, & inquisita super præmissis

Digitized by Google

diligentiùs veritate, quod canonicum fuerit, non obstante super principali seu etiam incidenti quæstione contradictionis vel appellationis obstaculo, statuatis, & faciatis quidquid exinde duxeritis statuendum per censuram Ecclesiasticam firmiter observari, provisuri attentiùs ut sic eidem mulieri favorabiliter assistatis, ne in jure suo aliquod sustineat detrimentum. Verùm quia ipsa, sicut accepimus, quondam fuit ab eodem G. artæ custodiæ deputata, & ob hoc de periculo proprii corporis sibi timens, ad suos de novo consanguineos liberata confugit, volumus & præsentium vobis auctoritate mandamus, firmitérque præcipimus, ut ne rursus lite pendente periculum idem incurrat, eam omni cõtradictione & appellatione remota, tutelæ venerabilis fratris nostri V.* Remensis Archiepiscopi sanctæ Sabinæ Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legati, sine dilatione aut difficultate aliqua auctoritate Apostolicâ committatis, nec prædicto viro aliquatenus restitui permittatis, donec causa ipsa fuerit fine canonico terminata, illos per censuram Ecclesiasticam punientes, qui contrà duxerint veniendum. Si qua verò partium legitimè citata, præsentiam vestram adire, vel judicio vestro parere noluerit, vos in eadem causa nihilominus appellatione cessante prout ratio dictaverit procedatis.

* Vuillelmi.

Ceterùm quia sicut nobis est intimatum, venerabilis frater noster Henricus Bituricensis Archiepiscopus in ipsam excommunicationis sententiam promulgavit, volumus ut ab ea juxta formam Ecclesiæ sufficienti cautione recepta, quod coram vobis debeat juri parere, ipsam auctoritate nostrâ sublato appellationis remedio absolvatis.

Quòd si post iter ab hujus negotii Procuratoribus ad nos arreptum, quicquam contra prædictam mulierem attemptatum temerè fuerit aut mutatum ante litis ingressum, in statum pristinum appellatione postposita reducatis, eos qui nominati fuerint ut testimonium perhibeant veritati, si se gratiâ, odio vel timore subtraxerint, ad id per districtionem Ecclesiasticam, appellatione remotâ cogentes. Nullis litteris obstantibus si quæ apparuerint,

Digitized by Google

harum tenore non habito à Sede Apoſtolica impetratæ. Quòd ſi omnes his exequendis nequiveritis intereſſe, duo veſtrûm ea nihilominus exequantur. Datum Laterani decimo octavo Kalendas Maii, Pontificatûs noſtri anno quinto.

Cùm igitur hujus auctoritate reſcripti G. de Salinis ex certa cauſâ peremptoriè citaſſemus, & data ei reſcripti copia, ac ſpatio competenti ad deliberandum indulto vocaſſemus ipſum, ad locum ſatis idoneum & ſecurum, Tornodorum videlicet in terra Comitis Nivernenſis, qui eum tanquam fidelem ſuum & hominem diligebat præfixo ſibi die, Procurator ejuſdem Comitis cum litteris delato ad nos acceſſit, qui cùm tanquam de merito cauſæ diffidens, dilatoriis exceptionibus & litigioſis ſubterfugiis diutiùs inſtitiſſet, & jam fuiſſet ſuper principali lis conteſtata, appellatione factâ contumaciter receſſit à nobis. Nos verò prudentûm & in utroque jure peritorum, qui præſentes aderant, communicato conſilio, & habita deliberatione ſuper hoc pleniori, conſideratis etiam damnis atque periculis quæ ex hujus protractione negotii poterant multipliciter provenire, cùm ipſe G. ſe ab uxore ſeparandum præſentiens, terram ipſius circumquaque vaſtaret, juxta tenorem litterarum domini Papæ, debita ſedulitate proceſſimus, cúmque procedente accuſatore in medium, & receptis ac diligenter examinatis teſtibus idoneis & omni exceptione majoribus, famâ etiam conſentiente nobis conſtaret ipſos eſſe conſanguineos in quarto & quinto gradu, ſententiam divortii inter ipſos juxta formam canonicam ſolemniter promulgavimus. Ipſa verò domina ad mandatum noſtrum prædicti Galcheri conſortium abjuravit, unde in hujus rei teſtimonium præſentem paginam ſcribi, & ſigillorum noſtrorum impreſſione fecimus communiri.

Digitized by Google

JOHANNES *Portugaliæ Rex confert* MENENDO *Abbati Monasterium Ceicense.*

Anno Christi 1195.

XXXI. IN nomine Domini nostri IESU-CHRISTI, Amen. Quoniam antiqua temporis institutione juris debito rationabilis consuetudo penè omnis emerserit, ut factorum series, successuum numerus fortunarúmque eventus scripto commendetur, ut commendata ab hominum memoria non decidant, & omnibus præterita præsentialiter consistant. Idcirco ego JOHANNES Dei gratiâ Portugalensis Rex, unà cum uxore mea Regina Domina DULCIA, & filiis & filiabus meis, facio chartam donationis & perpetuæ firmitudinis vobis Dōno MENENDO Alcobaciæ Abbati, & Fratribus vestris de Monasterio de Ceica, quod damus vobis & cunctis successoribus vestris jure hereditario in perpetuum possidendum cum omnibus suis pertinentiis, ut sit filius Monasterii Alcobaciæ, & concedimus vobis plenariam potestatem instituendi ibi Abbatem, Priorem deponendi juxta discretionem & voluntatem Abbatis & conventus Alcobaciæ in cunctis sæculorum temporibus. Vobis Abbati Domno Menendo & Conventui Alcobaciæ, & cunctis successoribus vestris sit potestas integra ordinandi cuncta in Monasterio de Ceica in perpetuum, & si aliquis vobis resistere præsumpserit, juxta beneplacitum vestrum tractetur. Quicumque ergo contra hoc factum nostrum venire præsumpserit maledictus à Deo, Amen. Et qui vobis illud integrum observaverit, benedictionibus repleatur.

Facta charta donationis & perpetuæ firmitudinis apud Leirenam Kal. Martii, Era MCCXXXIII. Nos supra nominati Reges qui hanc chartam fieri mandavimus, coram subscriptis eam raboravimus, & hæc signa in ea fecimus.

Qui adfuerunt: MARTINUS Bracharensis Archiepiscopus consensi.

Digitized by Google

JOHANNES Fernandi Dapifer Regis consensi.
MARTINUS Portugalens. Episcopus consensi.
JOHANNES Lamecensis Episcopus consensi.
NICOLAUS Visensis Episcopus consensi.
PETRUS Conimbricensis Episcopus consensi.
SUARIUS Ulisponensis Episcopus consensi.
PETRUS Salvatoris testis.
PETRUS Nuniz testis.
GUNSALVUS Mendi Major-domus Curiæ consensi.
PETRUS Alfonsi consensi.
al * Vasques MARTINUS Valasquis * signifer Regis consensi.
* Ermigues ALFONSUS Ermigii * consensi.
RODERICUS Valasquis consensi.
GUNSALVUS Gunsalvii consensi.
SUARIUS Suarii testis.
PETRUS Guomez testis.
PELAGIUS Veneguas testis.
JULIANUS Notarius Curiæ scripsit.

Anno Christi 1199
Ex membranis D. d'Herouval.

TITBURGA *renunciat pactionibus matrimonialibus à parentibus confectis, quibus eam uxorem dum adhuc infans esset sponderant filio* GUILLELMI *Montispessulani.*

XXXII. ANNO ab Incarnatione Domini MCXCIX. mense Augusto, ego TITBURGA filia quondam RAIMUNDI Atonis, scio & in veritate cum hac charta cognosco, quòd tu GUILLELMUS dominus Montispessulani cum multis Militibus, & probis hominibus, promisisti, & jurasti, & pœnam spopondisti quòd Guillelmum filium tuum primogenitum, vel alium filium tuum sequentis gradus, primo mortuo, cùm pubes factus foret, mihi nuptui copulares, scilicet eum qui dominus esset Montispessulani, & hoc nomine meo firmiter promisisti, & jurasti ADINA-
f. * Adermaro RO * de Muro-veteri avo meo. Quorum omnium noti-

Digitized by Google

tia ad me puberem factam plenariè pervenit.

Et quoniam parentela certa & indubitata est inter me Titburgam & te dominum G. Montispessulani, & filios tuos, quæ nullatenus inter nos matrimonium consistere patitur; participato propinquorum & amicorum meorum consilio, visum est magis interesse & utilius expedire matrimonium non contrahere, quàm contra fas contractum dissolvere. Quapropter quoniam sacramentum illicitum non potest nec debet esse vinculum iniquitatis, bona fide, & sine dolo, & absque ulla arte & malo ingenio, omnibus cessantibus quæ solent impedire liberationes spontaneæ voluntatis arbitrio, te dominum Guillelmum filium quondam Mathildis Ducissæ, & tuos, & res tuas & hominum tuorum, & omnes fidejussores & juratores inde obligatos. perpetuo jure & absque ulla retentione, libero & absolvo, ab omnibus pactionibus conventionibus & sacramentis, pœnis, promissionibus, factis occasione matrimonii inter me & filium tuum contrahendi, & hæc omnia supradicta & singula sub eisdem pactis, & tenoribus, sacramentis, & renunciationibus, iterum de novo cum sacramento corporaliter præstito, quod locis & temporibus volueritis, & me commonueritis per vos vel per interpositas personas, solvam, & iterum laudabo & confirmabo vobis, vel successoribus vestris, vel heredibus, gratis & sine omni pretio & exactione pecuniæ, & alterius rei. Hæc omnia & singula supradicta firmiter me observaturam, & contrà non venturam, Ego TITBURGA corporaliter tactis sacro-sanctis Evangeliis juro, sub eodem juramento expressim renuntians beneficio minoris ætatis & omnibus aliis auxiliis in jure vel extra jus mihi competentibus & competituris.

Horum omnium testes sunt Dominus GAUFRIDUS Biterrensis, & Dominus RAIMUNDUS Agathensis Episcopi,
GUIDO Magalonensis Præpositus,
Magister GUIDO,
P. Luciani.
CALVETUS Succentor Biterrensis,
A. de Pruneto Præcentor sancti Affrodisii,

Digitized by Google

B. de Muro-veteri Canonicus Agathensis,
G. de Altiniaco Canonicus Magalonensis,
PONTIUS d'Orlague, & PONTIUS, & FROTARUS filii ejus,
STEPHANUS de Cerinano,
G. de Altiniaco Miles,
G. de Mesoa,
ROSTAGNUS de Montberzon,
P. RAIMUNDI de Felgeriis,
PONTIUS de Pomairols,
B. de Hispania,
G. Petri,
STEPHANUS de Limotgis,
G. Gervasius,
P. Raimundi,
G. de Bellojoco,
G. Raimundus,
PONTIUS Duranti,
P. de Osca,
P. de Castelleto Armannus,
P. de Villa-nova juvenis,
A. Januensis,
P. Aderinari,
P. Duranti,
P. d'Obilons:

PEIRONETUS & GUILLELMUS Raimundi Notarius publicus Montispessulani qui hæc scripsit, & omnia vidit in riperia Eravi prope Agathem.

Anno Christi 1204. *Ex membranis D. d'Herouval*

Donationes ob nuptias factæ inter PETRUM *Aragoniæ Regem &* MARIAM *Montispessulani dominam.*

XXXIII. CUM masculi & feminæ conjunctio à jure naturali & ex Divino præcepto descendat; & ob hanc rem donationes à muliere vel ex parte mulieris intervenire soleant ad matrimonium observandum, & propter

Digitized by Google

propter onera matrimonii leviùs ſuſtinenda. Ideóque in Dei nomine ego MARIA filia quondam domini Montiſpeſſulani collocans me in matrimonium tibi domino PETRO Regi Aragoniæ, & Comiti Barchinonis, do tibi mecum in dotem totam villam Montiſpeſſulani cum omnibus ſuis pertinentiis, & cum tota dominatione ſua, & caſtrum de Latis, & caſtrum novum, & caſtrum de Monteferrario, & caſtrum de Caſtris, & caſtrum de Omelacio cum omni dominatione ſua, & caſtrum de Pinano, & caſtrum de Popiano, & caſtrum de Poallano, & villam ſancti Paragorii, & villam de Vindemiano, & caſtrum de Arluz, & villam de Treſzano, & villam ſancti Georgii, & villam de Miravalle, & caſtrum de Lupiano, cum omnibus eorum adjacentiis & pertinentiis, & omnes villas, & manſos, feoda, & feodatarios, & generaliter omnia alia jura, quæ pater meus tempore mortis ſuæ habebat vel poſſidebat, & generaliter omnia alia jura mea. Hæc omnia & ſingula tali pacto & conditione do tibi domino Regi marito meo, quòd ſi habuerimus infantes ſuperſtites de te generatos & de me natos, ad primogenitum maſculum, vel eo decedente ad ſubſequentem maſculum, ad unum tantùm & non ad plures; & maſculis deficientibus ad filiam primogenitam, vel eâ decedente ad ſubſequentem filiam, hæc dos revertatur, ſin autem ad propinquos meos.

Et ego PETRUS in Dei nomine Rex Aragoniæ & Comes Barchinonis recipiens te dictam MARIAM in legitimam uxorem, & me tibi tradens in virum legitimum, & cum dicta dote te recipiens, dono & concedo tibi in donationem propter nuptias & in ſponſalicio tuo totum Comitatum de Roſſilon cum omnibus villis, & caſtris, & dominationibus, & hominibus & feminis, & omnibus ſuis pertinentiis, & generaliter totum hoc quod habeo & habere debeo de fonte de Salſa & uſque ad Cluſam: tali pacto & tenore quòd ſi mihi ſupervixeris habeas hæc omnia & teneas in omni vita tua, & poſt mortem tuam eiſdem pactis ad liberos communes ſuperſtites, vel ipſis deficientibus ad propinquos meos liberè revertantur.

Digitized by Google

Et promitto tibi MARIÆ stipulanti, quòd nunquam te viventem dimittam, nec aliam quamlibet superinducam, neque bona & jura quæ tecum in dotem accipio, in solidum vel pro parte in damnum tuum fraudulenter diminuam, permutabo, vel quolibet alio genere alienationis in aliquam personam transferam, nec à te fieri patiar, sed ea omnia semper tibi fideliter servabo & retinebo, nec aliquod donum, vel pactum, vel relictum de omnibus supradictis, vel aliquo ipsorum recipiam, vel ab aliquo recipi patiar, quod si feci vel fecero, illud cassum & inutile sit & remaneat. Et hæc omnia & singula firmiter me observaturum; & quòd te MARIAM uxorem meam nullo modo decipiam juro super hæc sancta Dei quatuor Evangelia. Et si fortè contra dictum sacramentum ullo tempore venirem, vel in aliquo effringerem, aut etiam censurâ Ecclesiasticâ, vel alio modo dictum matrimonium dissolveretur, absolvo & libero in perpetuum ab omni vinculo fidelitatis, & sacramenti, & hominii omnes homines Montispessulani, & omnium castrorum & villarum superiùs nominatarum, & omnia superiùs à te in dotem data; ita quòd mihi deinde non tenerentur, sed tantùm tibi. Nihilominùs post dictam absolutionem & dimissionem factam prædicto sacramento à me superiùs tibi facto suas vires in perpetuum obtinente, ita quòd per te, vel per alium à dicto sacramento & pactis, & conventionibus nullatenus absolvi possim.

De his omnibus supradictis & singulis, quòd ita à domino Rege compleantur plenariè & observentur, & quòd ab ipso nullatenus violentur vel infringantur, obligaverunt se Comes SANTIUS in bona fide, ILDEFUNSUS Comes Provinciæ frater domini Regis, GUILLELMUS de Balcio, HUGO de Balcio frater ejus, ROCELINUS Vice-Comes & dominus Massiliæ, GUIDO de Cabilione, PETRUS Amici, PETRUS de Albanes; Omnes per sacramentum cum renunciatione omnis juris scripti & non scripti super sancta quatuor Dei Evangelia præstitum.

Acta sunt hæc omnia & laudata in domo Militiæ Templi juxta Montempessulanum in cimiterio, Anno ab

Digitized by Google

Incarnatione Domini millesimo ducentesimo quarto, mense Junii, septimo decimo Kalendas Julii. 1204.

Horum omnium testes sunt:

Dominus Guido Magalonensis Præpositus.
W. de Rabastenes.
Bertrandus Radulfi.
Petrus Luciani.
Stephanus, Joachim, Joseph de Latis Causidici.
Petrus de Bisanchis.
Petrus Lumbardi Diaconus.
Pontius de Vallauques.
Bertrandus de Vallauques ejus filius,
Petrus de Stagno, Milites.
Petrus de Conchis.
W. de Conchis ejus filius.
Berengarius de Conchis.
Raimundus Atbrandi.
Petrus Loberi.
Berengarius Amicus.
Luchas Pulverellus.
Johannes Lutianus.
Guillelmus frater ejus.
Stephanus de Litmogis.
Raimundus Elyas.
Petrus Tropassen*.
Joseph de Montebeliardo.
Pontius Vitalis.
Bertrandus Ægidius.
Firminus Burgensis.
Petrus Vitalis.
Bernardus de Azillano.
Guillelmus de Azillano.
Petrus de Azillano frater ejus.
Stephanus de Azillano.
Simon de Campo-novo.
Guillelmus Berengarius.
Petrus de Tripoli.
Bartholomæus Bigorra.
Guillelmus Borrell.
Petrus de S. Desiderio.
Petrus de Salviano.
Hugo de Monte-Rotundo.
Bernardus Racastol.
Pontius Aldeguerius.
Guillelmus filius ejus.
W. de Conchis.
Cerarius.
Austorgius de Orllaco.
Bernardus de Redorta.
Petrus Ademari.
Bernardus de Ortols.
Hugo Laurentii Notarius.
Guillelmus Raimundi Notarius.

al. * Tropaflen.

Jacobus Laurentii Notarius; & alii quamplurimi.

Bernardus de Porta publicus Curiæ Montispessulani Notarius qui hæc scripsit, & hæc omnia vidit.

Digitized by Google

Anno Christi 1205. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

MARIA *Regina dat Montempessulanum, &c.* PETRO *Regi Aragoniæ.*

XXXIV. IN Dei nomine. Notum sit cunctis quòd ego domina MARIA, filia quondam GUILLELMI domini Montispessulani, Dei gratiâ Regina Aragoniæ, Comitissa Barchinonis, & domina Montispessulani, non inducta vi, vel in aliquo circumventa, cum hac præsenti publica scriptura in perpetuum valitura per me & per omnes meos, bona fide dono inter vivos & irrevocabiliter trado tibi domino PETRO Dei gratiâ Regi Aragoniæ Comiti Barchinonis marito meo, castrum & villam Montispessulani, cum omnibus pertinentiis suis, & appenditiis, & tenementis, & cum hominibus & feminis præsentibus & futuris, & leuzdis*, seniorivis, dominiis, dominationibus, & omnibus aliis quibuscumque juribus & causis ad ipsum pertinentibus aliquo jure vel aliqua ratione, vel consuetudine, sicut ea meliùs & pleniùs habuit & tenuit prædictus pater meus.

f. * leudis, *vel*, laudemiis, *Gal.* lots & ventes.

Eodem modo dono tibi castrum de Latis, & villam cum suis juribus & pertinentiis; & castrum de Castronovo & villam cum suis juribus & pertinentiis; & castrum de Monte-ferrario, & villam cum suis juribus & pertinentiis; & quicquid habeo vel habere debeo in castro de Pinano, & in castro de Castris, & eorum pertinentiis; & in Lupiano, & in Frontiniano, & eorum pertinentiis. Eodem modo dono tibi castrum de Homeliacio cum omnibus fortiis*, & municipiis ad ipsum castrum vel ad jus ejus & dominium pertinentibus.

f. * arcibus, *Gal.* les forts.

Omnia prædicta, & quicquid in cunctis aliis locis habeo vel habere debeo, quocumque modo vel quacumque ratione, dono tibi PETRO Regi Aragoniæ marito meo, sive sint feuda, sive feualia, sive alodia, sive alius teneat à me vel tenere debeat, sive ego teneam ab alio, vel tenere debeam. Dono etiam tibi plenariam & liberam potestatem agendi, experiendi, & defendendi contra omnes personas pro prædictis rebus & eorum juribus.

Digitized by Google

Omnia supradicta & quæcumque ad ea pertinent dono tibi eo pacto ut habeamus quandiu vixerimus & teneamus. Post mortem meam tu habeas & teneas in omni vita tua, & facias inde quidquid volueris ; ita tamen quòd post dies tuos ad infantem quem de me susceperis liberè revertantur. Quòd si mihi talis proles, quod Deus avertat, ex te suscepta non fuerit, vel te vivente sine liberis decesserit, tu habeas omnia supradicta, & quidquid juris ubicumque habeo vel habere debeo, ad omnem tuam tuorúmque faciendam voluntatem in perpetuum. Cedo itaque tibi omnes actiones, petitiones, exceptiones, defensiones, & jura quæ pro prædictis vel aliquo illorum mihi competunt, aut competere debent vel possunt. Omnia ergo supradicta, & eorum singula ego domina MARIA prædicta Regina Aragoniæ laudo, concedo, & confirmo tibi domino Petro Regi Aragoniæ; & quòd ita teneam, & contra non veniam, vel etiam sustineam, vel aliquid ibi mutem, facto, dicto, consilio vel voluntate expressa, tacita, vel etiam præsumptiva; bona fide per stipulationem tibi stipulanti promitto, & etiam tactis corporaliter sacrosanctis Evangelis sponte juro ; renuntians per ejusdem sacramenti religionem omni juri, legi & consuetudini, cujus auxilio contrà venire possem, & etiam specialiter, & scienter, & consultè, legi illi quæ donationem prohibet inter virum & uxorem.

Hoc autem totum facio propter multa & magna beneficia, & maximum honorem quem ex tua gratia & benignitate me cognosco & confiteor recepisse. Et ad majorem facti auctoritatem & perennem rei memoriam, hanc paginam sigilli mei auctoritate munio & corroboro.

Datum in Quoquolibero * secundâ Dominicâ Septembris, anno Domini millesimo ducentesimo quinto. 1205.

* Collioure en Roussillon.

Hujus rei testes sunt :

EXAMENUS de Lavata Prior domûs Hospitalis sancti Ægidii, & Castellanus Compostæ.

DOMINA Clementia.

GUILLELMUS de Cervaria.

GUILLELMUS Durfortis.

Digitized by Google

BERNARDUS Amelei.
BERENGARIUS de sancta Eugenia.
PETRUS de Porta.
JOHANNES de Montebeliardo,
GUILLELMUS Rotgerii.
SIMON de Campo-novo.
PETRUS de sancto Guillelmo.
RAIMUNDUS Dalrani.
COLLUMBUS &c.
FERARIUS Notarii.

Signum PETRI de Blandis Notarii domini Regis, qui mandato dominæ MARIÆ Reginæ Aragoniæ hoc scripsit sub testimonio supranominatorum, loco, mense, die & anno, quibus suprà.

Anno Christi 1205. *Ex membranis Domini d'Hermilly.*

PETRUS *Rex Aragoniæ Raimundo Duci Narbonæ spondet filiam* SANCIAM *daturum* RAIMUNDO *ejus filio in matrimonium.*

XXXV. IN Dei nomine. Anno Incarnationis ejusdem millesimo ducentesimo quinto, mense Octob. Notum sit cunctis, quòd ego PETRUS Dei gratiâ Rex Aragoniæ, & Comes Barchinoniæ, & dominus Mõtispessulani volens tibi Raimundo Dei gratiâ Duci Narbonæ, Comiti Tolosæ, & Marchioni Provinciæ amore perpetuo connecti, dilectam filiam meam nomine SANCIAM, promitto me daturum & traditurum in uxorem legitimam Raimundo filio tuo, & Reginæ JOHANNÆ: & cum prædicta filia mea bona fide promitto me daturum & traditurum pro sua dote & hereditate filio tuo præfato castrum & villam Montispessulani, cum omni plenitudine dominii & jurisdictionis & potestatis, & castrum de Homeliacio cum omnibus jurisdictionibus & pertinentiis suis, & omnes villas alias & munitiones & castra, quæ ad dominium & jus Montispessulani & castri de Homelacio pertinent & pertinere debent, sicut hodie habeo & teneo, & de

Digitized by Google

jure habere debeo, vel alius per me nomine meo.

Hanc promiſſionem & conceſſionem facio eo pacti tenore poſito, ut ego habeam & teneam omni tempore vitæ meæ omnia ſupradicta, poſt mortem verò meam habeat prædicta filia mea cum prædicto marito ſuo, & communes eorum infantes, abſque portione & parte & clamore aliorum infantium, ſi qui mihi naſcerentur ex hac uxore, & alia omnia ſupradicta. Si, quod Deus avertat, filia mea decederet abſque liberis, omnia ſupradicta revertantur ad proximos meos, vel illos quibus ego diviſero. Ceterum ſi morte alterutrius infantium (quod Deus nolit) nuptiæ inter eos non contraherentur, prædictæ pactiones caſſæ remaneant: ita quòd de ſponſalibus & matrimonio ſupradicto, & de promiſſionibus prę miſſis neuter alteri teneatur.

Ego itaque PETRUS Rex prædictus promitto bona fide per ſtipulationem vobis Raimundo Comiti prædicto, & filio veſtro R. quòd totum factum ſupradictum fideliter complebo, & abſque aliqua quæſtione & occaſione compleri faciam.

Et rurſum ego Petrus præfatus Rex, laudo, concedo, & confirmo, & renovo pactiones, & fidelitates, & ſacramenta inter me & vos & Comitem Provinciæ fratrem meum facta, ſicut meliùs & pleniùs continentur in inſtrumentis inde factis per alphabetum diviſis.

Item ego Petrus prædictus Rex promitto vobis Raimundo Comiti prædicto, quòd filio veſtro Raimundo fidelis amicus ero, & ipſum in Dei fide & mea recipio, quòd eum non decipiam in aliquo, vel engannem, & in eiſdem conventionibus quas vobis facio, ipſum recipio. Et de hoc toto complendo & fideliter obſervando, dono pro fidelitate & conſtituo, Caſtrum-novum, caſtrum de Caſtris, & caſtrum de Monteferrario; ſalvo etiam vobis Comite alio jure, ſi quod ibi habere debetis, ita ſcilicet quòd ſi culpâ meâ vel facto meo, vel partis meæ, vel contraria voluntate filiæ meæ prę fatæ ſæpedictum matrimonium cum pactionibus prętaxatis non perveniret ad effectum, caſtra præfata tradantur vobis,

Digitized by Google

& filio vestro Raimundo, pro facienda omni vestra voluntate uxorísque in perpetuum. Et de hoc dono vobis BERNARDINUM fidelem meum, qui mandato meo facit vobis hominium & sacramentum, quòd si ego omnia supradicta vobis & filio vestro Raimundo non observarem & complerem prædicta castra vobis traderet, ad faciendam omnem vestram voluntatem.

Et ego BERNARDINUS Bajulus domini Regis, qui etiam teneo fidelitates prædictorum castrorum, voluntate & mandato ejusdem promitto & convenio per stipulationem vobis domino Raimundo Duci Narbonæ, Comiti Tolosæ, & Marchioni Provinciæ, & filio vestro R quòd si dominus meus Rex vel pars ejus contra prædicta veniret, & ad admonitionen vestram infra quinquaginta dies emendare nollet, statim dabo & tradam vobis & vestris plenam potestatem prædictorum castrorum, & de hoc facio junctis manibus . . . hominium, & per hæc sacro-sancta Dei Evangelia corporaliter tacta, vobis gratis juro.

Promitto præterea ego prædictus Rex vobis RAIMUNDO Duci Narbonæ, quòd prædictum Bernardinum Bajulum meum non mutabo nec ibi alium instituam, donec ille substitutus prædictam fidelitatem, hominium & sacramentum de prætaxatis castris vobis faciat. Si fortè mors sæpedictum Bernardinum præveniret, promitto vobis quòd infra quinquaginta dies alium idoneum cum assensu & voluntate vestra instituam, qui prædictam fidelitatem, hominium & sacramentum vobis faciat & observet.

Omnia supradicta universa & singula ego præfatus PETRUS Rex laudo & confirmo, & quòd ita teneam & contra non veniam, sicut supra plenius continetur, & in aliis instrumentis de conventionibus factis bona fide, solemni stipulatione promitto, & etiam tactis sacro-sanctis corporaliter Evangeliis sponte juro, renuntians per ejusdem sacramenti religionem omni juri, legi & consuetudini cujus auxilio contrà venire possem.

Et ego in Dei nomine RAIMUNDUS, Dux Narbonæ, Comes

Digitized by Google

Comes Toloſæ & Marchio Provinciæ, promitto vobis PETRO Regi Aragoniæ, Comiti Barchinonæ & domino Montiſpeſſullani, quòd aſſignabo, & tradam, & conſtituam in maritum legitimum filium dilectum Raimundum, Reginæ JOHANNÆ filium, filiæ tuæ & dominæ MARIÆ uxoris tuæ, nomine SANCIÆ, & aſſigno ei pro ſua hereditate, & poſt mortem eidem filio dono Ducatum Narbonæ, & Comitatum Toloſæ cum omnibus eorum pertinentiis, & juriſdictionibus, & alodiis & feudis, & generaliter quicquid habeo, & habere debeo, ultra flumen Eravi verſus Guaſconiam Præterea promitto me conſtituturum & daturum cum filio meo prædicto in ſponſalicio, ſive donatione propter nuptias, filiæ veſtræ jamdictæ quicquid habeo in Caſtro-novo de Arri, & in caſtro Sarraceno, & in Moxaco, & in Monte-Albano, & in eorum pertinentiis. Similiter eodem concedo modo, & firmiter renovo, & confirmo pactiones de fidelitate & valencia factas inter me & vos, & Comitem Provinciæ fratrem veſtrum ſicut meliùs & pleniùs continetur in inſtrumentis inde factis per alphabetum diviſis. Omnia ſupradicta, ſicut ſuperiùs meliùs continentur, vel etiam in aliis inſtrumentis conventionis inter nos factis, per alphabetum diviſis, laudo & confirmo.

Promitto præterea ego RAIMUNDUS prædictus Comes quòd ſi ante matrimonium contractum filius meus decederet, ego ſtatim reddam vobis PETRO Regi Aragoniæ, vel reddi faciam prędictam filiam veſtram liberè & abſolutè; & ſi poſt contractum matrimonium ipſe decederet, eodem modo ipſam redderem vel reddi faciam. Promitto ſimiliter vobis, quòd cùm filius meus ad annos pubertatis pervenerit, faciam vobis ipſum jurare prædictas convenientias, & pro iis & aliis omnibus ſupradictis adimplendis & fideliter obſervandis. Conſtituo pro fidelitate caſtrum de Monte-rotundo, caſtrum de Calvicione, caſtrum d'Albaix; tali ſcilicet pacto, quòd ſi culpâ meâ vel facto partis meæ, vel adverſa voluntate filii mei prædicta non adim-

Digitized by Google

plerentur, ſtatim prædicta caſtra tradantur per noſtros vobis & veſtris ad faciendam omnem voluntatem veſtram veſtrorúmque: & de omnibus iis obſervandis & adimplendis dono vobis & conſtituo ELISIARIUM d'Albaix, qui vobis faciet hominium & ſacramentum, & teneatur vobis & veſtris ad prædicta caſtra reddenda, niſi infra quinquaginta dies poſt admonitionem veſtram ſupradictam adimplerentur & obſervarentur.

Et ego ELISIARIUS d'Albaix Bajulus domini Comitis, qui teneo fidelitates prædictorum caſtrorum voluntate & mandato ejuſdem promitto & convenio per ſtipulationem vobis domino PETRO Regi, quòd ſi dominus RAIMUNDUS Comes vel pars ejus contra prædicta veniret, & ad admonitionem veſtram infra quinquaginta dies emendare nollet, ſtatim dabo vobis & veſtris plenam poteſtatē prædictorum caſtrorum, & de hoc facio junctis manibus vobis hominium, & per hæc ſacro-ſancta quatuor Evangelia corporaliter tacta, vobis gratis juro.

Promitto præterea ego prædictus RAIMUNDUS Comes, quòd prædictum Eliſiarium bajulum meum non mutem, nec ibi alium inſtituam, donec ille ſubſtitutus prædictam fidelitatem, & hominium & ſacramentum de prætaxatis caſtris vobis faciat. Si fortè mors ſæpedictum Eliſiarium præveniret, promitto vobis quòd infra quinquaginta dies alium æquè idoneum cum aſſenſu & voluntate veſtra inſtituam, qui prædictam fidelitatem & hominium & ſacramentum vobis faciat & obſervet.

Omnia ſupradicta univerſa & ſingula ego præfatus RAIMUNDUS Comes laudo & confirmo, & quòd ita teneam, & contra non veniam, ſicut ſuperiùs & pleniùs continetur, vel in aliis Inſtrumentis de conventionibus factis, bona fide, ſolemni ſtipulatione promitto, & etiam tactis corporaliter ſacro-ſanctis Evangeliis ſponte juro, renuntians per ejuſdem ſacramenti religionem omni juri, legi & conſuetudini cujus auxilio contravenire poſſem.

Datum Florenzaco, Anno Domini milleſimo ducenteſimo quinto, menſe Octobris. In teſtimonio ſubſcriptorum & quamplurium aliorum:

Digitized by Google

Signa, GAUFRIDI de Rocabertino.
MICHAELIS de Lusia.
GUILLELMI de Cervaria.
RAIMUNDI de Montecatano.
DALMATII de Crexello.
PONTII G. de Toricella.
G. de Ila.
RAIMUNDI Gaucerandi.
ARNALDI de Foxano.
GULLELMI de Caneto.
RAIMUNDI de Castro veteri.
RAIMUNDI de Palatio.
BERENGARII de Aquaviva.
Fratris EXAM. de Lavata
Prioris Hospitalaris.
Fratris FULCONIS Commendatoris Mansi Dei.
Fratris PONTII de Montelongo.
Fratris SANCII de Sangoza.
Fratris IMBERTI.
RAIMUNDI Targerii.
BERNARDI de Andusia.
PETRI Bremundi filii ejus.
PONTII Bernardi.
BERTRANDI de Orianicis.
GUIDONIS Capitis-Porci.
STEPHANI Ademari.
RAIMUNDI de Salvis.
RAIMUNDI de Arzacio.
PETRI de Arzacio.

Signum PETRI de Blandis Notarii domini Regis Aragoniæ, qui mandato utriusque partis supradicta scripsit mense & anno quibus suprà.

INSTITVTIO Ordinis Vallis Scholarium.

Anno Christi 1215. *Ex membranis domini d'Heruval.*

XXXVI. EGO WILLERMUS divinâ miseratione Episc. Lingonensis universis & singulis præsentem paginam inspecturis, Notum facimus quòd W. Prior Vallis Scholarium ceteríque ejusdem loci Fratres, prudentium virorum freti consilio certam vivendi formam sibi eligentes proposuerunt sub regula Beati Augustini militare, habentes officium Ecclesiasticum, habitum, gestum, & incessum secundùm propositi & facultatis eorum congruentiam : more Fratrum Beati Victoris Parisiensis vacabunt laboribus, horis & temporibus constitutis, more quo decet silentium servaturi : sani carnibus non vescentur nec in domo nec extra domum, nisi

Digitized by Google

in egretudine vera, & tunc ut citiùs convalescant. A Pascha usque Exaltationem sanctæ Crucis bis reficientur in die, residuum temporis sub jejunii abstinentia transcursuri, exceptis diebus novem Lectionum & Octavis, in quibus comedent usque ad festum Beati Bricii, & à die Nativitatis Domini usque ad Septuagesimam. More dictorum Fratrum Beati Victoris habebunt lectualia culcitris & linteis carentia, dormientes succincti tunicas & calciati caligis: hospites etiam jacebunt sine culcitris, laneis contenti sicut & Fratres.

Et si annuente Domino Ecclesia Vallis Scholarium in tantum fuerit propagata & ampliata, ut multitudinem pariat filiarum*, omnes filiæ ejus, & filiæ filiarum usque ad ultimam generationem Ecclesiæ Vallis Scholarium quasi matri & dominæ subjacebunt, & ibidem omnes Ecclesiarum Priores semel in anno more Cistercienſium tempore determinato convenient generale Capitulum celebraturi.

* *Id est*, Monasteriorum à primario pendentium.

Prior Vallis Scholarium habebit liberam potestatem per omnes Ecclesias illius Ordinis monendi & admonendi, & excessus corrigendi: & si fortè in Ecclesia Vallis Scholarium fuerit aliquid emendandum vel corrigendum in Capitulo, vel Priorem eligendo vel deponendo, tres Filiæ primævæ liberam habebunt potestatem in matrem visitando, corrigendo, Priorem etiam si causa evidens exegerit deponendo, & alium substituendo, salvâ tamen Capituli electione dummodò concorditer & ordinatè conveniant in electione. Fratribus recipiendis certum numerum præfixerunt qui præteriri non potest: Statuentes quòd Capitalis Ecclesia in Clericis & laïcis non possit excedere numerum tricenarium: omnes filiæ contentæ erunt duodecim Clericis, & tribus conversis Fratribus, Priore præsidente.

Statuerunt etiam vivere sine agricultura, villis & grangiis, & hominibus, solis reditibus contenti & eleëmosynis. Pecudum possessiones non habebunt præter decem vaccas tantùm, quæ sufficere possint ad ministrandum lac pulmentis Clericorum & familiæ eorum, ita tamen

Digitized by Google

quòd vaccæ sub custodia erunt aliena longè ab Ecclesiis semotæ. Ablata judicio non reparent, immo si quis eis injuriosus extiterit & molestus, accedent ad Episcopum loci, dicentes: Pater nolumus vos ignorare quoniam ille talis nobis molestus est, & ecce isti quomodò res se habeat non ignorant, ab eis, si placet, rem inquirite.

Mulieres ad habitum suum non recipient, nisi in extremis & quæ fortè apud eos sibi elegerint sepulturã, & tunc ad præsentationem sui plebani: mulieres ad eos passim non ingredientur præter eas quas portarius viderit habere necessitatem. Per chorum Ecclesiæ, & per Claustrum, & per alias intrinsecas officinas nequaquam ingredientur, nisi quæ causâ devotionis vel visitandi gratiâ advenerint, & tunc juxta discretionem Prioris mulieres infra metas intrinsecas non comedent neque bibent, immo si nox fuerit extra metas comedent, & pausabunt in hospitio ad hoc deputato, nequaquam pernoctantes.

Prior in Refectorio cum ceteris comedet, & in dormitorio dormiet, nisi ex itinere fatigatus, vel occasione talis hospitis cui debeat honor impendi & reverẽtia. Prior nec in victu nec in vestitu à ceteris differt. Prior nequaquam poterit fidejubere pro aliquo, neque pecuniam commendatam suscipere nisi de assensu Capituli. Sed neque à Judæo, nec per se, nec per interpositam personam. Item Prior mutuò non accipiet plusquam centum solidos, nisi de assensu Capituli, nec plusquam decem libras præter assensum domini Lingonensis.

Item Fratres de Valle Scholarium non poterunt ordinem superiùs specificatum mutare, nec addere, nec subtrahere, neque alicui subjici, nec alios sibi subjicere, nec omnino aliquid horum mutare quæ in præsenti pagina continentur, nisi de voluntate & assensu domini Lingonensis ac Prioris Vallis Scholarium.

In cujus rei testimonium nos & idem Prior Vallis Scholarium petitione & assensu Fratrum ejusdem Vallis, sigillorum nostrorum munimine* signavimus.

Adde * præsentem chartam, *vel quid simile.*

Digitized by Google

Actum anno Domini millesimo ducentesimo quintodecimo, mense Septembri.

Huc referenda quæ habentur in Tom. 1. Bibliothecæ Novæ P. Labbe de Orig. prima Ord. Vallis Scholarium Pag. 391.

Anno Christi 1228. mense Julio. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

LITTERA

De Præbendis Tornodorensibus conferendis

XXXVII. DURANNUS Dei gratiâ Episcopus Cabilonensis, Universis præsentes Litteras inspecturis salutem in Domino. Noveritis quòd cùm discordia verteretur inter venerabilem Patrem HUGONEM Episcopum Lingonensem ex una parte, & nobilem virum G. Comitem Nivernensem & Forensem, & M. uxorem ejus Comitissam Nivernensem ex altera, coram Decano & Conjudicibus suis Senonensibus auctoritate Apostolica, sub collatione præbendarum Capellæ Comitis Tornodorensis: Tandem in nos de consensu utriusque partis super dicta discordia extitit compromissum hoc modo, quòd dicti Comes & Comitissa juramento interposito, & dictus Episcopus in verbo veritatis promiserunt, quòd tenerent & firmiter observarent quicquid super dicta discordia pro voluntate nostra duceremus ordinandum. Nos verò de consensu utriusque partis Dictum nostrum pronuntiamus in hunc modum; Quòd dictæ Præbendæ quæ in dicta Capella fuerant institutæ, amodò sint in Ecclesia sancti Petri Tornodorensis Presbyteri ejusdem Ecclesiæ in omnibus jure salvo; & Episcopus Lingonensis qui pro tempore fuerit medietatem Personatuum & Præbendarum conferet, & Comes Nivernensis qui pro tempore fuerit alteram medietatem. Itaque Comes primum Personatum & primam Præbendam conferet, & Episcopus secundum Personatum & secundam Præbendam; & sic deinceps de aliis Personatibus & Præbendis

Digitized by Google

alternatim. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri munimine fecimus roborari, anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo octavo, menſe Julio.

Initum matrimonium inter R. AIMUNDUM *Comitem Toloſæ, &* CONSTANTIAM *filiam* R. *Comitis Provinciæ,* JACOBO *Rege Majoricarum procuratore.*

Anno Chriſti 1241. *Ex Membranis D. d'Herouval.*

XXXVIII. NOVERINT univerſi quòd nos JACOBUS Dei gratiâ Rex Aragoniæ, Majoricarum & Valentiæ, Comes Barchinonis & Urgelli, & dominus Montiſpellulani Procurator Nobilis viri R. Comitis Toloſæ, nomine ipſius R. Comitis recipimus vos SANCIAM filiam nobilis viri R. Berengarii Comitis Provinciæ in uxorem R. Comitis antedicti, ſi placuerit domino Papæ, & ſuper prædicto matrimonio duxerit diſpenſandum, uſque ad Septuageſimam proximò venturam.

Et nos SANCIA filia nobilis viri R. Berengarii Comitis Provinciæ recipimus R. Comitem Toloſæ in maritum noſtrum, vobis domino Jacobo Rege Aragoniæ in dicto matrimonio procuratore pro dicto Toloſano Comite exiſtente, ſi placuerit domino Papæ & ſuper dicto matrimonio duxerit diſpenſandum, uſque ad Septuageſimam proximò venturam.

Et hoc juramus per Deum & ſancta ejus Evangelia, noſtris propriis manibus corporaliter tacta, & prædicta facimus voluntate & aſſenſu Patris noſtri domini R. Berengarii Comitis Provinciæ, & matris noſtræ dominæ BEATRICIS Comitiſſæ Provinciæ. Et nos R. Berengarii, Comes Provinciæ, & nos Beatrix Comitiſſa, ejuſdem prædicto matrimonio gratis & ex certa ſcientia noſtrum præſtamus aſſenſum; jurantes per Deum & ſancta Dei Evangelia à nobis corporaliter tacta, quòd prędicto matrimonio ſub forma præmiſſa contrahendo dabimus operam efficacem, & in nullo contraveniemus aliqua ratione vel cauſa.

Digitized by Google

Actum est hoc Achis tertio Idus Augusti, Anno Domini MCCXL. primo. Testes sunt:

J. Archiepiscopus Arelatensis.
R. Aquensis.
F. Episcopus Regiensis.
R. Episcopus Tolosanus.
G. Episcopus Carpentoracensis.
Ex . . . . . .
R. de Villa-nova.
ALBERTA,
G. Raimundi Judex Comitatûs Provinciæ.
R. de Albuciano Archidiaconus Gerundensis.

Signum GUILEMONI Scribę, in cujus præsentia prædicta facta sunt.

Anno Christi 1169. Amotis è Cœnobio S. Mariæ Vratisl. Augustinianis Monachis Cisterciensis subrogantur.

Litteræ Institutionis Monachorum Cisterciensium in Monasterio S. MARIÆ *Vratislaviensis.*

XXXIX. IN nomine Domini Amen. Nos THOMAS Dei gratiâ Wratislaviensis Episcopus cupientes aliqua ex gestis nostri temporis ad memoriam descendere posterorum, ne per ignorantiam hominum ordine temporis sibi ad invicem succedentium abolita, oblivionem veritas materiam præstet futuris & veritatem præteritorum ignorandi, & falsis opinionibus per linguas vel errantium, vel sponte mentientium inerrorem abduci, qualiter domus de Caments in nostra sita Diœcesi à regimine fratrum Ordinis S. Augustini procedentiun à domo sanctæ MARIÆ Wratisl. ad possessionem & proprietatem Ordinis Cisterciensis nostris temporibus devenerit, litterarum officio decrevimus adnotare.

Notum igitur esse volumus universis, quòd temporibus nostri decessoris felicis recordationis Episcopi LAURENTII, temporibus etiam domini INNOCENTII Papæ tertii, quidam vir nobilis VINCENTIUS qui fuerat Wratisl. Eccleſiæ Præpositus, qui aliquantam moram fecerat in dicto Clausstro S. MARIÆ auctoritate dicti domini Papæ

Digitized by Google

ni Papæ ordinatè de eodem Clauſtro exiens in Caments vitam incepit ducere regularē, aſſumptis ſibi quibuſdam Fratribus de domo S. MARIÆ & ſatis longo tēpore in eodem loco ſub Regula S. Auguſtini ibidem dies ſuos deduxit, nunquam tamen volens profiteri obſervationes Arraſienſium* ſub quorum obedientia Clauſtrum S. MARIÆ Wratiſlavienſis fuerat inſtitutum. Verùm idem adhuc in bona ſanitate ſuæ vitæ conſtitutus, cùm nos etiam eſſemus ad Pontificale onus aſſumpti, nobis valde familiaris exiſtens frequenter nos magnis exorabat precibus, ne poſt mortem ejus ſi nos ſuperviveremus domum dictam de Caments aliquatenus permitteremus ſubjici Domui S. MARIÆ, cùm non ſperaret hoc ipſe quòd ex ejuſdem domus regimine domus de Caments vel in ſpiritualibus vel in temporalibus reciperet incrementum. Præfato verò Vincentio poſtmodùm in S. MARIÆ Abbatem aſſumpto, & nihilominus dictam domum de Caments regente quantum ad temporalia, non multò pòſt tempore idem Vincentius eſt defunctus. Poſt mortem verò dicti Vincentii fratres de Caments, qui aliquot numero remanſerant, tenuerunt ſe in eadem domo ſatis tolerabiliter aliquo tempore. Procedente tempore inceperunt deficere paulatim, primùm in perſonis, poſtea in omni obſervantia regulari: ita quòd nos circa viſitationes ipſorum, & circa regulares correctiones quas per alios Regulares circa eos procurabamus fieri, quantumcumque laboris ex affectu impendiſſemus proficere non potuimus cum effectu. Tandem verò ſolis tribus vel quatuor ex eiſdem perſonis remanentibus, nec regulariter viventi-

(nam nec in Dormitorio pariter jacebant, nec in Re-
orio pariter comedebant, ſed vita eorum & ſtatus erat
inibus qui eos noverant in ſcandalum & deriſum.)

ſuper hoc dolentes & zelo juſtitiæ & decoris
leſiaſtici ex caritatis radice commoti, poſt longas de-
erationes cum Canonicis noſtris, & viris religio-
& aliis viris diſcretis, cum eis etiam quos ne-
ium tangere videbatur ratione juris patronatûs,
videlicet filiis JAROSLAI & PREDISLAI qui aliqua bona

* f. Aroaſcenſium.

Digitized by Google

eidem Claustro impenderant, & quorum frater dominus JANUS Archidiaconus Wratislensis, ipsum Claustrum suis patrimoniis donaverat. Videntes etiam quòd per personas domûs Beatæ MARIÆ domus dicta non possit ullatenus reformari, vel per alias in Polonia quę sint Ordinis S. Augustini, cùm etiam in domibus principalibus defectum patiantur necessariarum & utilium personarum: provisâ necessariâ sustentatione personis quæ residuæ erant in Claustro de Caments in aliis locis idoneis, domum ipsam de Caments Ordini Cistercienſi contulimus per personam & manus Domini Abbatis HENRICI de Lubens, à qua etiam personas necessarias Conventui in domum de Caments recepimus auctoritate Ordinis Cistercienſis, & eas in possessionem domûs de Caments induximus, dantes eis auctoritate Diœcesana ejusdem domûs plenum dominium, & disponendi de eadem domo secundùm Ordinem suum de omnibus liberam facultatem.

Verùm cùm hoc in nomine Domini fecissemus, Abbas S. MARIÆ temeritate instigante, & erroris ductus consilio, Fratres Cistercienses, qui erant in pacifica possessione domus de Caments, per violentiam secularem, Principis ad idem accedente consensu, ejici procuravit. Ceterùm cùm tunc temporis vir scientiâ & discretione præcipuus dominus JACOBUS Leodienſis Archidiaconus, domini Papæ Capellanus, vices etiam gerens domini Papæ in Poloniam foret transmissus cum plena jurisdictione, & de causis cognoscendi, & quæ disturbata erant in tota terra Poloniæ & Pomeraniæ in melius reformandi: coram eodem per Abbates & Fratres Cistercienſis Ordinis, ad quos pertinebat negotium, causa fuit mota contra Abbatem & fratres suos S. MARIÆ super ejectione indecenti, quæ facta fuerat fratribus Cisterſienſibus per potentiam secularem, & juris ordine non servato. Tandem verò multis altercationibus præmissis placuit utrique parti in dictum virum honorabilem dominum JACOBUM tamquam in arbitrum sub pœna statuta compromittere, & rationibus suis utrimque propositis, quod ipse

Digitized by Google

ſuper omnibus decreviſſet inviolabiliter obſervare.

Idem verò Dominus Jacobus intellectis hinc inde propoſitis, de conſilio domini B . . . ndore Cracovienſi, & domini Naucleri Lu . . . ſenſi Epiſcoporum, qui tunc aderant, & aliorum virorum honeſtorum, qui de conſenſu partium eidem additi fuerant aſſeſſores, reduxit Abbatem de Caments Ludovicum & Fratres cum ipſo olim violenter ejectos in poſſeſſionem & proprietatem domus de Caments, imponens ſuper eadem domo perpetuum ſilentium Abbati S. Mariæ & fratribus ſuis. Nihilominus reſtitutiones quaſdam fieri faciens inſtrumentorum, librorum, aliarúmque rerum ab utraque parte, ſicut tunc fuit in tenore ſuæ ordinationis comprehenſum. Statuit etiam tunc ut nos pro bono pacis ex rationibus, quibus ipſe motus fuerat, aſſignaremus reditus ſeptem marcharum argenti annuatim domui S. Mariæ, & ſuper hoc daremus ei inſtrumentum noſtrum noſtro & noſtri Capituli munimine roboratum: quod nos ſtatim fecimus, aſſignantes domui S. Mariæ decimam de Wets Petri filii Stoſſonis, quæ ſatis plus valet. Sed hoc fecimus ad ſolatium domus S. Mariæ, cùm eam diligamus in Domino: ut inter domos S. Mariæ Wratiſlæ, & illam de Caments, ſublato ſcrupulo omnis diſſenſionis caritas intemerata perduret. His igitur diſpoſitis, nos præfatam domum de Caments ſicut ad honorem Dei & S. Religionis incrementum, & noſtræ animæ remedium Ordini Ciſtercienſi contulimus, ſicut hoc fecimus, de conſilio & aſſenſu noſtri Capituli perpetualiter confirmamus, petentes ut qui eo pro tempore fuerint, memores ſint animæ noſtræ in ſuis orationibus apud Deum, maximè cùm eadem domus non ſolùm ſuę fundationis exordium, ſed quaſi omnem ſui ſtatus ſuſtentationem à menſa Wratiſlavienſis Epiſcopatus acceperit, & ex ejus ſuſtentari debeat decimis in futurum.

Datum anno ab Incarnatione Domini MCCXLIX. in præſentia Canonicorum noſtrorum & plurium aliorum: in cujus rei argumentum præſentem chartam noſtro ſigillo & noſtri Capituli feçimus inſigniri.

Digitized by Google

STATUTA

Ad instaurandam Monasticam disciplinam in Monasterio S. Andreæ Avinionensis Ord. S. Benedicti.

XL. ANNO & die quo supra*, NOS BERENGARIUS Forojulienſis Epiſcopus, BERTRANNO S. Euſebii Abbas, B. Cavallerii Vivarienſis Canonicus, & GUIDO Fulcodii Clericus, ſtatu dicti Monaſterii S. Andreæ diligenter inſpecto & perpenſo, libratis arbitrio nonnullis articulis quos credimus reformationis expoſcere beneficium: priùs quidem inter dictum Abbatem & Fratres appellatores pace pleniùs reformatâ, & relaxatis per eumdem Abbatem ſententiis ad cautelam quas tulerat in eoſdem, ad honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis hæc mandata proferimus ſalvâ moderatione ſubſcriptâ.

* An. Chriſti 1251. III. Cal. Februarii,

In primis ſtatuimus quòd domnus Calveria dicti Monaſterii Abbas per ſe & alios bonâ fide ſtudeat & laboret, ut in ipſo Monaſterio religio floreat, & meliùs ſolito obſervetur: & licet Priorem Clauſtro præpoſuerit ſeu præponat, cui ſpecialiter poſt eumdem cura rei hujus incumbit, ipſe tamen frequenter interſit Capitulo, & gregem ſuum conſiderans vultum ſui pecoris deligenter agnoſcat, nec ſolùm corrigat quos corrigere Prior neglexerit, ſed etiam ſi res exigat Prioris puniat negligentiam, eo ſi quidem juſtiùs & ſeveriùs, quò ſibi ſpecialiùs correctio creditur aliorum.

In diebus autem præcipuis & feſtivis idem Abbas ſi in Monaſterio fuerit, & ei fuerit oportunum, Matutinum dicat in Conventu cum Fratribus, & Miſſam non negligat celebrare majorem ubi diei ſolemnitas hoc requiret: Fratribus etiam verbum ſalutis proponat pluries, vel per alium proponi faciat, vel aliquam partem Regulæ ſaltem exponat, & ſe talem eis exhibeat, ut ſi fortè pro meritis ſubditorum interdum verbera Patris habuerit, habere matris ubera non omittat.

Verùm quia multiplicatis interceſſoribus citiùs ob-

Digitized by Google

tinetur quod petitur, & quòd à pluribus quæritur faciliùs invenitur, provideat idem Abbas, quòd in ipſo Monaſterio ſit ſufficiens numerus Monachorum, ut connumeratis Adminiſtratoribus & Clauſtralibus, ſint ad minus viginti: ſic enim & honeſtiùs Deo ſervient, & onus tam diurni officii quàm nocturni leviùs reputabunt.

Quia verò juxta ſententiam Sapientis, virga & cibus & onus aſino; diſciplina, panis & opus debentur ſervo, volumus, ſtatuimus & mandamus quod Monachi ſani & infirmi juxta morem laudabilem Monaſterii ſufficienter & regulariter procurentur, quippe ſi ſaturati non fuerint, murmurabunt, & obſequium debitum confidentiùs ab eis exigitur, ſi competenter neceſſaria miniſtrantur. Si verò de inſufficienti Fratrum refectione murmur ſeu querimoniam ſuboriri contigerit, ad Prioris Clauſtralis mandatum abſque omni diffugio Cellerarius hoc emendet.

Quia tamen in eſum carnium uſurpatâ conſuetudine, ſeu abuſu, nonnulli ſe temerè laxâſſe noſcuntur, volumus, ſtatuimus & mandamus quòd infra ſepta Monaſterii, caſtri ambitum, & ejus territorium & civitatem Avenionenſem à carnibus Monachi omnes abſtineant, niſi vel Abbatis vel Prioris ſuper hoc habeant licentiam ſpecialem. Quo caſu extra infirmariam in Monaſterio, caſtro vel territorio carnem ſine Abbate non comedant. Abbas verò quem ſuæ relinquimus conſcientiæ ſub divini tamen conteſtatione judicii, ſi pravo, quòd abſit, exemplo, quos deberet ædificare ſubvertit, cùm forſan aliquando carnibus veſci voluerit, vel in infirmaria, vel in ſua camera ſecretò hoc faciat, non in pompa commenſalium laïcorum; ſed aſſumptis ſecum uno vel pluribus ſociis Monachis, quos refectione hujuſmodi viderit aut credidit indigere, & quantum erit ei poſſibile vitet ſcandalum in hac parte. Priores autem aut Monachos extra Monaſterium converſantes, præter debiles & infirmos per totam Septuageſimam & Adventum Dominicum à carnibus abſtinere præcipimus, & per reſiduam anni partem ſaltem ſecundâ & quartâ feriis & in

Digitized by Google

sabbatho, nec tamen diebus aliis hoc concedimus; sed eos potiùs quantum ad dies alios suis committimus conscientiis; hoc quidem præ oculis habituros, quòd tantò arctiùs abstinere deberent, quantò plurium patent conspectui, verendúmque ne pariter & contemptui, nec vitam deberent agere laxiorem otio respirantes continuo, quàm claustrales, qui diei & æstus assiduè pondus ferunt.

Porrò nullus Monachus sine Abbatis vel Prioris licentia extra Monasterium eat. Et quia nihil Monacho commune cum urbibus, tam Abbati quàm Priori firmiter inhibemus, ne Monachis Avinionem intrare volentibus dent passim licentiam, vel frequenter, sed si cui superlicentiam dederint semel in hebdomada, non dent iterum in eadem, nisi causa subsit rationabilis & expressa, de qua causa licentiæ non dubitent quin sit vera. Quoties verò licentia hujusmodi dari contigerit, provideat ejus indultor ne duobus juvenibus mutuam sui tradat custodiam, sed sit unus eorum Presbyter, vel saltem talis, cui pro meritis possit tutè committi socius; ne si secus fuerit observatum, de vanitate conveniant in seipsum.

Omnibus autem Monachis S. Andreæ districtè & firmiter inhibemus infra civitatem Avinionensem comedere, vel jacere sine Abbatis licentia vel Prioris, nisi forsan justa & honesta necessitas eos in tantum arctaverit, ut se in suum non possint recipere commodè Monasterium: quo casu non in domo vel domibus laïcorum, sed in aliquo loco religioso, vel saltem apud personas Ecclesiasticas manducare ipsos permittimus, vel jacere. Alij Monachi in Monasterio commorantes præter Abbatis socios in uno jaceant dormitorio, induti & cincti secundum Regulam Monachalem, exceptis debilibus & infirmis, qui in locis dormire potuerunt consuetis.

Monemus etiam omnes & singulos ut Regularibus utantur vestibus, quæ nec ex pretio, nec ex forma sint aliqua suspicione notabiles, cùm ex sententia Sapientis inter alia quæ de homine seu hominis occultis enuntiant, amictus corporis numeretur. Qui verò post mensem à die hujus nostræ monitionis transactum sub veste reperti fue-

Digitized by Google

rint peregrina, super quos visitaturum se Dominus ore prophetico pollicetur, eam deponere compellantur: & si vestis hujusmodi Monachi fuerit administrationem habentis, protinus distrahatur, & in usus egentium erogetur: si verò Claustralis simplicis fuerit, in regularem aliam commutetur.

Monachos omnes Abbati dicto ut Patri & Domino obedientes esse secundùm Deum & S. Benedicti Regulam præcipimus & mandamus: & si quis fuerit cervicosus, regularem non effugiat ultionem.

Rursum quia juxta verbum Propheticum, vita & cultus* silentium, volumus & præcipimus quòd in Ecclesia, Dormitorio & Refectorio continuum teneatur silentium, sed certis horis in Claustro, prout in ceteris ejusdem Ordinis Monasteriis observatur. *f.* * vitæ cultus.

Quia verò Monachi proprium habere non debent, eis districtè præcipimus ut restituant si quod habent; omnibus administratione carentibus inhibentes ne absque Abbatis licentia arcas & claves teneant, & si qui nunc tenent, eas volumus quod resignent: idémque dicimus de sigillis.

Ceterùm cùm secundùm Apostolum multa sint membra in corpore, sed non singula eumdem actum habentia, & hoc ipsum ad corporis pertineat venustatem; Volumus & mandamus in hoc Monasterio consuetos cum suis juribus restitui Personatus, præter Decanatum dumtaxat, quem in suo statu usque ad proximum generale Capitulum manere volumus, extunc ordinabimus Deo dante in quo statu deinceps debeat remanere. In dictis autem Personatibus bonas personas poni volumus & præcipimus, quæ videlicet non solùm debitis insistant officiis, sed etiam Abbatem suo sciant & valeant fulcire consilio in religione tenenda, & emergentibus Monasterio sæpe negotiis faciliùs & utiliùs promovendis.

Cùm tenaciùs infigantur quæ in ipsis conversionis initiis imprimuntur; Volumus & mandamus quòd Pueri & Novitii per Prioratus nullatenus dirigantur, sed in Claustro permaneant, & adhuc tenera cervice capiant quod

Digitized by Google

fideliùs in ætate matura conservent. Idem dicimus de obstinatis vel contumacibus Monachis, sed etiam dissolutis, quibus esse Claustrum volumus quasi carcerem, nè si fortè ad alia loca transmissi habenas habuerint laxiores, ex culpa propria suum propositum assequantur liberiùs, & in Fratrum omnium ignominiam plurimos scandalizent.

Hospitalitatem in Monasterio & præcipuè circa Religiosas personas servari præcipimus, per quam alicui hospitio receptis Angelis Domino placuisse noscuntur. Illius non immemores, qui nihil sibi conscius cum honesta dicebat audacia: *Humerus meus à junctura sua cadat, si negavi pauperibus, negavi quod volebant.* Volumus & mandamus quòd Eleëmosynarius providè & fideliter suum exequatur officium, dispergendo & dando pauperibus viris & mulieribus juxta morem. In Hospitali autem in quo pauperes recipit ad jacendum, nullo modo recipiat mulieres; sed nec ibidem Monachorum & feminarum colloquia toleret, nisi personæ fuerint non suspectæ, & interveniat Abbatis vel Prioris assensus.

Iob 31. 22.

Ita noster Claud. Chantelovius qui hæc statuta dum in vivis ageret, descripsit.

Cetera statuta vix possunt bene legi. In iis agitur de Capitulo generali annis singulis die Lunæ post Octavam Paschæ celebrando, ad quod omnes Priores & Administratores convenire debent: deinde de modo quem servare debet in conferendis Ecclesiis vacantibus, instituendis & destituendis Prioribus, & c. hujusmodi. Tandem præcipitur quòd B. Andreæ Apostoli festo Priores omnes interfint, nisi legitimo impedimento se valeant excusare.

Acta fuerunt in Capitulo dicti Monasterii. Testes interfuerunt: Magister DURANTUS Monachus.

B. . . . de Rupemaura Montis-majoris.

RAIMUNDUS de Letida Monachus S. Eusebii, & totus Conventus dicti Monasterii.

Domnus CALVERIA Abbas.

B. Langerius Prior Claustralis.

CALVERIA Decanus.

B. AUGERIUS.

ROST. Rebullus.

B. de Laudeno, &c.

TESTA-

Digitized by Google

TESTAMENTUM ROSTAGNI DE PODIO-ALTO.

Anno Christi 1261.

XLI. IN nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, anno Incarnationis ejusdem MCCLXI. videlicet XIX. Kal. Septembris regnante Domino LODOICO Dei gratiâ Rege Francorum. Ego ROSTAGNUS de Podio-alto senior dominus castri de Podio alto, considerans humanum statum non posse firmiter perdurare, sanus mente & corpore sic facio Testamentum meum nuncupativum atque condo.

In primis dimitto corpus meum & animam meam Deo Omnipotenti & Beatæ MARIÆ Virgini Matri ejus. Et eligo sepulturam corpori meo in cimiterio Monasterii S. Andreæ Avenionensis diœcesis. Et accipio pro anima mea quinquaginta libras Turonenses, de quibus lego & rel inquo prædicto Monasterio XXV. lib. Turonen.

Item lego Fratribus Minoribus de Avenione L. solidos Turonenses.

Item lego Fratribus Prædicatoribus de Avenione L. solidos Turonenses.

Item lego operi pontis de Avenione L. solidos Turonenses.

Item lego luminariæ Ecclesiæ sancti Jacobi de Podio-alto X. solid. Turonenses.

Item lego Hospitali pauperum castri de Podio-alto X. solidos Turonenses.

Item lego domui Monialium de Montaisanengues XX. solid. Turonens.

Item lego Monasterio Monialium de Furnis C. solid. Turonenses.

Item volo quòd residuum dictarum quinquaginta librarum Turonensium expendatur in meo anniversario; in quo anniversario volo quòd sint LX. Sacerdotes, & quòd dictum anniversarium fiat in Monasterio S. Andreæ. Et volo quòd heres meus infrascriptus dictum an-

Digitized by Google

niversarium meum faciat honorificè & procuret.

Item volo quòd dictus heres meus infrascriptus faciat dictum anniversarium infra XV. dies à tempore mortis meæ computandos.

Item volo & præcipio ut de reditibus seu proventibus quos habeo in castro de Teseriis prædictæ quinquaginta libræ Turonenses persolvantur.

Item recognosco me debere ROSTAGNO de Podio-alto nepoti meo, filio filii mei PETRI de Podio-alto quondàm XXV. millia solidorum Turonensium, quos habui tam pro dote sibi assignata ratione ALAZACIÆ uxoris suæ, quàm pro dote Alazaciæ matris suæ, & uxoris dicti Petri filii mei quondam; quàm etiam pro venditione castri de Crizillone: quod castrum mihi & dicto Petro filio meo & patri dicti Rostagni quondam, communiter fuit datum per dominum RAIMUNDUM Comitem Tolosanum quondam bonæ memoriæ.

Item recognosco me debere prædicto ROSTAGNO quinque millia solid. Turon. quos habui pro eschasucha* quæ provenit Alazaciæ uxori dicti Rostagni à CONSTANTIA sorore dictæ Alazaciæ, quos dictos XXX. millia solidorum Turonensium, volo dictum Rostagnum recuperare de bonis meis & in bonis meis.

* *Sive* excasuca, *ab* excido, excasum *dicta: aliàs sæpiùs* excaeta, *vel* escaeta, *id est*, hereditate, hereditatisve obventione. *Gal.* Une Succession escheuë: l'escheute d'une succession. *Hoc etiam nomen sumitur pro* caduco, *& pro* confiscatione. *Ita V. C. Adrian. Valesius.*

BLAVUM verò & GANDALMANNAM nepotes meos in dotem quam dedi & solvi RESPLANDIDÆ filiæ meæ & matri prædictorum, quæ fuit VIII. millia solidorum, bonorum Resplandidæ instituo mihi heredes.

Item in quinquaginta solid. Turonens. mihi heredes facio & instituo dictum Blavum & dictam Gandelmannam nepotes meos, & ita sint contenti de omnibus bonis meis, ita quòd nihil amplius possint amodò petere in bonis meis.

Item TIBURGEM neptem meam, filiam Resplandidæ filiæ meæ mihi heredem instituo in dotem quam dedi & solvi dictæ Resplandidæ matri suæ, quæ fuit VII. millia solidorum bonorum R.* . . & ultra in L. solidor. Turon. mihi heredem facio & instituo dictam TIBURGEM, & cum istis volo eam esse contentam de omnibus bonis meis, ita

f. * Raimundensium.

Digitized by Google

quòd nihil ampliùs amodò possit petere in bonis meis prædictis.

Item GUILLELMUM de Podio-alto nepotem meum filium filii mei PETRI de Podio-alto quondam in quinquaginta libr. Turonen. heredem mihi facio & instituo, in quibus dictis L. libris dictus Petrus filius meus quondam ipsum Guillelmum heredem sibi instituerat.

Et volo & præcipio quòd Rostagnus heres meus universalis infrascriptus eidem Guillelmo providere teneatur juxta voluntatem dicti Petri filii mei quondam, scilicet in victu & vestitu quamdiu in domo dicti Rostagni esse voluerit, & faciat ipsum doceri in literali scientia, & quandiu dictus Guillelmus addiscere voluerit, dictus Rostagnus in studio sibi* providere teneatur.

* *Id est*, ipsi

Item ultra prædicta instituo prædictum Guillelmum mihi heredem in quinquaginta libr. Turonen. Et si dictus Guillelmus nepos meus, & frater dicti Rostagni heredis mei infrascripti, decederet infra pupillarem ætatem vel postea quandocumque sine liberis, substituo ei dictum Rostagnum heredem meum infra scriptum & liberos suos.

Item si dictus Rostagnus nepos & heres meus infrascriptus (quod Deus avertat) decederet sine liberis vel nepotibus vel deinceps, substituo ei propinquiores ex parte patris & mei dicti Rostagni*.

* *Hoc est*, ex parte patris ejus Petri de Podio, & ex mea parte qui sum Petri hujusce pater avus Rostagni.

Item relinquo dominæ Alazaciæ uxori quondam filii mei Petri de Podio-alto ultra dotem suam, quæ est quatuor millia solid. Turonen. Scilicet centum libr. Turonen. quas dictus Petrus filius meus quondam eidem dictæ Alazaciæ in suo testamento legaverat & reliquerat. Et dictas centum libras dictam Alazaciam semel tantum habere volo, & dimitto eam dominam & signoressam omnium rerum rucarum, quamdiu sine viro esse voluerit, & non teneatur alicui reddere rationem nec computum; nec etiam inventarium facere teneatur.

In ceteris verò omnibus aliis bonis meis, & etiam in omnibus bonis quæ fuerunt Petri de Podio-alto filii mei quondam, & juribus & rationibus & dominationibus

Digitized by Google

quæcumque, & qualiacumque, & quantacumque, & ubicumque ſint, Roſtagnum de Podio-alto nepotem meum filium filii mei Petri de Podio-alto quondam, mihi heredem univerſalem facio & inſtituo, retento mihi uſufructu in facto quod habeo in caſtro de Teſeriis & ejus territorio ſeu tenemento. Quod factum mihi retineo ad vitam meam, & poſt vitam meam volo quod revertatur ad prædictum Roſtagnum nepotem & heredem meum pleno jure.

Et volo iſtud præſens Teſtamentum meum ſtatim executioni mandari: & quod dictus Roſtagnus bona prædicta auctoritate ſua propria apprehendere poſſit & regere & gubernare, & de ipſis bonis me exuens, ipſum Roſtagnum nepotem meum inveſtio, & renuntio uſufructui quem poſſem habere quamdiu viverem in dotibus ſupradictis, & de meo jure in ipſius jus transfero, promittens eidem Roſtagno præſenti, ſtipulanti & recipienti quòd contra prędicta vel aliquid prędictorum non veniam aliquo tempore, aliâque ratione mihi competenti vel competitura. Retineo tamen mihi quamdiu vixero denarios cenſuales quos habeo vel habere debeo in caſtro de Podio-alto, & in caſtro de Viridi-folio; & poſt vitam meam volo quòd prædicti cenſus ad prędictum Roſtagnum nepotem & heredem meum pleno jure revertantur. Et volo quòd prædictus Roſtagnus mihi providere teneatur quandiu vixero honorificè in victu & veſtitu ubicumque mihi magis placuerit ſive in caſtro de Podio alto, ſive in caſtro de Viridi-folio, ſive etiam alibi extra terram meam, ſi de mea procederet voluntate.

Item volo & prędipio, quòd dictus Roſtagnus heres meus reſtituat & ſolvat de bonis meis omnia forefacta meo arbitrio, & cognitione Gadiatorum meorum infraſcriptorum. Facio autem & conſtituo Gadiatores* meos domnum Abbatem Monaſterii S. Andreæ, & domnum Decanum Monachum ejuſdem Monaſterii Sancti Andreæ, quibus do plenariam poteſtatem ſolvendi prędicta & emendandi forefacta mea.

* Fidejuſſores, *Gall.* pleiges, cautions.

Hujus rei teſtes fuerunt vocati & ſpecialiter rogati,

Digitized by Google

dominus ROSTAGNUS de Albagnhaco de Bagneolis Iuriſperitus.

ALBARONUS dominus de Montefrino,
BERTRANDUS de Lauduno Monachus,
PONTIUS Ricavi de Rupemaura,
GUIRAUDUS ROSSELLI,
R. Celloni,
BERTRANDUS Botinii,
GUILLELMUS Mognha,
R. FARAUDUS de Avinione,
BERNARDUS de Albareto,
PETRUS Blaquerii,
BERTRANDUS Dotinus de Cavillione:

Et ego BERTRANDUS Aurus publicus domini Regis Franciæ Notarius teſtis rogatus interfui,& mandato dicti Teſtatoris præſcripta ſcripſi, & ſigno meo ſignavi.

Contractus matrimonii inter SANCIUM *filium Regis* ALFONSI *&* GUILLELMAM *filiam* GASTONIS *Vicecomitis Bearnenſis.*

Anno Chriſti 1170. *Ex Membranis D. d'Hermival.*

XLII. NOVERINT univerſi præſentem paginam inſpecturi, quòd nos ALFONSUS Dei gratiâ Rex Caſtellæ, Toleti, Legionis, Galleciæ, Sibillæ, Cordubæ, Murciæ, Guienni, Algarbæ: Et nos domina OSOLANT Regina Caſtellæ & Legionis: promiſſiones & pacta habita inter nos & domnum GASTONEM Dei gratiâ Vicecomitem Bearnenſem, dominum Montiſcathani & Caſtri-veteris, & dominã MATHAM Vicecomitiſſam Bearn. & Marcianen. de uno filiorum noſtrorum videlicet infante domino SANCIO, vel infante domino PETRO, quem ad hoc præelegerimus, dominæ GUILLELMÆ filiæ domini Gaſtonis, & dominæ Mathæ ejus uxoris, matrimonialiter conjungendo contenta in quodam inſtrumento ſigillato ſigillis meis, domini Gaſtonis & dominæ Mathæ, confecto in Lucronio octavo Idus Februarii, æra milleſima trecenteſima octava, per manum Petri Garciæ To-

Digitized by Google

letani: cujus instrumenti prædicti prima linea incipit: *Noverint universi*, & ultima linea finit, *supradictorum, scripsi*, rata & firma habemus ac etiam confirmamus.

Item notum facimus omnibus præsentibus & futuris, quòd prædictus dominus infans Sancius filius noster electus à nobis specialiter ad istud matrimonium contrahendum, & prædicta domina GUILLELMA inter se matrimonium contraxerunt in hæc verba. Ego infans SANCIUS accipio vos domnam Guillelmam uxorem meam, & promitto quòd semper habebo & tenebo vos pro mea uxore legitima. Et ego GUILLELMA accipio vos, domnum infantem Sancium in meum maritum, & promitto quòd semper habebo & tenebo vos pro meo marito legitimo, & ambo scilicet domnus Sancius & domna Guillelma hoc præstito sacramento ad sancta quatuor Dei Evangelia firmaverunt, nobis præsentibus, & huic matrimonio & sacramento voluntatem nostram præstantibus & assensum. Actum est hoc Burgis in camera nostra, quarto Nonas Aprilis æra millesima trecentesima octava.

In quorum omnium præmissorum nos domnus Rex & Regina in hac charta testimonium contentorum sigila nostra præsentibus duximus apponenda. Testes hujus rei sint infans domnus FERRANDUS noster primogenitus, domna CONSTANTIA Abbatissa de Cannas: domnus Lupus Didaci de Viscaya, & domnus DIDACUS Lupi frater ejus, domnus V. Lupi de Salczedo, domnus AMICUS Petri de Coires, domnus JAUFREDUS de Loalia, domnus GARZIAS Arnaldi de Novaliis, domnus BERNARDUS de Cintillis, domnus GUILLELMUS Raymundi Doazeto, domnus G. Arnaldi de Morlana, domnus IOHANNES Alfonsi Archidiaconus sancti Jacobi & Electus ejusdem loci, domnus FERRANDUS Abbas de Xetes, domnus BERNARDUS de Albos, & plures alii.

Digitized by Google

TESTAMENTUM Magistri ROBERTI DE SORBONA.

Anno Christi 1270. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

XLIII. UNIVERSIS præsentes literas inspecturis, Officialis Curiæ Parisiensis salutem in Domino. Notum facimus quòd in nostra præsentia propter hoc constitutus vir venerabilis Magister ROBERTUS DE SORBONA Canonicus Parisiensis in plena sua sanitate, & compos mentis suæ prout prima facie apparebat, volens sibi præcavere in futurum, de bonis suis immobilibus ordinavit in hunc modum:

Primò enim omnia bona sua immobilia quæ tenet in manu mortua, videlicet vineas, domos, census cum eorum pertinentiis quæ acquisivit Parisius seu in confinio ejus, dedit donatione inter vivos Congregationi pauperum Magistrorum Parisius studentium in Theologia Facultate, quorum diu Provisor extitit, & nunc dominium & proprietatem dictorum bonorum in ipsos pauperes Magistros transferendo.

Item dilectum suum virum venerabilem Magistrum GAUFRIDUM* DE BARRO, Canonicum Parisiensem, post decessum ipsius Magistri ROBERTI suum constituit heredem, videlicet aliorum bonorum suorum immobilium, quæ non tenet in manu mortua, videlicet vinearum, domorum, censuum feodi, cum eorum pertinentiis seu appenditiis quæ acquisivit Parisius, vel in confinio ejus, vel quæ acquiret usque ad diem mortis suæ, excepta dumtaxat domo quadam sita in monte sanctæ Genovefæ prope domum Magistri GEROLDI DE ABBATISVILLA; de qua taliter ordinavit, ut dicebat, conferens & concedens prædictus Magister ROBERTUS, extunc scilicet post mortem ipsius Magistri ROBERTI, eidem Magistro GAUFRIDO tanquam heredi suo, ut dictum est, omnium prædictorum immobilium quæ non sunt in manu mortua totum jus quod habebat, vel habere poterat in præmissis omnibus qualicumque ratione, salvo sibi quam-

* Gaudefridum.

Digitized by Google

diu vixerit prædictus Magister ROBERTUS, in omnibus & singulis cum proprietate præmissorum usufructu; volens siquidem & concedens expresè, quòd dictus Magister GAUFRIDUS heres institutus, ut dictum est, teneat & possideat post decessum ipsius Magistri ROBERTI omnia supradicta tanquam heres pacificè & quietè, absque reclamatione & contradictione qualibet heredum suorum carnalium, seu etiam aliorum quorumcumque: tali apposita conditione ex parte ipsius Magistri ROBERTI, quòd dictus Magister GAUFRIDUS heres præmissorum institutus, ut dictum est, pro eodem Magistro ROBERTO omnibus creditoribus suis satisfacere teneatur de omnibus debitis in quibus nunc tenetur vel ea quæ tenebitur tempore mortis suæ.

Voluit & prædictus Magister ROBERTUS, quòd de bonis prædictis provideretur Johanni de Castellario Clerico suo in bursa & hospitio, sicut uni de pauperibus Magistris provideretur, sive audiat Logicam sive Theologiam, donec Dominus sibi providerit de beneficio competenti.

De bonis autem suis mobilibus per alios ordinavit, ut dicebat, hæc itaque omnia voluit prædictus Magister ROBERTUS rata esse & firma, nisi eum in vita sua contingeret de iis aliter ordinare. In cujus rei testimonium præsentes Literas sigillo Curiæ Parisiensis, unà cum sigillo ipsius Magistri ROBERTI fecimus sigillari.

Actum Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo in die S. Michaëlis.

MAGISTRI

Digitized by Google

MAGISTRI GAVFRIDI DE BARRO

Anno Christi 1274. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

Donatio bonorum quæ ipsi contulit ROBERTUS DE SORBONA, *facta Congregationi pauperum Magistrorum Parisiis in Theologica Facultate studentium, Anno Domini* MCCLXXIV. ROBERTO *jam mortuo.*

XLIV. UNIVERSIS præsentes Literas inspecturis Magister GAUFRIDUS DE BARRO Decanus Parisiensis in Domino salutem. Noveritis quòd nos omnia bona, quorum vir venerabilis bonæ memoriæ Magister ROBERTUS de Sorbonio, quondam Canonicus Parisiensis, suum nos constituit heredem, pietatis intuitu in puram & perpetuam eleëmosynam donamus donatione inter vivos Congregationi pauperum Magistrorum, seu ipsis pauperibus Magistris Parisius in Theologica Facultate studentibus, quorum diu Provisor extitit Magister antedictus, exnunc dominium & proprietatem dictorum bonorum cum eorum pertinentiis seu appendiciis, cum omni jure quod in præmissis omnibus & singulis qualicumque ratione habemus seu habere possumus, in ipsos pauperes Magistros transferendo, hâc conditione appositâ, quòd dicti Magistri & eorum Congregatio, & Provisor eorum nomine dictæ Congregationis & ipsorum Magistrorum & pro ipsis teneantur satisfacere omnibus creditoribus dicti Magistri ROBERTI de omnibus debitis, in quibus dictus Magister ROBERTUS tenebatur tempore mortis suæ, & ad omnia onera in quibus tenemur vel teneri possumus occasione hereditatis prædictæ.

In cujus rei testimonium sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum, Anno Domini MCCLXXIV. mense Novembri.

Digitized by Google

PETRI ELECTI LVGDVNENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPI.

Anno Christi 1272. *Ex Chart. minori Eduensi a D. d'Herouval.*

Fidelitatem Regi exhibet eâ lege ut id sibi nullum afferat detrimentum.

XLV. NOs frater PETRUS Divinâ miseratione primæ Lugdunensis Ecclesiæ Electus, notum facimus universis, quòd cùm nos excellentissimo domino nostro PHILIPPO ejusdem gratiâ Franciæ Regi illustrissimo offerremus fidelitatem debitam, dictum fuit nobis ex parte dicti domini Regis, quòd nobis non licuit gerere administrationem bonorum temporalium Ecclesiæ Lugdunensis circa* Sagonam ante exhibitionem fidelitatis prædictæ: ad quod respondimus quòd proximus prædecessor noster, videlicet dominus STEPHANUS de Sabaudia quondam dictæ Ecclesiæ Lugdunensis Ecclesiæ Electus, & alii prædecessores nostri gesserunt & administraverunt prædicta bona temporalia antequàm excellentissimis dominis Franciæ Regibus fidelitatem debitam exhiberent. Super quo produximus quosdam testes; quia plenè non liquebat dicto domino Regi per testes prædictos de jure suo & nostro, ut dicebat, idem dominus Rex fidelitatem nostram recepit, ita tamen quòd istud nec in possessione nec in proprietate acquirent nobis jus, & salvo jure suo, si quod pro se poterit in posterum invenire.

Fortè citra.

Actum die Veneris post festum Beati Andreæ Apostoli; Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo.

Digitized by Google

Matrimonium initum inter JACOBUM *Regis Aragoniæ filium, &* SCLARMUNDAM *filiam Comitis Fuxensis.*

Anno Christ 1275. *Ex membranis D. d'Heroval*

XLVI. NOTUM sit cunctis, quòd nos domina SCLARMUNDA filia quondam domini Rogerii Dei gratiâ Comitis Fuxensis, & Vicecomitis Castri-boni, de consilio & voluntate carissimi fratris nostri domini ROGERI BERNARDI Dei gratiâ Comitis Fuxensis, & Vicecomitis Castri-boni, & dominæ BRUNISSENDIS matris nostræ Comitissæ Fuxensis, & Vicecomitissæ Castri-boni, & aliorum amicorum nostrorum, bono animo ac spontanea voluntate cupimus vos illustrem dominum infantem JACOBUM illustrissimi Regis Aragonum filium, heredem Majoricarum, Montispessulani, Rossilionis, Ceritaniæ & Confluentis, in legalem maritum habere, nósque ipsam in legalem uxorem vobis tradimus, & ex vobis Deo dante cupimus habere legales infantes: & damus atque constituimus vobis in dotem tria millia marchas argenti fini, recti, pensi Perpiniani, hoc pacto quòd quamdiu insimul vixerimus, nos & vos illas habeamus & teneamus cum infante & sine infante. Et si vos nobis supervixeritis habeatis & teneatis omnes prædictas tria millia marchas argenti fini in tota vita vestra, cum infante & sine infante. Post mortem verò vestram remaneant infantibus nostris communibus ex nobis & vobis procreatis & natis. Qui si defuerint revertantur propinquioribus nostris vel cui mandaverimus verbo vel scripto.

Simili modo nos Infans JACOBUS prædictus consilio & voluntate illustrissimi domini Regis Aragoniæ patris nostri, & carissimi domini infantis Petri fratris nostri, & aliorum amicorum nostrorum, bono animo ac spontanea voluntate cupimus vos dominam SCLARMUNDAM prædictam in legalem uxorem habere, nósque ipsum in legalem maritum vobis tradimus, & ex vobis Deo dante

Digitized by Google

cupimus habere legales infantes : & profitemur & recognoscimus nos à vobis habuisse & recepisse omnes prædictas tria millia Marchas argenti fini, recti, pensi Perpiniani dictæ dotis vestræ. In quibus renuntiamus exceptioni dictarum omnium marcharum non acceptarum & habitarum.

Nos verò damus & constituimus vobis in donationem propter nuptias tria millia marchas argenti fini, recti, pensi Perpinani, quas quidem tria millia marchas argenti simul cum dictis tribus millibus marchis argenti dictæ dotis vestræ, quæ ita sunt completæ, VI. millia marchæ argenti fini, recti, pensi Perpiniani laudamus & assignamus, & pro illis omnibus marchis tam dotis prædictæ quàm donationis propter nuptias obligamus vobis dictæ dominæ Sclarmundæ uxori nostræ, de consilio & voluntate dicti domini Regis patris nostri, villam Podii-Ceritani, & vallē de Rippis, & Villam Francham Confluentis, & Castrum, & Villam de Argileriis, & Castrum & Villam de Salsis, cum omnibus juribus & pertinentiis, & jurisdictionibus suis, justitiis majoribus & minoribus, & reditibus & proventibus, & omnibus aliis ad dictas villas & castra & loca pertinentibus & pertinere debentibus, quocumq; modo vel quacumque ratione. Hoc pacto, quòd quamdiu nos & vos insimul vixerimus, prædictam dotem & donationem propter nuptias habeamus & teneamus cum infante & sine infante. Et si vos dicta domina SCLARMUNDA uxor nostra nobis supervixeritis, habeatis & teneatis omnia prædicta obligata tam pro dote vestra prædicta, quàm pro donatione propter nuptias prędicta, tamdiu donec vobis vel cui volueritis fuerit per heredes vel successores nostros integrè restituta dicta dos vestra, & persoluta dicta donatio propter nuptias. Volentes & concedentes vobis, quòd statim nobis prędmortuo, vestra propria auctoritate possitis recipere possessionem omnium prædictorum vobis superiùs obligatorum, & quamdiu vobis fuerit cessatum in solutione & restitutione dotis & donationis propter nuptias prædictorum fructus & reditus quos de prædicta obligatione & assignatione receperitis & habueritis, non

Digitized by Google

computentur vobis in sortem vel in solutum dictæ dotis vel donationis propter nuptias prædictæ, sed illos habeatis ex dono nostro, & pro interesse vestro dictæ dotis & donationis propter nuptias, dictas verò tria millia marchas argenti fini, quas vobis in donationem propter nuptias constituimus, habeatis & teneatis in tota vita vestra cum infante & sine infante; post mortem verò vestram remaneant infantibus nostris communibus nobis & vobis procreatis & natis, qui si defuerint revertantur propinquioribus nostris vel cui mandaverimus verbo vel scripto.

Actum est hoc quarto Idus Octobris, Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto.

Signa dominæ SCLARMUNDÆ & domini Infantis JACOBI mariti ejus prædictorum, qui hæc omnia laudamus & firmamus.

Signum domini ROGERII BERNARDI, & dominæ BRUNISSENDIS matris ejus prędictorum, qui hæc omnia laudamus.

Signa EYMERICI Dei gratiâ Vicecomitis Narbonnensis, & GUILLELMI Dei gratiâ Vicecomitis Castrinovi, & RATBERTI de Rarbayrano & PETRI RUBEI Judicis Perpinianensis, & Rossilionis, & ARNALDI Bajuli jurisperiti testium: ARNULDUS scriptor publicus Perpinian. scripsit.

AYMARI *Lugdunensis Archiepiscopi.*

Anno Christi 1181. *Ex minori Chartul. Eduensi à D. d'Heronval.* Ordinat ut more antiquo Archiepisc. Lugd. & Episcopus Eduensis alter alterius Sedem vacantem teneat & administret.

XLVII. AYMARUS divinâ miseratione primæ Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus Officiali Lugdunensi, & omnibus judicibus temporalem & spiritualem jurisdictionem exercentibus tam in civitate Lugdunensi, quàm in castris & villis ad sedem Metropolitanam Lugdunensem spectantibus, & omnibus Castellanis seu deputatis vel deputandis ad custodiam Castrorum seu fortaliciorum ad dictam Metropolitanam Ecclesiam pertinentium, salutem in domino sempiternam. Cùm nobis constet vacante Sede Metropolitana

Digitized by Google

Lugdunensi Episcopum Eduensem qui pro tempore fuerit, debere de antiqua & approbata consuetudine dictam Metropolitanam Sedem tenere, & omnem administrationem tam in temporalibus, quàm in spiritualibus habere, & omnia castra, & fortalicia, villas, & domus prædictæ Sedis tenere, & fructus levare & suos integrè facere; sicut è contra idem jus per omnia, de antiqua similiter & approbata consuetudine Archiepiscopus Lugdunensis, qui pro tempore fuerit, Sede Eduensi vacante obtinet in prædictis: & nos ipsi viderimus Reverendum patrem bonæ memoriæ GERALDUM quondam Episcopum Eduensem consanguineum nostrum carissimum uti isto jure pluribus annis in Ecclesia Lugdunensi nomine Ecclesiæ Lugdunensis, vacante Sede Lugdunensi per resignationem PHILIPPI de Saubadia* tunc Electi Lugdunensis, nunc Comitis Saubadiæ, & nos versa vice usi sumus, & in præsenti utimur eodem jure in Ecclesia Eduensi vacante per mortem domini GERARDI quondam Episcopi Eduensis, & hoc sit per rei evidentiam adeò notorium, quòd non potest aliqua tergiversatione celari; Idcirco ne pro defectu nostro vel negligentia pereat, seu perire possit, vel lædi in aliquo jus quod in prædictis & prædicta consuetudine competit Eccles. Eduensi, vobis præcipiendo mandamus sub vinculo juramenti super hoc nobis specialiter præstito, quatinus si contigit nostram Metropolitanam Ecclesiam quoquo casu, quod absit, vacare, vos Officialis & judices prædicti omnem jurisdictionem prædictam spiritualem & tēporalem Episcopo Eduensi, qui pro tempore fuerit vel suis deliberetis, & ipsum, vel suos in possessionem jurisdictionis spiritualis vel temporalis inducatis: sigilla ad dictam jurisdictionem spiritualem & tēporalem pertinentia eidem Episcopo vel suis tradatis: & vos Castellani seu deputati vel deputandi ad custodiam castrorum & fortaliciorum prædictorum, similiter dicta Metropolitana Ecclesia vacante, omnia castra, fortalicia, villas & domus ad dictam Metropolitanam Sedem pertinentia vel pertinentes Episcopo Eduensi qui pro tempore fuerit, vel suis tradatis & deliberetis paci-

* *Id est*, Sabaudia.

Digitized by Google

ficè & quietè, & ipsum & suos in corporali possessione prędictorum inducatis. Hæc autem omnia prædicta vos omnes & singuli faciatis quàm citò à dicto Episc. vel ab aliquo seu ab aliquibus mandatum super hoc habenti vel habentibus fueritis requisiti, ita quòd dictus Episcopus nomine suæ Ecclesiæ Eduensis liberè possit uti & pacificè jure, quod Ecclesiæ prædictæ de antiqua & approbata consuetudine extitit acquisitum. In cujus rei testimonium litteris præsentibus apposuimus sigillum nostrum.

Datum anno domini millesimo ducentesimo octogesimo secundo, mense Decembri.

Anno Christi 1187. *Ex Chart. minori Eduensi à D. d'Herouval.*

RADULFI *Archiepiscopi Lugdunensis, &* HUGONIS *Episcopi Eduensis Ordinationes pro administratione Archiepiscopatûs & Episcopatûs Sede vacante.*

XLVIII. UNIVERSIS præsentes Litteras inspecturis RADULFUS miseratione divinâ primæ Lugdunensis Ecclesiæ Archiepiscopus; Hugo ejusdem miseratione Episcopus Eduensis; Lugdunensis & Eduensis Ecclesiarum Decani & Capitula, salutem in Filio Virginis gloriosæ. Inter opera caritatis illa præcipuè considerari debent, per quæ omnis fraudis & deceptionis materia evitatur, & sanctæ matris Ecclesiæ . . . . . , ministris & servitoribus eisdem . . . . . Igitur cùm Archiepiscopus Lugdunensis gerat administrationem Episcopatûs Eduensis ipsius Sede vacante, & versâ vice Episcopus Eduensis gerat administrationem Archiepiscopatus Lugdunensis vacante Sede ipsius: nos pro communi utilitate, & evidenti commodo utriusque Ecclesiæ, necnon & ministrorum earumdem super dictis administrationibus diligenti deliberatione inter nos habita, ordinavimus in hunc modum: primò quòd Sede Eduensi vacante, Archiepiscopus Lugdunensis qui pro tempore fuerit habeat administrationem in temporalibus & spiritualibus civitatis & diœcesis Eduensis, & è conver-

Digitized by Google

so Sede Lugdunensi vacante, Episcopus Eduensis qui pro tempore fuerit, habeat administrationem in temporalibus & spiritualibus civitatis & diœcesis Lugdunensis: quia hactenus ita de longa & approbata consuetudine exstitit observatum, salvo jure Capitulorum & Canonicorum, & aliorum qui habent jurisdictionem in civitate & diœcesi supradictis.

Actum etiam est inter nos quòd sigilla Curiæ Sedis Archiepiscopalis, vel Episcopalis quæ vacaverit, castráque & fortalicia, necnon & domus civitatis & diœcesis prædictorum ad earum Sedem pertinentium, Archiepiscopo vel Episcopo viam vniversæ carnis ingresso, incontinenti sine difficultate tradantur, reddantur & deliberentur Archiepiscopo vel Episcopo Ecclesię non vacantis, vel ejus mandato, secundùm quod hactenus exstitit consuetum.

Ceterùm de bonis mobilibus Archiepiscopi & Episcopi decedentium inter nos exstitit ordinatum, quòd si Archiepiscopus vel Episcopus moriantur testati, eorum ordinatio servabitur de bonis prædictis, & sua ultimaa voluntas adimplebitur de iisdem, & per manus Executorum deputatorum ad hoc distribuantur secundùm quod testator Archiepiscopus vel Episcopus in Testamento suo seu ultima voluntate sua duxerit ordinandum: & hoc casu blada & vina à solo separata, licet in horreo vel doliis reposita non fuerint, mobilia censebuntur, & cedant in utilitatem Prælati mortui: & de dictis bonis inventarium facient dicti Executores, & de iisdem reddent in Capitulo rationem. Si verò Archiep. vel Episcopus intestatus decedat, tunc de dictis bonis mobilibus Procuratores ad hoc per Capitulum Ecclesiæ vacantis deputandi facient restitutiones quæ fuerint faciendę, & solvent debita ipsius defuncti. Si quid verò de dictis bonis residui fuerit, de dicto residuo facient solutiones & satisfactiones familiaribus ejusdem, & residuum conservent futuro Pontifici: & de dictis bonis inventarium facient, & reddent dicti Procuratores de prædictis bonis in Capitulo rationem, retentis tamen de dictis bonis expensis competentibus: Si

quis

Digitized by Google

quis autem dictorum Procuratorum à Capitulo Ecclesiæ vacantis deputandorum aliquid fecerit in præjudicium prædictorum, per subtractionem beneficiorum suorum à Capitulo Ecclesiæ vacantis satisfacere compellatur.

Actum est etiam inter nos, quòd si dictarum Ecclesiarum Archiepiscopus vel Episcopus intestatus decedat, *quæ ipsum Pontificali dignitate honoravit ornamenta remanebunt quæ sequuntur, alba cum amictu, stola cum manipulo, tunica cum dalmatica, infula cum capa meliori quæ in capella Archiepiscopi vel Episcopi defuncti poterit inveniri.

* *Deest aliquid fortè Ecclesiæ.*

Si ille Archiepiscopus vel Episcopus prædictus contra prædicta aliquid attentaverit, & Executores prædictos, seu bonorum distributores quoquo modo impedierit, aut contra tenorem præsentium aliquid fecerit, post trinam monitionem ab ipsis Executoribus, seu bonorum distributoribus prædictis nisi . . . . . restituerit, & prædicta observaverit, excommunicatus sit ipso facto.

Cetertùm actum est inter nos, quòd utensilia domorum coquinorum Archiepiscopatus & Episcopatus prædictorum Sede vacante reservabuntur futuro Pontifici, & Archiepiscopus seu Episcopus, qui dictam Sedem tenebit, inde faciet inventarium, quod custodietur à Capitulo ipsius Ecclesiæ vacantis, ita quòd cùm Prælatus fuerit in ipsa Ecclesia constitutus, dicta utensilia secundùm inventarium valeat rehabere.

Porrò actum est inter nos, quòd Archiepiscopus vel Episcopus qui pro tempore fuerit, durantibus dictis administrationibus jura Archiepiscopatus vel Episcopatus pro posse defendat, domos & tecta in bono statu tenebit, terras vineas excoli faciet, & omnia alia quæ fuerint facienda, fructus autem receptos durante administratione suos faciet, & illos quos à solo levaverit sine fraude: nemora vendere non poterit, nisi esset silva, nec pisces stagnorum vendere seu alibi transferre, nisi solùm pro hospitio suo ad usum ipsius & familiæ suæ: & si mortuo Archiepiscopo vel Episcopo aliquod stagnum esset quod piscatum non fuisset per tricenium, pisces illius

Digitized by Google

stagni Archiepiscopus vel Episcopus possit vendere in fine triennii, vel clauso triennio si de sua processerit voluntate.

Actum etiam inter nos, quòd si casu fortuito Sedes Lugdunensis & Eduensis insimul uno concursu vacarent, quod absit, dictis Sedibus vacantibus Procuratores ad hoc per Capitula deputandi recipient & levabunt fructus, & fideliter conservabunt ad reddendum & deliberandum proximo futuro Archiepiscopo Lugdunensi, vel proximo futuro Episcopo Eduensi, retentis sibi tamen expensis competentibus. Et si dicti Procuratores restitutionem dictorum fructuum Archiepiscopo vel Episcopo Ecclesiæ non vacantis vel ejus mandato distulerint faciendam, ad id compellantur per Ecclesiæ vacantis Capitulum: de quibus fructibus seu bonis inventarium facient & facere tenebuntur.

Insuper autem actum est inter nos, quòd in creatione uniuscujusque Canonici cùm in dictis Ecclesiis primò creatus fuerit, hujusmodi ordinationem juret se inviolabiliter servaturum. Nos autem Archiepiscopus, Episcopus, Decani & Capitula supradicta dictam ordinationem quam utrisque Ecclesiis Lugdunensi & Eduensi esse credimus fructuosam, pro nobis & successoribus nostris bona fide promittimus observare, nec contravenire tacitè vel expressè, & eam pro posse nostro procurabimus per sedem Apostolicam confirmari.

In quorum omnium testimonium RADULFUS Archiepiscopus Lugdunensis, & nos Hugo Episcopus Eduensis prædicti, sigilla nostra; & nos dictarum Ecclesiarum Decani & Capitula sigilla Capitulorum nostrorum præsentibus Litteris duximus apponenda.

Datum & actum mense Martio, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo sexto.

Digitized by Google

SAURA *filia Regis Majoricarum contrahit matrimonium cum* PETRO *Gaucerandi de Pinosio.*

Anno Christi 1299. *Ex Membranis D. d'Hereuel* Donationes ob nuptias factæ ab utraque parte.

XLIX. IN nomine domini, Amen. Noverint universi quod ego SAURA consilio, assensu ac laudamento illustrissimi JACOBI Dei gratiâ Regis Majoricarum, Comitis Rossilionis & Ceritaniæ, & domini Montispessulani, patris mei, bono animo ac spontanea voluntate cupio vos nobilem virum PETRUM Gaucerandi de Pinosio filium & heredem nobilis viri Gaucerandi de Pinosio quondam, in legalem maritum habere, méque ipsam in legalem uxorem vobis trado, & ex vobis Deo dante cupio habere legales infantes: & dono & constituo vobis eidem marito meo in dotem quatuor millia librarum Barchin. de Terno, de qua moneta sexaginta & quinque solidi valent unam marcham argenti fini, recti, pensi Perpiniani. Quæ quidem quatuor millia librarum Barchin. dictæ dotis meæ mihi donat in præsenti dictus dominus Rex Pater meus, ut ea vobis dicto marito meo in dotem constituam; quam quidem dotem vobis dono & constituo tali pacto, quòd quamdiu ego & vos insimul vixerimus ipsam dotem habeamus, & teneamus cum infante & sine infante: post mortem verò nostram remaneat dicta dos infantibus nostris ex me & vobis proceratis & natis: Si verò infans vel infantes, quòd absit, nobis duobus defuerint, & vos dictus nobilis Petrus Gaucerandi maritus meus mihi supervixeritis, habeatis ex dicta dote mea & teneatis duo millia libr. Barchin. dicti valoris de tota vita vestra cum infante & sine infante. Post mortem verò vestram si contigerit me mori sine liberis, dicta duo millia librarum remaneant dicto Illustrissimo domino Regi Patri meo, vel suis, aut cui vel quibus ipse voluerit; reliqua verò duo millia librarum dictæ constitutionis dictæ dotis possim ego dare & distribuere tempore mortis meæ quibuscumque voluero, cum infante & sine infante. Si verò contingeret me mori intestatam, quòd absit, vel

Digitized by Google

aliter non ordinaverim de dictis reliquis duobus millibus librarum, ipsa reliqua duo millia librarum revertantur in casu isto dicto domino Regi patri meo, vel suis aut cui ipse voluerit vel mandaverit scripto vel verbo.

Simili modo ego dictus PETRUS Gaucerandi filius & heres universalis nobilis viri GAUCERANDI de Pinosio quondam, consilio & laudamento dominæ Himgeriæ* matris meæ uxoris dicti patris mei quondam, & domini fratris GUILLELMI Dei gratiâ Urgellitani Episcopi avunculi mei, & aliorum amicorum meorum, bono animo ac spontanea voluntate cupio vos dictam SAURAM in legalem uxorem habere, méque ipsum in legalem maritum vobis trado, & ex vobis, Deo dante, cupio habere legales infantes. Et confiteor & recognosco vobis eidem uxori meæ me habuisse & recepisse sub pactis prædictis dicta quatuor millia librarum Barchin. de dicto valore dotis vestræ prædictæ, à dicto domino Rege patre vestro, qui ipsa mihi tradi fecit in bona pecunia numerando, de quibus perpacatum me teneo, renuntians exceptioni pecuniæ non numeratæ, & dictæ dotis vestræ non acceptæ & habitæ. Ego verò dono & constituo vobis dictæ uxori meæ de meo in donationem propter nuptias quatuor millia librarum Barchin. dicti valoris, quæ simul cum dictis vestris quatuor millibus librarum dotis vestræ, quæ ita sunt comperta octo millia librarum Barchin. ego & vos habeamus & teneamus de tota vita nostra cum infante & sine infante. Et si vos dicta uxor mea mihi supervixeritis, statim me præmortuo recuperetis dicta vestra quatuor millia librarum prædictæ dotis vestræ, & etiam de dicta donatione propter nuptias habeatis & teneatis de tota vita vestra duo millia librarum Barchin. quæ post mortem vestram remaneant infantibus nostris ex me & vobis communiter procreatis & natis; qui si defuerint, revertantur propinquioribus meis, vel cui præmandavero verbo vel scripto.

Lege Berengariæ

Præterea promitto vobis dictæ uxori meæ, necnon & vobis illustrissimo domino Regi Majoricarum præsenti & stipulanti pro vobis & vestris, quòd dictam dotem red-

Digitized by Google

dam & reſtituam vobis, vel alteri veſtrûm, aut veſtris, vel cui volueritis, prout per me debet reſtitui ſecundùm pacta prædicta, & prout eſt ſuperiùs ordinatum & dictum in caſibus ſupradictis: & pro prædictis dote & donatione propter nuptias vobis dictæ uxori meæ, necnon & vobis dicto domino Regi, ſalvis fore & reddendis & reſtituendis cui, vel quibus reddendæ vel reſtituendæ fuerint, ſecundùm ordinationem & diſtinctiones prædictas obligo vobis dictæ uxori meæ, & vobis prædicto domino Regi & veſtris, omnia bona mea, & ſpecialiter & ſignanter caſtrum & villam de Bagaano, & vallem de Bagaano, & caſtrum de Garraveto, quæ ſunt in ditione Urgellenſi, cum Baronibus, Militibus, hominibus & feminis, & cum omnibus reditibus, exitibus, & proventibus, & juſtitiis civilibus & criminalibus, & mero & mixto imperio; & cum terminis, & omnibus juribus & pertinentiis ad dicta caſtra, & villas, & vallem pertinentibus & debentibus pertinere, prout meliùs & pleniùs ad me pertinent & pertinere poſſunt ac debent. Quæ omnia & ſingula ſupradicta vos uxor mea, & vos dictus dominus Rex, & veſtri, aut quos volueritis habeatis, teneatis & percipiatis integraliter, & ſine aliqua diminutione, tantum & tamdiu donec de dictis dote & donatione propter nuptias, ſecundùm diſtinctiones & ordinationes prædictas, vobis vel veſtris, aut cui volueritis fuerit plenariè & integrè ſatisfactum. Fructus verò, exitus, & proventus prædictorum quos interim percipietis & habebitis vos & veſtri, non computentur vel compenſentur, nec computari, vel compenſari poſſint, aut debeant in ſortem ſive ſolutum dictarum dotis vel donationis propter nuptias, vel alicujus partis earum, ſed dictos fructus, exitus & proventus habeatis, percipiatis & veſtros faciatis ex dono meo & bono matrimonii, & pro intereſſe veſtro & veſtrorum, tantùm & tamdiu donec vobis aut veſtrûm alteri, aut veſtris, vel cui volueritis ſecundùm ordinationem & diſtinctiones prædictas, ex dictis dote & donatione propter nuptias fuerit plenariè & integraliter ſatisfactum.

Digitized by Google

Promitto insuper vobis dictæ SAURÆ uxori meæ, necnon & vobis dicto domino Regi præsenti & stipulanti, me effecturũ & curaturũ realiter & cum effectu, quòd omnes Barones, Milites, & vassalli & homines, ac omnes subjecti nostri dictorum locorum de Bargaano & ejus vallis, & de Garraveto, pro attendendis & complendis omnibus & singulis supradictis facient homagium ore & manibus commendatum, & juramento vallatum, & fidelitatem præstabunt vobis dictæ SAURÆ uxori meæ, & vobis domino Regi prædicto: mandans in præsenti eisdem Baronibus, Militibus, vassallis ac hominibus nostris dictorum locorum, quòd quandocumque per vos dictam uxorem meam, aut vos dominum Regem prædictum, aut aliquem vestro nomine fuerint requisiti, præstent vobis & utrique vestrûm, vel cui volueritis homagium, sacramentum & fidelitatem pro prædictis omnibus & singulis, vobis, & vestris, & quibus volueritis attendendis, & complendis & servandis; absolvens ipsos Barones, & Milites, vassallos, & homines, & subditos meos dictorum locorum, quòd prædicta tantùm, ad quæ vobis complenda eos obstringo, ab omni vinculo homagii & fidelitatis, quibus mihi tenentur & teneri debent ac possunt.

Et nos domna BERENGARIA uxor quondam dicti nobilis viri GAUCERANDI de Pinosio, matérque dicti nobilis PETRI Gaucerandi, & nos frater GUILLELMUS Dei gratiâ Urgellensis Episcopus avunculus dicti nobilis PETRI Gaucerandi, hæc omnia prædicta & singula laudamus, concedimus & approbamus.

Actum est hoc sexto Idus Octobris, anno Domini mil-
1299. lesimo ducentesimo nonagesimo nono.

Signa SAURÆ filiæ Illustrissimi domini Regis Majoricarum, & PETRI Gaucerandi mariti ejus, & dominæ BERENGARIÆ matris ipsius PETRI Gaucerandi, & fratris GUILLELMI Dei gratiâ Urgellensis Episcopi avunculi dicti nobilis PETRI Gaucerandi, prædictorum qui hæc omnia prædicta laudamus, approbamus & confirmamus.

Digitized by Google

Quorum omnium ſunt teſtes illuſtres SANCIUS & FERRANDUS filii dicti domini Regis Majoricarum.

VILLARIUS de Villario,

JACOBUS de Muredine Milites.

BERENGARIUS de Gardia Canonicus Barchinonenſis.

BERNARDUS Dalmatii Legum Doctor.

BERENGARIUS de Argilageriis Canonicus Urgellenſis & Elienſis.

Ego LAURENTIUS Plaſenſa ſcriptor publicus Perpiniani pro illuſtriſſimo domino Rege Majoricarum prædicto hanc chartam ſcripſi & ſupraſcripſi in ſexta linea, vel ſuis & hoc ſignum feci.

CAROLI
REGIS FRANCORVM.

Anno Chriſti 1105. *Ex membranis Domini d'Hereuval.*

Emancipatio filii ſeptennis auctoritate Regiâ.

L. CAROLUS Dei gratiâ Francorum & Navarræ Rex, Univerſis præſentes Literas inſpecturis. Notum facimus quòd nos ad ſupplicationem cariſſimi & fidelis patrui noſtri Caroli Comitis Valeſiæ & Andegavenſis eidem concedimus, noſtrámque auctoritatem ſuper hoc præbuimus & conſenſum; quòd idem Patruus noſter cariſſimum conſanguineum noſtrum ejus filium LUDOVICUM ætatis ſeptem annorum vel circa emancipare poſſit, & à poteſtatis paternæ vinculis liberare, non obſtante quòd idem LUDOVICUS in ætate adeò tenera conſtitutus hoc non poſſit petere, nec ſuper hoc conſentire, ad finem quòd extunc dictus ejus filius LUDOVICUS, in quantum ad paternam attinet poteſtatem, exiſtat ſicut paterfamilias ſui juris, bona quæcumque ad eumdem LUDOVICUM quovis titulo provenientia undecumque in ſolidum pleno jure ſibi ſoli acquirat, abſque hoc quòd eidem Patruo noſtro in acquirendum per prædictum ejus filium LUDOVICUM, nec quoad uſumfructum, nec quoad jus aliud quodlibet aliquid acquiratur. Agat idem LUDOVICUS & contrahat, ceteráque faciat ſicut paterfamilias, ſui juris exiſtens, poteſtate paternâ ſibi extunc in antea

Digitized by Google

non obstante. Defectum verò prædictum illum, videlicet quòd præfatus LUDOVICUS quòd emancipetur non potest petere, nec super hoc præbere consensum, & quemcumque alium, si quis super præmissis existat, supplemus de nostræ regię plenitudine potestatis, eáque valere volumus & habere perpetui & efficacis roboris firmitatem, & per nostri interpositionem decreti ea decernimus in perpetuum valitura, non obstantibus quibusvis juribus, consuetudinibus, rationibus, usibus, privilegiis & statutis in contrarium editis, vel edendis, quos, quas & quæ quoad præmissa viribus vacuamus, cassamus & penitus adnullamus. Et ut præmissa perpetuò stabilia sint & firma, nostrum præsentibus fecimus apponi sigillum.

Actum apud Fontembliaud Anno Domini millesimo trecentesimo quinto, mense Maïo.

INSTRVMENTVM

Anno Christi 1309. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

Quo MARGARETA *de Bello-joco renunciat omnibus bonis mobilibus & debitis* JOHANNIS *Comitis mariti sui nuper mortui.*

LI. IN nomine Domini, Amen. Per præsens publicum Instrumentum cunctis appareat evidenter, quòd anno à Nativitate Domini millesimo trecentesimo nono, Indictione octava, die quinta mensis Novembris, Pontificatûs sanctissimi patris & domini nostri domini CLEMENTIS Papæ V. anno quarto. Corpore nobilis & potentis viri domini JOHANNIS de Cabilone Comitis Autissiodorensis & domini de Rupeforti, viam universæ carnis ingressi, ecclesiasticè in Monasterio de Caritate Bisuntinensis diœcesis solemniter ut moris est tradito sepulturæ, nobilis & potens domina domina MARGARETA de Bello-joco, relicta dicti D. Comitis, antequam à tumulo dicti Comitis discederet in præsentia mei Notarii & testium suprascriptorum ad hoc vocatorum & rogatorum, corrigiam

Digitized by Google

corrigiam quâ præcincta erat resolvens super tumulum dicti domini Comitis projici fecit, ut dicitur esse moris, significans per hoc dicta domina Margareta, volens & proponens per nobilem & potentem virum dominum BERAUDUM de Chevel Militem, quòd ipsa bonis mobilibus & debitis dicti domini Comitis quondam mariti sui quibuscumque renunciabat & resignabat. Móxque post inhumationem dicti domini Comitis resignavit & renunciavit expresè bonis mobilibus & debitis supradictis, retinens sibi tantummodò dotem suam & maritagium, ac ea omnia & singula quæ per dictum dominum Comitem in ejus Testamento & codicillis, vel extra; tam in augmentatione dotis, quàm donatione qualicumque sibi donata sunt vel legata: protestans etiam quòd si fortè ipsa aliqua castra, fortalicia, munitiones & terram dicti domini Comitis exnunc adiret vel intraret, aut fortè aliqua de bonis ipsis reciperet, occuparet vel haberet de cetero, quòd hoc faceret sicut persona aliena hospitata, & ex gratia speciali sibi modo & nomine accommodati, & cum intentione restituendi præmissa, nolens sibi inposterùm præjudicari, nihílque sibi retinens vel approprians in præmissis, sed volens esse contenta de præmissis tantummodò modo & forma supradictis. Cui protestationi Reverendus in Christo pater dominus HUGO miseratione divinâ Archiepiscopus Bisuntinensis, Executor Testamenti dicti domini Comitis fratris sui consensit, eidem dominæ annuens & concedens præmissa in modo & forma supradictis.

Actum & datum in Capitulo dicti Monasterii, Anno, Mense, die, Indictione, & Pontificatu prædictis; præsentibus nobilibus & potentibus viris dominis,

RENAUDO de Burgundia Comite Montis Beligardi.
HUGONE ejus fratre.
BERAUDO de Chenel.
Prædicto MILONE de Noyers Gardiano Burgundiæ.
JOHANNE de Coulenier.
JACOBO de Noserois.

Digitized by Google

Hugone de Neblans.

Guillelmo Deschan Castellano de Chastel Belin.

Petro de Billey.

Johanne de Balmer Militibus.

Pontio de Branc publico Notario, & copiosa multitudine Cleri & populi, ibidem congregatis testibus ad hoc vocatis & rogatis.

Nos autem Officialis Curiæ Bisuntinensis ad supplicationem dictæ dominæ Margaretæ nobis factam per dominum Garinum publicum Notarium infra scriptum mandatum nostrum ad hoc à nobis specialiter destinatum, cui quantum ad hoc vices nostras commisimus & committimus, & quod per eum factum est in hac parte ratum habentes confirmamus. Sigillum prædictę Curiæ Bisuntiensis duximus præsenti Instrumento apponendum unà cum dicti Garini signo solito & subscriptione, in testimonium veritatis omnium & singulorum præmissorum.

Actum & datum anno & die prædictis.

Et ego Garinus quondam Johannis dicti Tristel de Roseriis Tullensis diœcesis, publicus Apostolicâ & Imperiali auctoritate ac Curiæ Bisuntinensis Notarius à prędicto domino Officiali, ad hoc & propter hoc specialiter destinatus, præmissis unà cum dictis testibus interfui, præsenti Instrumento inde confecto subscripsi propriâ manu: subscriptionem hujus vocabuli & debitis in octava linea manu meâ feci, & etiam approbo, ipsum Instrumentum in hanc publicam formam redegi, meóque solito signo unà cum dictæ Curiæ Bisuntinensis sigillo signavi à prædicta domina Margareta vocatus & rogatus.

Digitized by Google

JACOBI *Regis Aragonum & Majoricarum.*

Anno Christi 1313. *Ex membranis Domini d'Herouval.* Concessio Feudi facta à Rege Majoricarum.

LII. NOVERINT universi quòd nos Jacobus Dei gratiâ Rex Aragonum, Majoricarum & Valentiæ, Comes Barchinonę & Urgelli, & dominus Montispessulani, & ego BERENGARIUS de sancto Johanne Miles, volentes Instrumentum quoddam scriptum per Raimundum & Radulfum Presbyterum confectum inter NUNONEM SANCII Comitem Rossilionis defunctum, & inter BERENGARIUM de sancto Johanne, & GUILLELMUM de sancto Johanne quondam defunctum avunculum meum, & omnia singula pacta & alia in ipso Instrumento contenta renovare noviter, ac etiam confirmare ipsum instrumentum, & pacta omnia & alia in eo contenta, ut tunc facta seu inita fuerunt renovanda & confirmanda duximus in hunc modum: Quòd ego BERENGARIUS de sancto Johanne prædictus, fateor & recognosco revera vobis domino JACOBO Dei gratiâ illustri Regi Aragonum prædicto, quòd MINIMILLE quondam domina de Plano de Curtibus accepit in feudum justitias suas per OLIBAM quondam Comitem, cum charta inde confecta & firmata ab ipsis MINIMILLE & OLIBA Comite, scripta per Semofredum scriptorem. Cujus tenor talis est:

IN nomine Domini ego MINIMILLE domina de Plano de Curtibus accipio per te OLIBAM Comitem meum seniorem ad fevum* propter hoc quod me & meos semper manuteneatis & defendatis, & totas meas justitias quæ sunt meum alod de Plano curtis & de Boscheros & de Villarrello & de Olius sobira & inferius, & de Palatio & de Castelled.

* *Idest* feudum.

Et ego OLIBA Comes accipio te MINIMILLES & omnes successores quod ibi fuerint cum tota ista honore & totam aliam quam habes in mea guarda & defensione semper; & facio statutionem, & meus heres similiter faciat per omne tempus, ita quòd tu & tuos successores habeatis semper & teneatis justitias de parrochia Pla de Curts,

Digitized by Google

Idem * ad feudum.

& de alia tua honore à feu * per me & meos successores: & sic totum dono & firmo & laudo, videlicet homicidias, cugucias, firmancias & justitias, quod ibi esse possunt. Et insuper vobis dono omnes pasturales, aquas & aquales, boschos & meneres præsentia & futura, & piscationes sicut pertinere debent ad nostrum seniorivum de Paglauro quousque pervenerit ad Volun, & de termino de Cered, ad usque terminos ipsum Volo, & dictas ipsas tuas justitias, & dictas res seniorius, quas in Volone habes te & tuos emparo. Quòd si ego aut ullus homo venerit ad irrumpendum, non hoc valeat vindicare, sed firma & stabilis permaneat omníque tempore.

Facta est scriptura quinto Kal. Augustas, annò vigesimo secundo regnante LEUTARIO Rege filio LODENARII.

Signum MINIMILLE,

Signum OLIBÆ Comitis qui ista scriptura feudale seu donationis fecimus, & firmare rogamus.

Signum CIMDOFREDUS, & firmare rogamus.

Signum SPERANDEU,

Signum LUNESUS,

Signum LEUPORDUS,

Signum Vivazane. Et est factum in conspectu aliorum multorum proborum virorum.

Ego itaque BERENGARIUS de sancto Johanne recipio in feudum à vobis dicto Jacobo Dei gratiâ Rege prædicto dictas justitias modo prædicto. Et nos JACOBUS Dei gratiâ Rex præfatus accipimus vos dictum BERENGARIUM de sancto Johanne, & successores vestros quod ibi fuerint, cum toto isto honore & cum toto alio honore vestro quem habetis in nostra guarda & defensione semper, & facimus statutionem quòd heredes nostri istud idem faciant per omne tempus; ita quòd vos & vestri successores habeatis, & semper teneatis prædictas justitias pro feudo per me & omnes successores meos: & sic totum dono, firmo & laudo vobis prædictas & vestris, videlicet homicidias, cugucias, firmantias, & justitias quæ ibi esse possunt. Et insuper vobis dono omnes pasturas, aquas & aquales, boschos & menerias præsentes atque futuras

Digitized by Google

& piscationes, sicut pertinere debent ad dominum nostrum de Podio-laurono usque pervenerit usque ad terminos Voloni, & de terminis Curreti usque ad terminos prædictos Voloni, & de prædictis justitiis vestris, & de dominio quas & quod habetis in Volono vos & vestros emparamus.

Datum Barchinonæ sexto Kal. Augusti, Anno domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto.

Signum JACOBI Dei gratiâ Regis Aragonum, Majoricarum & Valentiæ, Comitis Barchinonæ & Urgelli, & domini Montispessulani,

Signum BERENGARII de sancto Johanne prædicti, quod prædicta omnia & singula concedo & firmo.

Testes sunt GAUCERANDUS de PINOS,

RAYMUNDUS de Guarda,

PETRUS de Villari-acuto,

ARNALDUS de Lertio, MAYMONUS de Castro-aulino.

Signum GUILLELMI de Rocha, qui mandato domini Regis & dicti BERENGARII de sancto Johanne hoc scribi fecit & clausit loco, die & anno præfixis.

Tenor verò chartæ determinationis & declarationis prædictæ est quod sequitur:

NOverint universi quòd orta contentione seu quæstione inter GUILLELMUM de Villa rasa Vicarium Rossilionis, pro domino Rege ex una parte, & BERENGARIUM de S. Johanne Militem ex altera, super justitiis civilibus & criminalibus Castri sancti Johannis de Plano de Curtibus, & mansorum de Vilariz el, & de Castelleto, quas justitias civiles & criminales dictorum locorum dictus BERENGARIUS de sancto Johanne asserebat ad se pertinere, tam ex privilegio & concessione & confirmatione domini Regis prædicti, quàm ex longo & antiquo usu & possessione: dicto Vicario in contrarium asserente, & dicente dictas justitias ad dictum dominum Regem tam de jure communi, quàm ex longo usu & possessione pertinere. Tandem dictus BERENGARIUS cum domino infante JACOBO venit ad perpetuam transactionem, determinatio-

Digitized by Google

nem, & declarationem in hunc modum:

Nos infans IACOBUS illustris Regis Aragonum filius heres Majoricarum & Montispessulani, Rossilionis, Ceritaniæ ac Confluentis per nos & nostros laudamus, concedimus & confirmamus vobis dicto BERENGARIO de sancto Iohanne, & vestris ad feudum omnes justitias civiles & criminales dicti castri de sancto Johanne & de Vilarizel, & de Castelleto, & cognitionem & punitionem dictarum justitiarum in hominibus dictorum locorum, & terminorum ipsius castris, & ipsis existentibus, exceptis homicidiis, raptibus virginum*, & aliarum mulierum honestarum, & crimine hæreseos, & crimine læsæ majestatis commisso contra nos, vel heredes, vel successores nostros, vel officiales nostros & successorum nostrorum, & curiæ domini Regis; & crimine falsæ monetæ, & falsi testimonii, & crimine merzinarum, & latrociniis publicis sive aggessionibus viarum & itinerum publicorum, & crimine furium qui bis pro furto jam fuerint convicti seu confessi; & exceptâ petitione pacis & treugæ, quas justitias superiùs exceptatas, & petitionem prædictam pacis & treugæ quoad cognitionem & punitionem in prædicto castro, & in prædictis aliis locis de Vilartzel & de Castellet, in hominibus in eisdē omnibus habitantibus, nobis & nostris in proprio retinemus, & alias autem justitias civiles & criminales extra prædictas vobis & vestris, ut supradictum est, ad feudum perpetuò ducimus concedendas, laudantes & confirmantes vobis ad feudum pasturas & aquas, & aqualia & nemora, & alia vobis concessa ad feudum per dominum Regem patrem nostrum, prout in Instrumento inde confecto continetur.

* cugutiæ supradicuntur

Et ego dictus BERENGARIUS de sancto Johanne laudans & approbans omnia supradicta accipio in feudum à vobis prædicto domino infante, nomine domini Regis & successorum suorum, prædictas justitias & alia à vobis superiùs in feudum mihi concessa, de quibus nomine dicti domini Regis facio vobis in præsenti homagium ore & manibus commendatum, & obligo heredes & successores meos in dicto castro sancti Johannis ad prædictum homagium faciendum.

Digitized by Google

Datum in Perpiniano Idus Februarii, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo nono. 1269.

Signum infantis JACOBI illuſtris Regis Aragonum filii heredis Majoricarum & Montiſpeſſulani, Roſſilionis, Ceritaniæ, ac Confluentis.

Teſtes ſunt ERMENGUALDus de Vergellis,
ARIES Juanys,
EYMERICUS de Pulcro-vicino,
SANCIUS Jordani,
ARNALDUS de Lupiano,

Signum PETRI, de Calidis qui mandato domini infantis Jacobi pro Petro de Capelladis Notario ſuo hoc ſcribi fecit & clauſit loco, die & anno præfixis cum litteris ſcriptis in linea duodecima ubi dicitur, *Et alia.*

Acta & laudata ſunt hæc per dominum SANCIUM Dei gratiâ Regem Majoricarum, & BERENGARIUM de ſancto Johanne prædictum in Camera Regia caſtri Perpiniani domini Regis prædicti, ſexto-decimo Kal. Julii, anno domini milleſimo trecenteſimo tertio-decimo, præſentibus 1313.
BERENGARIO de Ulinis domino de Cameſſella,
PETRO de Pulcro-caſtro,
HUGUETO de Tatione,
BERENGARIO de Petra-percuſſa, Militibus;
BERENGARIO de Argilageriis,
ARCHNO Urgellenſi,
ARNALDO Traverii judice,
Et ARNALDO de Codaleto Theſaurario domini noſtri Regis.

Ego GUILLELMUS Caſtelli hoc ſcripſi vice Scriptoris publici infraſcripti.

Ego LAURENTIUS Plaſenſa Scriptor præfati domini noſtri Regis Majoricarum, & ipſius auctoritate publicus Notarius ubique terrarum ſuæ ditioni ſubjectarum, hanc chartam ſcribi feci, & clauſi meo publico & conſueto ſigno.

Digitized by Google

Anno Christi 1313. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

Matrimonium contractum inter FERRANDUM *Regis Majoricarum filium, &* ISABELLAM *Guillelmi Achaïa Principis filiam.*

LIII. IN nomine Domini, Amen. Anno ejusdem Incarnationis millesimo trecentesimo tertio-decimo, octavo-decimo die mensis Februarii, duodecimæ Indictionis, regnante serenissimo domino nostro domino Rege FRIDERICO tertio, Regni ejus anno octavo-decimo feliciter, Amen. Nos TORNELLUS de Tornellier, Judex civitatis Messanæ, FERMUS de Lardea Regius publicus ejusdem civitatis Notarius, & testes subscripti ad hoc specialiter vocati & rogati, præsenti scripto publico notum facimus & testamur, quòd existentibus nobis in præsentia illustris domini FERRANDI infantis filii illustris quondam domini Regis JACOBI Regis Majoricarum bonæ memoriæ, & nobilis & magnificæ dominę, dominę MARGARETÆ, filiæ quondam domini GUILLELMI Ackay Principis dominæ Matagriffoni, prędicti domina MARGUARITA & dominus FERRANDUS vicissim animo obligandi consentientes, in nos prædictos Judicem & Notarium tanquam in suos, cùm scirent ex certa eorum conscientia nos suos non esse Judicem & Notarium, pariter sunt confessi, quòd cùm nuper contractum sit matrimonium inter eumdem illustrem dominum FERRANDUM infantem, & dominam ISABELLAM & ejusdem dominę MARGARITÆ & dicti quondam domini GUILLELMI filiam, quam dictus dominus FERRANDUS infans secundùm sacro-sanctę Romanę Ecclesię & Canonum instituta duxit legitimo matrimonio in uxorem; contemplatione prædicti matrimonii prædicta domina MARGARITA solemniter promisit eidem domino FERRANDO infanti assignare in dotem, & nomine dotis hinc usque per totum mensem Septembris primò venturum, sequentis tertiædecimæ Indictionis, nisi justa causa impedimenti supervenire

Digitized by Google

niret eidem dominæ Margaritæ, castrum & terram Mattagriffoni cum omnibs juribus, rationibus, hominibus, vassallis, casalibus, feudis, sive pertinentiis suis, eo salvo quòd dicta domina MARGARITA possit perpetuò concedere unam militiam alicui de quo sibi videbitur, de iis bonis quæ sunt in dicta Castellania.

Item omnes terras, casalia, castra, jurisdictiones, villanos, vassallos, & baronias existentes ubicumque extra castellaniam dicti castri Mattagriffoni, tam quæ dicta domina MARGARITA habet, quàm habere sperat vel habere posset in futurum, retento usu-fructu & possessione in vita dictæ dominæ MARGARITÆ prædictorum bonorum existentium extra dictam castellaniam, & eo quod dicta domina MARGARITA possit in suo servitio habere tot villanos, quot videbitur eidem domino FERRANDO infanti ad ejusdem domini FERRANDI infantis arbitrium, excepto casali uno extra dictam castellaniam, quod dicta domina MARGARITA debet habere pleno jure ad faciendum de eo quidquid sibi placuerit.

Item quia dicta domina MARGARITA asserit se habere jura in principatu Achaïæ vel Moreæ, in toto dicto principatu, vel saltem in ejus quinta parte, eadem domina MARGARITA in causam seu ex causa dotis cessit eidem domino FERRANDO infanti omnia prædicta jura sibi competentia quacumque ratione qualiacumque essent, sive in jurisdictione, sive in terris, vel feudis, constituens eundem dominum FERRANDUM infantem exinde Procuratorem in rem suam, si eum exinde experiri contingeret, promittens de prædictis juribus hinc inanteà nulli alteri personæ facere aliquam cessionem, vel quietationem sive remissionem sub pœna infra scripta.

Item quia eadem domina MARGARITA asseruit debere recipere ex causa mutui, vel aliâ causâ legitimâ ab heredibus quondam dominæ ISABELLÆ principissæ Achaiæ perparos viginti octo millium, prædicta domina MARGARITA ex causa dotis prædictæ cessit eidem domino FERRANDO infanti jura prædicta, constituens exinde eumdem dominum FERRANDUM infantem procuratorem

Digitized by Google

in rem suam, ut possit inde experiri, promittens etiam eadem domina MARGARITA dicto domino FERRANDO infanti de prædictis juribus nullæ personæ in futurum facere aliquam cessionem vel remissionem, nec quòd in præteritum de his aliquid alicui faciet sub prædicta infrascripta pœna. Item quia dicta domina MARGARITA asserit se habere jura in terra Calamettæ & in parte provinciæ Provinciæ, dicta domina MARGARITA cessit sibi ex prædicta causa prædicta jura.

Item prædicta domina MARGARITA convenit & promisit eidem domino FERRANDO infanti dare, & assignare, & tradere ex causa dotis prędictæ perparos quadraginta millium, computato perparo pro gillatis quatuor, de quibus perparis dicta domina MARGARITA assignavit manualiter eidem domino FERRANDO infanti in Florenis auri perparos decem & septem millium, & reliquos perparos viginti trium millium prædicta domina MARGARITA dare & assignare promisit eidem domino FERRANDO infanti per totum prædictum mensem Septembris primò venturum, dictæ sequentis tertiæ-decimæ Indictionis primò venturæ.

Item quia prædicta domina MARGARITA asseruit se debere recipere pro Comitatu Cephaliniæ perparos centum millium ex legitima causa, dicta domina MARGARITA cessit eidem domino FERRANDO infanti jura prædicta ex causa dotis secundùm dictam formam. Quæ omnia & ipsorum quodlibet prædicta domina MARGARITA promisit solemniter eidem domino FERRANDO infanti attendere, & inviolabiliter observare sub pœna infrà scripta.

Quòd si fortè prædictum matrimonium dissolveretur morte ejusdem domini FERRANDI infantis, veldictæ dominę ISABELLÆ, liberis ex dicto matrimonio susceptis, quòd de restitutione dictarum dotium fiat totum id quod jus & justitia suadebunt.

Quas dotes dictus dominus FERRANDUS recepit sub hypotheca & obligatione omnium bonorum suorum mobilium & stabilium, præsentium & futurorum.

Digitized by Google

Quòd si dicta domina MARGARITA contrà fecerit in præ dictis, vel in aliquo prædictorum, sponte se obligavit ad pœnam florenorum auri triginta millium eidem domino FERRANDO, legitimè stipulans ab ea solvendorum* solemniter promissorum* & tenere eidem domino FERRANDO ad omnia damna, expensas & interesse propter facta & facienda in Curia & extrà, rato manente pacto, omnibus & singulis supradictis in eorum robore duraturis, obligando eidem domino FERRANDO proinde pignori omnia bona sua mobilia & stabilia, præsentia & futura, ubicumque meliùs apparentia, tali pacto quòd pœna soluta, vel non, liceat eidem domino FERRANDO bona ipsius dominæ MARGARITÆ intrare, capere & vendere quæ maluerit, & de pretio sibi pleniùs satisfacere de sorte, pœnâ, expensis, damnis omnibus & interesse, occasione prædictâ factis & faciendis non obstante absentiâ, præsentiâ, vel contradictione ipsius dominæ MARGARITÆ, vel alterius pro eo voluntariè facta, renuntiando expressè in iis omnibus consuetudini civitatis Messanæ super pignoribus editæ, privilegio fori, seu legi *Si convenerit*, auxilio Velleirani Senatus-consulti quòd sit certiorata priùs à nobis Judice & Notario memoratis, juri hypothecarum, beneficio restitutionis in integrum, & omnibus & singulis generaliter juribus scriptis & non scriptis, quibus contra prædicta, vel aliquod prædictorum venire posset, vel se tueri vel juvare valeret. Unde ad futuram memoriam & dicti domini FERRANDI infantis cautelam factum est inde præsens publicum Instrumentum per manus mei prædicti Notarii FIRMI, nostris subscriptionibus roboratum.

* solvendos *p. in.* aut solvenda.
f. * solemniter promisit ea tenere ore,

Scriptum Messanæ, anno, die, mense & Indictione præmissis.

Ego TORNELLUS de Tornellis judex Messanæ.

Ego PERRONUS Guereius de Messana Advocatus testor.

Ego ANDREAS Guiterii de Turrillis testor.

Ego ARNALDUS de CASANO de Majoricis testor.

Ego frater RAIMUNDUS Dons Ordinis Fratrum Prædicatorum testor.

Digitized by Google

Ego FERMUS de Lardea Regius publicus Messanæ Notarius, rogatus pradicta scripsi.

PETRI *S. R. E. Cardinalis.*

Anno Christi 1316. *Ex membranis. D. d'Hervoval* Litteræ hortatoriæ ad transmarinam expeditionem.

LIV. REVERENDIS in Christo Patribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ceterísque personis Ecclesiasticis, & omnibus Christi fidelibus ad quos istæ præsentes litteræ pervenerint, Frater PETRUS miseratione divina sacro-sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha, Episcopus Rutenensis, & Sedis Apostolicę Legatus in partibus ultra-marinis pro negotio terræ sanctæ, salutem in eo qui pro redemptione humani generis dignatus est crucifigi. Quia tempus quo debent arripere iter suum illustres viri dominus de Claromonte, dominus Borbonensis & Camerarius Franciæ, ac JOHANNES frater suus, & multi alii nobiles & innobiles satis breve videtur esse sicut potestis videre per litteras alias vobis missas, major diligentia & providentia est adhibenda. Propter quod habito consilio peritorum non recedendo à contentis in aliis litteris, sed potiùs inhærendo pro felici expeditione passagii terrę sanctę ita exstitit ordinatum.

In primis quòd vos domini Prælati mandetis omnibus Curatis vestrarum Diœcesium, & Fratribus Minoribus & Prædicatoribus, quòd ipsi Dominicis diebus & festivis quando clero & populo prædicant verbum Dei, inducant Crucesignatos & alios qui sumere voluerint, quòd sibi taliter provideant quod possint à proximo festo Pentecoste venturo in uno anno arripere iter suum, & alios qui non ibunt inducant ut velint de bonis sibi à Deo collatis elargiri pro passagio antedicto, & preces apud Deum effundere pro eodem, ut possit fieri ad honorem ipsius & remedium animarum.

Item quòd in qualibet Diœcesi, videlicet in civitatibus duæ personæ idoneæ eligantur, quibus Curati Ecclesiarum reportent nomina illorum qui ire voluerint & quâ formâ, & auxilium quod invenerint & receperint à re-

Digitized by Google

manentibus & non euntibus ad passagium antedictum.

Item quòd illæ duæ personæ electæ in civitatibus, reportent aut mittant Parisius in scriptis per octo dies ante festum Pentecostes proximè venturum nomina illorum qui ire voluerint, & auxilium quod eis fuerit reportatum. Ita quòd scitis nominibus & aliis possint. fieri providentia de navibus & de aliis necessariis ad passagium antedictum.

Item quòd vos domini Prælati visis istis & aliis litteris, & sub sigillo autenticho retenta copia earumdem, & litterarum quas vobis mittit illustris vir regens regna Franciæ & Navarræ, reddatis originalia portitoribus earumdem, ut ipsa originalia possint aliis Prælatis qui non viderint præsentare. Et vos qui copiam receperitis sub sigillis vestris Curatis vestrarum Diœcesium copiam transmittatis, ut ipsi in isto opere quod Dei magis quàm hominis, possint dare clariùs operam efficacem. Unde vos requirimus & rogamus, ut in istis & aliis quæ videritis opportuna, & quæ vestro incumbunt officio, ad felicem expeditionem dicti sancti passagii pro honore Dei & remedio vestrarum animarum sitis adeò diligentes, quòd lux vestra luceat coram Deo & hominibus, & videant opera vestra bona, & possitis à Deo & hominibus meritò commendari.

Datum Parisius sub sigillo nostro die Veneris post festum beatæ Mariæ Magdalenæ, anno domini millesimo trecentesimo sexto-decimo.

IACOBI ARAGONIÆ REGIS, CAROLO *Regi Francorum.*

Anno Christi 1316. *Ex membranis Domini d'Herouval.* Restitutio à Rege Aragoniæ facta obnaves mercibus oneratas à suis militibus in mari sublatas.

LV. EXCELLENTI ac magnifico Principi CAROLO Dei gratiâ Francię & Navarrę Regi illustri charissimo consanguineo nostro, JACOBUS per eamdem Rex Aragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ, & Corsicæ, Comésque Barchinonæ, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vexillarius, Ammiratus, & Capitaneus generalis, salutem &

Digitized by Google

prosperos ad vota successus. Serenitati vestræ præsentibus intimamus, quòd nobili FRANCISCO Carrocii olim Ammirato nostro, dudum agente in partibus regni nostri Sardiniæ ad negotium acquisitionis castri Callari adversus Pisanos, & alios existentes in castro ipso, qui nostro dominio rebellarant, viriliter prosequente. Cùm anno præsenti quædam navis seu concha, cujus erat ductor sive patronus BERNARDUS de Ilario miles Narbonensis, diversis rebus seu mercibus tam mercatorum Narbonæ & Montispessuli quàm aliorum etiam onerata, ad dicti Regni Sardiniæ maritimam vicinam dicto castro Callari declinasset, & dictus Ammiratus dictam navim retinuisset cum rebus & mercibus supradictis: Nos dicta retentione percepta, quæ nostris voluntatibus supervenit displicens plurimum & ingrata, cùm nequaquam gentes vestras vellemus per nostras aliquatenus molestari, sed ut proprias pertractari: per nostras litteras postmodum iteratas jamdicto Ammirato multùm expressè dedimus in mandatis, ut dictam concham absolveret, & res & merces per eum captas integrè resarciret. Accepto namque per responsionem Ammirati præfati, quòd ipse ad occupationem processerat supradictam necessitate maxima perurgente, cùm negotium acquisitionis castri prædicti ex defectu pecuniæ esset tunc in casu & periculo deserendi; quódque res & merces jamdictas converterat in bellatorum nostrorum stipendia, & alia quæ impugnatio dicti castri, & ipsorum rebellium oppressio exigebant, nec præmissa vel aliqua de eisdem posse restituere quoquo modo; Nostram præsentiam adiverint procuratores dictorum mercatorum Narbonæ & Montispessuli, à nobis humiliter postulantes eis fieri satisfactionem integram de præmissis.

Nos verò considerantes dictam occupationem seu retentionem factam fuisse, ut præmittitur, per dictum Ammiratum & Officialem nostrum, per quem etiam res & merces prædictę in nostris negotiis, utilitatibus & necessitatibus fuerunt positæ & conversæ; ut nobis tam per assertionem dicti Ammirati quàm per pu-

Digitized by Google

blica documenta per dictos procuratores ostensa extitit facta fides: & affectantes per nos debitam satisfactionem fieri de eisdem per tres personas idoneas & fide dignas, præsentibus & consentientibus dictis procuratoribus, & rationes suas plenè ostendentibus coram eis, averationem seu extimationem omnium mercium & rerum captarum fieri & recipi jussimus, & ea omnia nobis, & nostro consilio recensèri.

Et tandem cùm de voluntate, & assensu procuratorum mercatorum supradictorum omnes res & merces prædictæ fuissent per personas prędictas quibus ea, ut est dictum, commisimus extimatæ, ad quantitatem triginta unius mille trecentarum viginti trium librarum, septem solidorum, & sex denariorum Barchinonensium, inclusis in ipsa quantitate septem millibus librarum Barchinonensium pro sumptibus, damnis, & interesse totius præteriti temporis, & etiam pro interresse futuri temporis à dicta conventione inanteà subsequentis, donec esset eis integrè satisfactum solveretur eisdem per nos ultra prædicta interesse pro rata quantitatis prædictæ, ad rationem videlicet duodecim denariorum pro libra quolibet anno, cùm non possemus eis ut optabamus protinus plenam & integram satisfactionem facere de prędmissis, eo quòd acquisitio dicti Regni immensam requirens voraginem expensarum, ferè thesaurum Cameræ Regię exhausisset: cum procuratoribus convenimus memoratis, quòd dicta quantitas per nos eis infra triennium per tertias solveretur, nósque adjecto juramento promisimus solutiones ipsas præfixis terminis totaliter adimplere: adjecta, inter cætera, clausula, in obligatione & promissione, quæ inde jam fuerant ordinatæ, quòd si fortè nos vel nostri in dictis solutionibus, vel earum aliqua deficeremus terminis constitutis, & expectati postmodum per tres menses à quolibet ipsorum terminorum immediatè sequentes, solutionem vel solutiones ipsarum non adimpleremus, extunc dicti mercatores non expectata seu obtenta requisitione aliqua, seu facita à vobis vel vestris officialibus nobis facienda, aut facita justitia in nobis vel

Digitized by Google

nostris non habenda seu invenienda, nec aliis in clausula ipsa contentis possent adire vestram præsentiam pro marcha vel represalia habenda vel obtinenda casu prædicto, & vos possetis eam illis incontinenti concedere sive dare in toto Franciæ Regno, & prætextu ipsius marchæ officiales vestri possent pignorare, capere, seu marchare in mari & in terra ubique bona, res & merces quorumcumque subditorum nostrorum Regnorum & totius terræ nostræ, non obstantibus requisitione super ea nobis non facta seu facienda mora seu facita justitia, in nobis non inventa; aut aliis supradictis, & pignorata seu marchata vendere, & de eorum pretio eis satisfacere, prout in talibus & similibus marchis seu represaliis est fieri consuetum.

Præmissis autem sic existentibus ordinatis, Consiliarii & probi homines civitatis Barchinonæ, ad quorum notitiam præmissa devenerant, nobis humiliter supplicarunt, ut adjectam in promissione jamdicta (scilicet marcham, jamdicto casu concessam) clausulam supradictam faceremus à promissione hujusmodi amoveri, cùm asserrent, nostrâ reverentiâ semper salvâ, absque læsione & onere conscientiæ nostræ & peccati mortalis iucursu prædictam concessionem observari non posse, nec ad eam nos juramentum in ea oppositum astringebat, immo ipsius observantia nobis peccati laqueum præparabat ex causis inferiùs expressatis.

Nos autem volentes præmissa ipsis mercatoribus omninò servare, quatenus possemus absque reatu perjurii & peccati; & in dubiis præsertim, ubi periculum animæ vertitur, viam eligere tutiorem, præmissa omnia per religiosos viros in Theologica facultate peritos, non modicæ auctoritatis atque scientiæ examinari fecimus & discuti: Mandantes eisdem ut nobis super his consulerent quid agendum, exprimentes eis nostræ propositum voluntatis, per quod perpendere poterant placere & velle, si licitè fieri possent, quòd conventio supradicta effectualiter compleretur. Coram quibus propositis hinc & inde tam facti quàm juris rationibus facientibus, pro & contra, cùm ex eorum responsione sive consilio, matura

Digitized by Google

tura ac digesta deliberatione præhabitis, nobis dato, inveniſſemus juramentum, per nos appoſitum in clauſula memorata, quòd iniquitatis vinculum eſſe non debet, vergere evidenter contra juramenta licita & honeſta, per prædeceſſores & nos priùs diu præſtita, ſuper privilegiis, franchitatibus, & immunitatibus per nos & eos dictæ civitati Barchinonæ, & toti generali Cathaloniæ olim indultis, & pro quibuſdam conſtitutionibus, in generalibus curiis Cathaloniæ editis, obſervandis; nec fore obligatorium cùm perjurium induceret & peccatum.

Reperiſſemus inſuper promiſſionem ipſam ex natura rei pro parte noſtra fore illicitam, cùm ex ſe repreſaliæ, ut pote juri, rationi & æquitati contrariæ, utroque jure prohibitæ propter defectum juſtitiæ in Principe damnificante vel damnificantis domino adinventum, vendicent ſibi locum, & ex parte Principis, & domini damnificati ſint licitæ & permiſſæ, non tamen ſint licitæ ex parte Principis, ob cujus eſſent culpam vel negligentiam concedendæ, propter quod conventio per nos facta, cum clauſula ſupradicta inſerta, quòd poſſent videlicet ex præmiſſis noſtri ſubjecti pignorari, cùm mortale peccatũ & perjurii reatum includeret, erat penitùs revocanda.

Nos cùm dicti mercatores ſuper præmiſſis nobis proteſtati fuiſſent habito dicto conſilio, quòd latiùs & pleniùs in reſponſis à nobis dictæ proteſtationi deſcribitur, eis reſpondimus, quòd amotâ pignorationum clauſulâ ſupradictâ, cùm eam ex cauſis jamdictis ſervare non poſſemus abſque diſpendio ſalutis æternæ, parati eramus, & nos paratos obtulimus ſolutiones facere ſupradictas terminis conſuetis, & obſervare cetera contenta & concordata inter nos & eos, & mandare tradi eis libenter & incontinenti Inſtrumentum dictæ promiſſionis, amotis his de quibus repertum eſt inducere animæ noſtræ periculum, ut ſuperiùs continetur.

Igitur ad notitiam veſtræ magnificentiæ deducentes præmiſſa, eamdem cordis affectione rogamus, quatenus attento quòd nos in præmiſſis fecimus quod potuimus, & penſato de dictis expenſis innumerabilibus per nos in

Digitized by Google

acquisitione dicti Regni Sardiniæ factis, quæ nostrum thesaurum, ut prædicitur, exhauserunt, placeat, & velitis mercatoribus antefatis marchandi seu pignorandi bona subditorum nostrorum non concedere, sed potiùs denegare, cùm nos intendamus prædictis mercatoribus damna passis solutiones facere supradictas, terminis antefixis, cùm interesse temporis præteriti & futuri; sed dictos potiùs inducere mercatores, ut præmissa per nos & eos concessa, & communiter concordata velint recipere, quia nos adjecta clausula supradicta parati sumus quod illis promisimus secundùm formam condictam, aut aliis modis seu obligationibus vel securitatibus decentibus adimplere, ipsásque solutiones facere terminis prætaxatis. Consideratis etenim considerandis, utriusque subditis providebitis, & nos iis vehementer habemus placitum atque gratum, parati prosperis bonis debitis, & intima dilectione quibus conjungimur, Magnificentiæ vestræ in multò majoribus respondere.

Datum XIII. Kal. Decembris, anno Domini. MCCCXXVI. subscriptum.

REGIS FRANCIÆ RESPONSIO.

LVI. MAgnifico Principi JACOBO Dei gratiâ Aragonię & Sardin. Regi illust. consanguineo nostro carissimo, CAROLUS eadē gratiâ Franciæ & Navarræ Rex salutem & dilectionem sinceram. Cùm per vestras nuper litteras nobis feceritis aperiri quod super eo quòd Franciscus Carrocii Miles vester Ammiratus in partibus regni vestri Sardinię quandam navim mercatorum quorumdam Narbonæ & Montispessuli, ac aliorū regni nostri Francię pluribus mercaturis onustam retinuerat, & in usus vestræ guerræ converterat dicti regni, quæ per alias nostras litteras prędictis mercatoribus nostris restitui rogavimus regiā majestatem, vos cum procuratoribus mercatorum ipsorum suo ad hoc interveniente consensu de valore navis & mercium prædictarum, quæ vos extimari fecistis sibi per tres annos exsolvendo conveniistis. Serenitati regiæ notum fieri volumus quòd consideratione personæ vestræ,

Digitized by Google

quam nobis charissimam reputamus, & favore prosequimur speciali, prædicta conventio nobis placet, regiam amicitiam deprecantes quatenus solutiones super dicto valore per vos ordinatas, taliter statutis ad hoc terminis complere curetis quòd ad nos ob defectum solutionis nulla de cetero quæstio referatur, ita quod circa hoc non oporteat nos aliter providere dictis mercatoribus de remedio opportuno.

Datum Parisius duodecimo die Januarii, anno Domini MCCCXXVI.

IOHANNIS PAPÆ XXII.

LUDOVICO *Duci de Borbonio.*

Anno Christi 1332. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

Dispensatio juramenti.

LVII. JOHANNES Episcopus servus servorum Dei, Dilecto filio nobili viro LUDOVICO Duci Borbonensi salutem & Apostolicam benedictionem. Sincera paternæ dilectionis affectio, qua te tuis claris exigentibus meritis prosequimur, nos inducit, ut tibi super his quæ tuæ concernunt salutem animæ, quantum cum Deo possumus, salubriter consulamus. Sanè ad nostram deduxit notitiam relatio fide digna, quòd tu dudum in terræ sanctæ ac Christicolarum partium transmarinarum subsidium ferventi concepto proposito transfretandi, te civitatem Parisiensem minimè intraturum, quousque hujusmodi compleviss Domino tibi auxiliante propositum, emisso voto & præstito juramento firmasti. Nos igitur attendentes quòd circa tractatum passagii transmarini, quod carissimus in Christo filius noster PHILIPPUS Rex Franciæ illustris, accensus zelo fidei & magnæ devotionis assumpsit; qui quidem tractatus habitus est, ut accepimus, & haberi speratur frequenter in civitate jamdicta, tua existere noscitur præsentia multipliciter opportuna, quódque dicti voti seu juramenti observatio, de non intrando civitatem eamdem dicto passagio non posset proficere sed obesse; ex his & aliis certis considerationibus nos rationabiliter in hac parte moventibus; & quia præfatus Rex super iis etiam propter utilitatem dicti pas-

Digitized by Google

sagii aliàs nos rogavit: te ab observatione voti & juramenti hujusmodi tenore præsentium absolvimus, & penitus liberamus. Ita tamen quòd propter hoc concepto proposito & voto cuicumque per te de transfretando emisso, quin illa in eodem passagio vel quamprimùm opportunum & utile videbitur compleas nullatenus derogetur.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis & liberationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avinione tertio Nonas Februarii, Pontificatûs nostri anno decimo septimo.

Anno Christi 1314. *Ex membranis Domini d'Heronval.*

JOHANNIS PAPÆ XXII.

JACOBO *de Borbonio.*

Dispensatio consanguinitatis ad contrahendum matrimonium.

LVIII. JOHANNES Episcopus servus servorum Dei, Dilecto filio nobili viro JACOBO, nato dilecti filii nobilis viri LUDOVICI Ducis Borbonesii salutem & Apostolicam benedictionem. Providêtia Sedis Apostolicæ circumspecta, sublimium personarum conditiones & status prudenter advertens, & considerans diligenter quòd eorum inclyta devotio gratiam promeretur, eis concedere consuevit interdum, quæ meritò denegat aliis, maximè cùm speratur probabiliter, quòd ex hoc eorum sincera devotio erga Deum & Romanam Ecclesiam augeatur. Sanè carissimi in Christo filii nostri PHILIPPI Regis Franciæ illustris, cujus existis consanguineus, petitio nobis exhibita continebat, quòd cùm prosapia generis domûs Regalis Franciæ adeò Domino faciente* creverit, & fuerit inter Principes & Magnates tam intra quàm extra Regnum Franciæ dilatata, quòd vix mulier juxta prædicti altitudinem generis condecens tibi copulanda matrimonialiter valet commodè reperiri, præfatúsque Rex ad caritatem & unitatem inter illos de dicto genere fortiùs observandam & rectiùs confovendam desideret,

f. * faveate.

Digitized by Google

quòd tu mulierem aliquam de dicto genere tibi tertio vel remotiori gradu, vel gradibus consanguinitatis, vel affinitatis conjunctam ducas (interveniente tamen dispensatione Apostolicâ) in uxorem: nobis humiliter supplicavit, ut providere super his tibi de opportunæ dispensationis gratia dignaremur. Nos igitur ex causis præmissis supplicationi hujusmodi benigniùs inclinati, ut cum aliqua muliere, quæ tibi ex altero vel utroque latere vel lateribus, ab uno vel pluribus stipitibus descendente, tertio consanguinitatis, aut quocumque alio remotiori gradu vel gradibus, ex uno vel pluribus lateribus conjungatur, sponsalia & matrimonium contrahere licitè (Concilii generalis & alia quacumque Constitutione contraria non obstante) valeas, tecum & cum eadem muliere, pro qua voluntate & consensu memorati Regis Franciæ, ut præmittitur, contrahes, auctoritate Apostolicâ de speciali gratia dispensamus, prolem exinde suscipiendam legitimam decernentes.

Sine consensu Regis matrimonium non contrahat.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ dispensationis & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Avinione nono Kal. Octobris, Pontificatûs *nostro* anno decimo-nono.

CONCILII BASILIENSIS.

Anno Christi 1433. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

LIX. SACRO-SANCTA generalis Synodus Basilienſis in Spiritu ſancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, Dilecto Ecclesiæ filio RODERICO de Villandrando Comiti de Ribadeo* salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Aliàs nobis de sincera affectione tua plenè scripsisti te atque tua offerendo huic sacro Concilio, quod nos gratissimum habentes, & ex bona intentione tua erga ipsum sacrum Concilium plurimùm gaudentes ad te rescripsimus, tuam bonam de-

Basilienses à Comite de Villandrando auxilium contra Petrum Episcopum Albanensem requirunt. *Vulgò* * Ribedieu.

Digitized by Google

votionem in Domino commendantes. Quod nunc etiam facimus parati semper ad quæcumque tibi & statui tuo beneplacita. Et quia dolenter intelleximus venerabilem Petrum Episcopum Albanensem Cardinalem de Fuxo, & ejus germanos cum magno exercitu in præjudicium & contemptum hujus Concilii hostiliter invasisse civitatem Avinionensem, & Comitatum Venexinum, timemúsque ne hujusmodi invasio partes illas in periculum & discrimen maximum provocet, Ecclesiámque scandalizet, te in cujus exercitu spem maximam posuimus cum quanta instantia possumus hortamur & rogamus, ut favoribus & auxiliis tuis velis illi civitati & Comitatui succurrere, & partes illas ne in detrimentum Ecclesiæ pereant, à talibus invasoribus custodire, omniáque remedia salutaria & opportuna circa ejus protectionem adhibere, quæ à te per dilectum Ecclesiæ filium Alfonsum Cardinalem sancti Eustachii, aut per suos quos in nomine suo dimisit, requirentur. Quibus omnibus ita subvenias, ita præsidiis, consiliis & favoribus assistas opportunis, quemadmodum in te speramus, quod ut facias te etiam atque etiam rogamus. Ex hoc enim Deum & universalem Ecclesiam quam repræsentamus tibi valde obligatos reddes, & nos in tuis negotiis paratissimos semper habebis.

Datum Basileæ VII. Kal. Junii millesimo quadringentesimo trigesimo-tertio.

Anno Christi 1453. *Ex Mss. cisterciensi à D. Jacobo de Launoy descripto.*

Epistola Reverendissimi in Christo Patris & domini domini Cardinalis Sabinensis, aliàs Ruthenensis, de expugnatione urbis Constantinopolitanæ.

LX. ISIDORUS miseratione divinâ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Episcopus Sabinensis, Ruthenus vulgarirer nuncupatus, Universis Christi fidelibus has litteras inspecturis salutem in Domino. *Audite omnes gentes, auribus percipite omnes qui habitatis terram*, David Propheta in sui præfatione Psalmi ait. Ego verò per

Psal. 48. 1.

Digitized by Google

hanc imitans propheticam vocem, sic memorabor. Audite hæc omnia omnes qui piam & fidelem partem orbis terrarum colitis, sancti, & fideles & ministri, Pastores & Principes omnium Ecclesiarum Christi, Præstites*, & Doctores fidei Christianæ. Universi quoque Reges & Principes; necnon universus populus Christicola Domini, qui vestram mundam & immaculatam animam omnipotenti & trino Deo offertis cum omnibus. Insupérque omnes, & super omnes vos qui Deo perfectè dedicati, & ab ipso sæculo seducti, & habitum angelicum vitæ monasticæ estis induti, & omnia temporalia abdicastis, & futuris atque æternis bonis Regni cælorum ea temporalia permutastis. Audite omnes sicut Domini mei Christi, & fidelissimi Christiani. Quoniam jam prope Antichristi præcursor Teuchrorum* princeps & dominus, cujus nomen est Machometa, qui illius primi principis hæresis, sed ut potiùs & veraciùs dicatis impietatis est heres. Qui multò magis nequam est quàm ille primus. Ille enim deceptoriis & mendacibus verbis homines imperitiores & insipientiores assentire urgebat; hic cum sua magna vi & potentia, & maximè ferro & suppliciis Christianos macerat & affligit, totalitérque nomen Christi de terra delere conatur. Tantum enim habet odium, & abominationem & iracundiam contra Christianos, quòd cùm ipse inspexerit suis oculis Christianum æstimans se maximè deturpatum fore & sordidatum, proprios oculos abluit & abstergit, qui talis inimicus fidei Christianæ apparuit & apparet, qualem nunquam homo in genus humanum vidit neque videbit. Hic enim felicissimam oculis omnium urbium, nunc autem infelicissimam & miserrimam Constantinopolitanam urbem expugnavit atque delevit.

* Præstites à præsto: ut Antistes ab Antisto seu antesto.

Id est. * Turcorum.

Quis meorum oculorum lacrymarum, & earum immensæ effusionis, & tantarum afflictionum & detractionum meminerit, & me dementem fore, & stupore & lethargiâ detentum minimè memorare præsumpserit? Præcipuè nunc me miseriis obvolutum, & hominem funditùs perditum, & sui modi vivendi oblitum esse intuetur.

Digitized by Google

Quanta mala & quam gravia supplicia Turcæ Christianis inflixêre,

Attamen etsi talis sum, qualem me fore existimo, aliquantisper me ad me ipsum reducens, hinc narrandi summam initium, & vestræ fidei res, ac quæ consequuta sunt dolenter narrabo, non tamen omnia quæ egit & quæ in præsenti agit, vel quæ hactenus in posterum est acturus offero me extracturum, immo cùm & permissione Dei Constantinopolitana urbs capta est, aliquos habitatores necavit, aliquos verò pedibus & manibus alligavit, & per collum ligatos ultra & extra urbem deduci mandavit. Dico enim tam nobiles quàm populares, tam Monachos consecratos quàm etiam alios simplices populares & feminas, virtute prædicta & nobilitate, vituperosè & indecoratè detractas, nonnullis injuriis, ac si meretrices & prostibulo institutæ essent trahebat, cædens & improbriosè* ac inhonestè eas vituperans, absque compassione & misericordiâ tanta & talia contra eas peragens, quanta & qualia de pecudibus quidem haud sine rubore quis diceret. Adolescentulos verò & adolescentulas, puellos & puellas à parentibus segregabat, & divisim eos vendebat. Infantes tam masculos quàm feminas coram suis parentibus perdebat; matres filiis privabantur, & filii matribus, fratres fratribus; uxores à suis viris, viri ab uxoribus miserè plorantibus, languentibus linquebantur; qui & quæ disjuncti & ad partes Orientis seducti, vendebantur per totam Europam. Patres autem orbati sunt filiis & filii patribus. Quorum lacrymas & verba plena doloribus quis umquam tam compos mentis ac linguæ posset explicare quibus fungebantur dum segregabantur? Sorores cum sororibus oscula conferebant, hinc nobis dicentes, quæ nostrarum alteram videbit, & verbis assuetis fructus dulcibus & jucundis? Illi enim & illæ, qui paulò antè Nobiles & Principes fuêre, servis suis deteriores effecti sunt, qui & quæ homululis* ductoribus porcorum & pecudum etiam vilissimis personis effecti sunt famuli & subjecti.

* Impropriosè.

* Pro homunculis.

Cogebantur etiam nonnulli teneri nefariè, negatores fidei Christianæ de Adolescentulorum numero & à decennio

cennio & infra fieri, & suæ neglectæ despectæque & irregulatæ fidei adoratores fiebant. Etiam iis tamen paucis de omnibus de tantarum rerum numero vobis censeo satisfieri. Servi usuras, quas intulerunt versùs sacra & templa sacratissima gloriosę Virginis MARIÆ & aliorum Sanctorum, contra imagines & reliquias eorum, versúsque sacratissimas ipsius Domini nostri JESU-CHRISTI ineffabiles ignominias & verba detestanda; quibus etiam freti sunt in sacra Evangelia ejus; etiam in libros Sanctorum & exornamenta templorum, & in sacra altaria tam latina quàm græca, & in sacras & divinas cruces; in omnia denique quæ honorabilia & venerabilia apud Christianos sunt.

Quis unquam absque suspiratione maxima & lacrimarum effusione, & magno tremore describere poterit? Illud tum propheticum verbum ilico est consummatum in ipsa expugnationis die: *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam, deturbaverunt* templum sanctum tuum*, sed potiùs sancta templa tua. Urbem namque Constantinopolitanam speluncam latronum nefariorum & lenonum sordidam, & furum impiorum habitationem, & residentiam malefactorum omnium constituerunt. Mox enim in templo eximio & præclaro sanctæ Sophiæ ingressi sunt, & sacratissimas imagines Sanctorum Sanctarúmque omnes pedibus conculcârunt, deturpârunt & diripuerunt, super quas omne genus vituperii, opprobrii & sorditatis indicârunt. Similia hiis & in sacra pella hoc est ornamenta egerunt. Hæc eadem apta* in sacratissimis flaminibus, qui in sacra altaria ascendẽtes & salientes vociferando jubilant, & Macometam ipsum hymnis & laudibus excolebant, & ut verum & maximum prophetarum omnium prophetam & destructorem fidei Christianorum omnibus intimârunt. Mox enim illi Teuchrorum nefarii & sublime Templi tegimen, ejúsque altæ & famosæ sanctę Sophiæ ascenderunt, & crucem ejus cacumini infixam dejecerunt & diripuerũt*. Quid dicam de sacris corporibus Sanctorum, quæ laniabant & devastabant, ac canibus porrigebant? Nonnulla alia hujusmodi agebant in sanctas stolas, quibus.

Psal. 78. 1. *al* * polluerunt.

f. * facta.

f. * Diruperunt.

Digitized by Google

imagines Dei & ipsius Virginis MARIÆ matris ejus, & sacratissimæ passionis & miracula Christi erant intexta atque depicta, deludendo & deridendo nostram sanctissimam fidem.

Nonnulla alia ulteriùs scriberem mala & inhonestissima opera ab ipsis peracta, quæ sacris calicibus injuriosè contulerunt, & tamen Memoriæ tradere totus tremo, & ulteriùs fari & scribere nequeo: tanta & alia mala sunt quæ temporibus suis linquo ut referam, & de malis peractis in omnibus Monasteriis & Ecclesiis Dei tam Latinis quàm Græcis. Quid denique dicam? vituperosè enim Monachos & sacra Monasteriorum & Ecclesiarum Dei detrahebant. Alia quidem nonnulla mala etiam egerunt in famosis & illustribus hospitalibus & aliis domiciliis, quæ nullatenus possent narrari, adeò sunt detestanda & exsecranda. Et nulli alteri personæ post creatos homines expugnationem & desolationem urbis adequare poterimus. Vidistis namque juxta illud propheticum verbum, quoniam de domibus eorum metus contrà etiam tremor. Mox enim nullum habitatorem intus reliquerunt, non Latinum, non Græcum, non Armenum, non Judæum, quos omnes actus & opera præfata propriis oculis vidi. Et ego ipse cum viris Constantinopolitanis omnibus unà passus sum, licèt de manibus impiorum me Deus eripuerit, ut Jonam de utero ceti.

Urbs igitur Constantinopolitana extincta, nec ullum sensum illa nunc habet, hâc etiam eâdem horâ & civitas Pera nuncupata extincta est, quam demum Teucri occupant & gubernant: cujus muros usque ad terram diruperunt, quæ servituti à Deo tradita est, qui non in exaltatione sacratissimi corporis & sanguinis Christi tintinnabulum aut nullam campanam pulsari aut sonari*, immo crucem quæ supra magnam stabat turrim, unà cum ipsa turri in ruïnam miserunt. Cujus denique civitatis totam rempublicam perdiderunt & destruxerunt, & Teuchrorum Principem eis in judicem constituerunt. Gabellas & nonnullas alias impositiones & gravamina omnibus à majore usque ad minorem ponere instituerunt. Misit enim per-

Adde * permiserunt, *aut quid simile.*

Digitized by Google

sonas à mare majus versùs opida Græca & Latina, gabellas & impositiones instituendo, ut reditus fructuum & proventus juxta institutionem eis traditam reddantur. Et quod pejus est, Christianis imperio suo subjugatis & serviendo subjectis bella detestanda contra Christianos reliquos unà cum aliis Teucris jubet fieri.

Hæc igitur sunt quæ hactenus à Teuchris exacta sunt contra Christianos: ea verò quæ de cetero contra eos excogitat, quis poterit enarrare? Primò enim dromones centum septuaginta inter parvas & magnas præparavit, & ad mare nigrum misit ad insulas Cyclades causâ suo imperio eas subjugandi. Deinde præparat se cum infinito exercitu ad tres urbes solidas & potentes juxta Danubium sitas transmigrare, & eas expugnare & devastare, videlicet unam quam Pensteium* nuncupamus, aliam Sondorobrium, aliam Colostadium. Et sic proponit totam transire Ungariam, eámque perdere & delere, ut neminem habeat impeditorem: quoniam in Italiam anno futuro transmigrare decrevit, unde jam anno præsenti hæc omnia agere introducit & proponit. Itaque præparat & præparare conatur galeas parvas & magnas, trecentas, naves magnas viginti & ultra, pedestrium & equestrium exercitum ultra centum millia. Et sic à Durano* transire ad Vramdisium.

f. * Pessium, *Pesser & Potzer.*

f. * Dona vo *id est* Danubio.

Hæc omnia non solùm agere disponit, verùm incipit facere. Quapropter deprecor, & exoro, atque hortor vos omnes Christianos, ut pro Christiana fide zelum & amorem pro libertate vestra suscipiatis, & inter vos primò pacem & unionem habere velitis, omnémque miseriam & pusillanimitatem ejiciatis quę inter vos etiam videtur; & induite vobis ipsis caritatem Dei & pacem, & præparate vos ipsos viriles & stantes & magnanimes: in ipsum Teuchrum multas habete naves, & magnum exercitum, Deo dante, unde numero decem valeant prælia & bella tanta ei fieri, ut firmiter quinquaginta de illis valeant prosternere. Magna enim est nostra virilitas, & usus bellandi magis aptus & idoneus, & gratia Dei solidior & constantior est super iis. Rursus deprecor atque exoro

Digitized by Google

ut hoc proponere & disponere vestris animis velitis. Ego autem Deo disponente veniam ad vos personaliter, & narrabo multa alia, quæ erunt valde congrua circa præsentem materiam. Spero siquidem in Deum, confido vos magnoperè festinare quæ audistis, & pro quibus vos deprecor audacter facere & exsecutioni mandare, valere vos, & omnia vobis esse facienda jubeo & feliciter vivere. Et tale bravium & magnam hanc coronam à Deo dignemini suscipere. Datum Cretæ in domibus presidentiæ nostræ sub sigillo nostro quo utimur, anno à nativitate Domini MCCCCLIII. die octava Julii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & domini nostri domini Nicolai divinâ providentiâ Papæ V. anno septimo.

PII PAPÆ II.

Anno Christi 1459. *Ex Mss. Cod. D. Claud. Joly Ecclesiæ Paris. Canonici.*

Responsio ad orationem Oratorum Gallicorum in celebri conventu Mantuano publicè habita, & divinitus uno spiritu pro sua excusatione recitata.

LX. RESPONSURI verbis vestris, insignes Oratores, quæ superioribus diebus ad nos habita longè plura continuerunt, quàm scripta nobis postmodum reddita, non audemus cum Salvatore nostro dicere, *Quis vestrûm de peccato nos arguet?* Sumus enim peccatores, non negamus, & iniquitate circumdati. Solus ille bonus, solus immaculatus & innocens agnus, solus irreprehensibilis in hoc mundo versatus est, quem digito Johannes ostendit dicens; *Ecce agnus Dei; ecce qui tollit peccata mundi.* Possemus tamen & audemus ipsis verbis uti, quibus Salvator usus est cùm impiè nefariéque cęderetur: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?* Verba nostra quamvis modesta fuerint, (& nihil à nobis dictum est impudenter, nihil insolenter) existimationem tamen vestram apud intelligentes & oculatos viros non parum læsere. Nam quid aliud insinuavit

Johan. 8. 46.

Johan. 1. 29.

Luc. 18. 23.

Digitized by Google

vestra oratio, quàm Siciliæ Regnum RENATO Regi exploratissimo jure deberi, & nos à rectitudinis tramite deviasse, qui illud alteri concessimus, & inclytam Francorum Domum de Romana Ecclesia optimè meritam negleximus atque contempsimus, ex qua RENATUS ipse natus est: hæc enim licet eâ reverentiâ exposuistis quæ hoc loco digna est, & qua tanti Regis Oratores uti decuit, reprehensos nos tamen & læsos esse his sermonibus nemo sanæ mentis ignorat. Licet igitur dicere cum Magistro & Domino nostro; Si malè locuti fuimus, idest, si quid injustè circa Regni Siciliæ dispositionem egimus, testimonium perhibete de malo, si autem bene quid nos cæditis?

Sed minimè hoc testimonium neglexistis. Ostendere conati estis multis rationibus Regnum Siciliæ ad RENATUM pertinere, cujus progenitores ab Ecclesia Romana investiti, possessionem ejus diuturnè obtinuêre, à KAROLO scilicet, quem primum in eo Regno vocant* usque ad hunc Renatum, quem ALFONSUS Rex Aragonum armis deturbavit. Etenim quamvis aliquando Hungariæ Reges, quos vocant Dirrachienses, Regnum illud obtinuerint, à Karoli tamen sanguine, ex quo illi descenderant, non abiit, jus autem Dyrrachiensium à JOHANNA prima ex voluntate ac decreto Romanæ sedis in LUDOVICUM Andegavensem Regem, sanguine Francorum genitum postea transfusumest, in quo successit filius sui nominis, & iterum nepos LUDOVICUS tertius, & denique RENATUS, de quo nunc agitur, & cui Regnum hoc non solùm ex concessione Romani Pontificis EUGENII, sed paterno & avito successionis jure deberi putatis.

* vocavit, *f.*

Commemorastis deinde Francorum in Apostolicam sedem præclara & multa merita, quibus postergatis* aut oblivioni traditis haud rectè à nobis esse factum contenditis, quòd Regnum Siciliæ in Aragonensem familiam transmiserimus. In quo non solùm nos, sed prædecessores nostros arguitis, & tum injustitiam, tum ingratitudinem Romanæ primæque sedis accusare videmini.

* postergare, *quasi* post tergum rejicere, posthabere, contemnere, omittere.

His nos morsibus impetiti, his colaphis cæsi, his vul-

Digitized by Google

nerati ſagittis ſumus ; ſic vos teſtimonium de malo veſtro perhibetis. Non dicemus hîc quod ex officio dignitatéque Sedis noſtræ competit : oves paſtorem ſuum non accuſent , neque reprehendant , non damnabimus feram tamquam ſurgat adverſus illum qui trahit in eam ; beatum Petrum Apoſtolorum Principem , cujus locum tenemus indigni , potiùs imitabimur , qui reprehenſus quòd Gentibus divertiſſet , rationem facti ſui reddere non recuſavit , neque beatum Leonem IV. ſi oportuerit ſequi pigebit , qui ad LUDOVICUM Imperatorem ſcribens : Nos , inquit , ſi quid incompetenter egimus , & in ſubditis juſtæ legis tramitem non ſervavimus , veſtro ac Miſſorum veſtrorum cuncta volumus emendare judicio. Sic enim ex humilitatis diſpenſatione ſæpe noſtri prædeceſſores factitarunt , ut rationem de omnibus etiam minimis redderent eorum quæ feciſſent. Neque enim tanquam *dominantes in clerum* , *ſed forma facti gregis* eſſe debemus , non ignorantes , poteſtatem in Eccleſia ad ædificationem non in deſtructionem nobis attributam , & quòd tantò promptiores ad reddendam rationem nos ipſos exhibere debemus , quantò majoribus cumulati donis & prævenri gratiis à Domino ſumus : nam multa quæ aliis eſſent minora & digna veniâ , peccata nobis capitalia ſunt : verum eſt enim quod ille ait , quamquam profanus & hæreticus auctor :

Leo IV. Papa.

1. Pet. 5. 3.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet , quanto major qui peccat habetur.

Quòd ſi piè & juſtè vivere præceptum omnibus eſt , hoc tamen Romanum Præſulem præ ceteris decet , qui gregis Dominici Paſtor & Caput Eccleſiæ , ſuo exemplo reliquos trahit : hunc non ſolùm eſſe propter ſe ipſum , ſed videri quoque bonum propter proximos oportet. Neque cuiquam tam neceſſarium eſt , quàm Summo Sacerdoti famam ſervare bonam , cujus neglectores teſtimonio Salomonis crudeles habentur.

Feretis igitur æquo animo , Præſtantiſſimi Oratores ; ſi noſtri nominis curam gerentes , innocentiam noſtram

Digitized by Google

tum ceteris omnibus tum Regi veſtro excellentiſſimo notam facere ſtudebimus, & de his quæ ſunt nobis objecta purgabimur. Etenim quamvis per infamiam & bonam famam tranſeundum eſſe Apoſtolus ait, ſummo tamen ſtudio innitendum eſt ut falſi rumores ceſſent, & boni nominis odor cuſtodiatur, & omnis calumnia procul abſit. Putabamus quidem Regem Franciæ nihil ſiniſtri de nobis credere, in his præſertim rebus quæ ſuam Serenitatem concernunt. Nam teſte Deo, cui mentiri ſceleratiſſimum eſt, ſuum honorem, ſuam gloriam & Domûs ſuæ claritatem, Regníque potentiam ſemper magni fecimus, & multa in ejus laudem publicè privatímque ſumus locuti; nunc de nobis cur malè ſentiat, & cur ſibi putet injuriatum, non poſſumus non mirari. Delatorum hæc jacula ſunt: ſuggeſſerunt impii pio Regi non vera, falſa calumnia nobis impoſita eſt. Angeremur cruciaremúrque vehementiùs, niſi ſciremus ſolitam eſſe Apoſtolicam cymbam ſæpenumerò fluctuare, & procellis agitari frequentibus. Semper virtutes invidia ſequitur, feriúntque ſummos fulgura montes. Symmachum & Damaſum prædeceſſores noſtros falſi accuſatores in magna dejecêre pericula. Nec Petro nec Paulo calumniatorum verba pepercêre. *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, nec ſervus major domino ſuo.* Salvatorem noſtrum alii vini potatorem, alii dæmonium habere mentiti ſunt. Quid mirum, ſi & nos vilis pulvis ac cinis labiis ſubjaceamur iniquis? Non dolemus quòd nos lingua doloſa proſequitur, ſed Regi optimo peſſimam linguam feciſſe fidem moleſtiſſimè & amariſſimè ferimus. Rectè Pithagoras hirundinem ideſt garrulum, & verborum relatorem in domo non eſſe tenendum monuit: & Propheta liberari ſæpe optat *à labiis iniquis & à lingua doloſa.* Matt. 10. 24. Pſal. 119. 2.

Vulneraverunt nos verba malorum, & apud ſapientem Regem velut ſtulti habiti ſumus; ſtultos dicimus, quia omnis injuſtus ſtultitiæ argui poteſt: Injuſtitia nobis & ingratitudo imputata eſt, quoniam RENATO Regi bene merenti jus ſuum abſtuliſſe dicimur: tolerabimus ne hanc infamiam? Et potiùs innocentiam noſtram & Apoſtolicæ ſe-

Digitized by Google

dis clementiam, justitiam, æquitatem, benignitatem omnibus ostendemus? Vos Regii Oratores filii estis Apostolicæ sedis, non audietis inviti matrem vestram objecta sibi diluere crimina; docti & justi estis; libenter quæ justa sunt audietis. Regem vestrum magnopere colitis, gratum vobis erit, illi nos nihil injuria tos fuisse verbis nostris intelligere: ipse quoque Rex, ut nostra fert opinio, quæ sibi de nostro in se aut suos odio relata sunt, ut falsa demonstrentur plurimum cupit: satisfaciemus desiderio suo, & vobis, qui & si vestra oratione existimationem vestram haud parum læsistis, non tamen vestro nomine loquuti estis, sed Regis, cui remotè à nobis agenti facile fuit falsa pro veris inculcare. Sed jam ad rem veniamus, vobísque per singula capitula respondeamus.

Objecta ab Oratoribus Regis Galliæ diluit.

Duo principaliter per vos proposita sunt, primum Januam respicit, alterum regem Renatum. In primo commendastis nobis nobilem populum Ianuæ, qui commendatissimus nobis erit & suis meritis & Regiâ contemplatione. Petivistis Archipræsulem ejus vrbis tamquam læsæ majestatis reum ad aliam Ecclesiam transferri. Obstat desiderio vestro decreta Summorum Pontificum, quæ Prælatos invitos non cognitâ causâ transferri prohibent: quod etiam in Concilio Constantiensi extitit repetitum. Placeat tamen vobis requirentibus causam adversum eum committere, & juxta canonicas sanctiones procedere.

Supplicastis deinde ut heredibus Perrini quondam Januensis Ducis in ea causa quam habuerat adversus mercatores Avinionenses, silentium imponamus. Non est moris nostri silentium cuiquam imponere, nisi causâ diligenter inspectâ. Suspendemus tamen censuras jam fulminatas ad aliquod tempus, ut interim negotium discuti possit, & justitia vobis favorabiliter ministrari.

In secundo principali membro quatuor capita esse notavimus: primum jus RENATI Regis illustris in Regno Siciliæ: secundum glorioſa Francorum gesta: tertium contumeliam eis factam: quartum ac postremum petitiones Regis concluſit. Reddenda est sua unicuique particulæ responsio succincta, & pro rei magnitudine brevis.

Digitized by Google

brevis. Nam quod primum dicitis, Regnum Siciliæ Regi RENATO deberi, neque probamus, neque improbamus priusquam causa discutiatur. Quòd si dicat aliquis, cur ergo indiscussâ & incognitâ causâ FERDINANDO regnum commisisti? reddetur inferiùs ratio: nunc tantùm hoc dicimus, nos vestro juri minimè adversari, neque ullam esse gentem cui de illo Regno magis quàm Francis faveamus, si constiterit eis jus competere. Nam cur nos Francorum genus excluderemus, quod tum nobilissimum, tum virtutis amantissimum est, ac de nostra Sede optimè meritum? Non exclusimus nos Francos, sed exclusos invenimus; non prætulimus aliquem sanguini vestro, sed prælatum invenimus: non viam novam reperimus, sed veterem tenuimus: nihil juri Francorum detraximus, quamvis Regnum ac Regni coronam FERDINANDO certo modo concessimus, sicut posteà suo loco ostendemus. Sicubi de jure contentio, nihil aliud nobis incumbit quàm partibus auditis jus reddere, qui Regni Siciliæ directum dominium Romanæ Ecclesiæ nomine nullo dubitante retinemus. Verùm sicut ea quæ de RENATI Regis jure dixistis, neque negamus, neque probamus; ita & illa manifestè atque apertissimè confirmamus quæ de gestis Francorum magnificentissimis, & eorum ingentibus meritis in medium attulistis. Magna est KAROLI Martelli, jam major PIPINI, maxima sequentis KAROLI, qui ob ingentia facta id Magni cognomen adeptus est, quod Alexander Macedo orbe subacto, & Gneus Pompeius, & Constantinus primus clarissimis rebus gestis meruêre: plena est iis omnis Francorum historia: nulla unquam ætas vestræ gentis gloriam conticescet. Nam quis *Danos Normannósque religionem Christi per Galliam persequentes compescuit? Franci. Quis Saxones totiens fidei Catholicæ rebellantes perfregit? Franci. Quis Bohemos ac Polonos Christiano nomini insultantes redegit? Franci. Quis Hungaros Pannonias devastantes coërcuit? Franci. Quis Longobardos Romanam diripientes Ecclesiam conterruit? Franci. Quis Græcos ex Campania atque Apulia expulit? Franci. Quis Saracenos Trinacria deturbavit? Franci. Quis citeriorem

Responsio Pii Papæ.

Præclara Francorum facinora explicantur.

* Videtur Pius rem augere per jocum ut elevet, & omissis veris, falsas Francis laudes tribuere. Nam Normannis & Danis victoribus agros dare coacti sunt Franci, adeò

Digitized by Google

eos compescere non potuerunt. Cum Hungaris & Polonis res Francis non fuit: illem nec Græcos ex Campania, nec Saracenos è Sicilia, aut citeriore Hispania expulerunt.

Hispaniam ex manu eorum eripuit? Franci. Quis Antiochiam, Ptolomaïdam, Alexandriam, & nostræ salutis officinam Hierosolymam ex Barbarorum dentibus aliquando extrahere præsumpsit? Franci. Qui usque ad Euphratem & Tigrim signum Crucis portare, ac ipsam Mesopotaniæ urbem* Christiano nomini restituere ausi sunt? Franci. Quis vexatam, laceratam, conculcatam, & omnibus modis à tyrannis oppressam Apostolicam Sedem in pristinam libertatem & gloriam reduxit? Franci.

Id est, * Edessam.

Non sunt hæc ignota; non potest abscondi civitas supra montem posita, nulla gens tam barbara, tam inculta, tam inhospita est, ad quam Francorum gloria non pervenit. Illustre gentis vestrę nomen in omne permanebit ævum: patres filiis, filii nepotibus in generatione & generationem nobilissimi sanguinis excellentiam & clarissima facta referabunt. Exigit sibi Francorum virtus monumentum ære perennius, quod nulla destruat vetustas.

Sed cur hæc ante oculos nostros commemorantur, qui nunquam ea negavimus, sed publicè ac privatim honoris causâ sæpè recitavimus? An ista commemoratio exprobratio est immemoris beneficii? Nemo qui vos audit, Oratores, alio sensu locutos putat. Et sanè ita est. Nam cur hæc vos retulistis majorum insignia? cur veterum imagines ante oculos nostros posuistis? cur triumphos & vestræ gentis trophæa commemorastis, & Romanam Ecclesiam suis adjutam juribus, nisi quod indigna perpessos esse Francos arbitramini, quibus post tot beneficia, tum religioni, tum fidei Catholicæ, & Romanæ Ecclesiæ præstita, Regnum Siciliæ est ademptum? Ingrata igitur Sedes Apostolica, ingrati & nos qui bene merentibus jus suum auferimus, indignis alienum concedimus.

Quæ beneficia Francis præstiterunt Summi Pontifices.

Excusanda est hoc loco sacro-sancta Romanæ & Apostolicæ Sedis auctoritas, & ab ingratitudinis nota eximenda tanta majestas. Ad quam rem necessarium est, ut & beneficia referantur, quæ Romani Præsules in Francorum familiam contulerunt: neque erit inutile & hanc partem cognovisse. Fatemur, magna sunt, neque quispiam parva dixerit, quæ Franci Romanæ Sedi præstite-

Digitized by Google

runt; ſed & mater Apoſtolica Sedes benemerentes filios ſuos non rejicit, nec laborantes in vinea Domini mercede debitâ fraudat, horum ſiquidem qui libata geſſere perpetuò memoratur; quæcumque hactenus potuit, quæcumque habuit in augmentum gloriæ, eorúmque ſalutis contulit, ſempérque ut domum illam præcipuam tenuit, cujus præſidio in ſuis adverſis ſe tueretur; ſic & primam habuit in quam omnem amoris, benignitatíſque ſuæ ſinum effunderet. Nam ſi vetera ſimul & nova recolimus, beneficentiſſima ſemper inventa eſt Beati Petri & Summi Præſulis cathedra cùm in ceteros omnes, tum in Francos, in veſtros. Inſiſtamus hîc paululùm, & quantum generi veſtro profuerit, quantum faverit, quantúmque conſuluerit animadvertamus. Quis vobis lumen fidei, quis legem Evangelicam, quis Chriſti ſacramenta, quis viam vitæ, niſi Sedes Apoſtolica monſtravit? *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino eſtis.* Eratis mancipia ſathanæ, nunc filii Dei per adoptionem facti eſtis: eratis gehennæ ſervi, nunc hereditatem Regni cæleſtis exſpectatis. Unde vobis hæc libertas, niſi per primam Sedem, quæ miſſis in Galliam atque Germaniam Prædicatoribus verbi Dei, exſtirpato lolio, boni tritici ſemen in cordibus patrum veſtrorum ſeminavit, & aberrantes Francos ad ovile Chriſti perduxit? Nihil his majus adinveniri poteſt, nulla his compenſari bona, nulla beneficia, nulla obſequia poſſunt: ſpiritualia hæc, & tam veſtræ quàm aliis nationibus communia.

Ad ſæcularia veniamus, & in his quoque multa ſunt quæ recenſeri poſſunt ab Apoſtolica majeſtate in Francorum proſapiam congeſta cumulatáque dona. Languebat eorum Regnum, & ad eorum interemtionem defluebat in manibus Childerici inutilis Regis: non tulit Zacharias anteceſſor noſter nobiliſſimi Regni ruinam, ſed miſſis Legatis Regem totondit, & in Monaſterio recluſit, Pipinóque qui Major domus eſſet & ingenio valeret, regimen, nomen & gubernationem commiſit. Atque ita ſervatum eſt Franciæ Regnum, & in gentem quæ nunc regnat derivatum, quod per rectam lineam in aliam fa-

Digitized by Google

miliam deferebatur: Nam Pippinus quamvis Francus; Regis ab sanguine natus, gradu tamen remotior erat. Hanc ille ex Apostolica Sede gratiam tulit, nec minorem filius ejus Karolus consequutus est. Nam cùm defuncto patre germanus quoque Karolomannus obiisset, uxor ejus Berta Hildegardæ uxoris Karoli gloriæ invidens, ad Desiderium Longobardorum Regem cum liberis confugit, quos ille benignè suscepit, existimans per eos Francorum vires se facile concussurum, præsertim si Romanus Præsul ex filiis Karolomanni alterum in Franciæ Regem inungeret. Prçsidebat tunc in Apostolica Sede Hadrianus primus, qui neque precibus, neque minis, neque promissis ullis flecti potuit ut impio Desiderii desiderio consentiret, quamvis exarchatus Ravennas, & omnis ager Ecclesiæ Longobardorum ferro diriperetur, & igne vastaretur: quæ res Karolo unitum Regnum retinuit.

Magnum hoc, sed majus illud, quod Leo tertius Romanus Præsul in eumdem Karolum contulit. Etenim Leone quarto, qui duos inter Constantinos imperavit, alterius filius, alterius pater, Italiam negligẽte, & in hæresim lapso, qui sculpturas imaginum exhorrebat prohibebátque, indignatus Leo Pontifex Maximus imperium de Græcis ad Germanos in persona magnifici Karoli Magni transtulit. Quid majus potuit Apostolica sedes præstare Francorum Domui, quàm eam Romano Imperio decorare, provinciarum dominam & principem populorum, gentium, nationúmque constituere? *Quid potui facere vineæ meæ*, (inquit Propheta in persona Domini) *& non feci*? honorata est præ ceteris Francorum gens, & in sublimi vertice montium à Romana Ecclesia susceptο Imperio collocata. Neque & vos asserere visi estis, dimidiatum Imperium ad Francos dimissum est, sive duo imperia facta, Græcorum alterum, Latinorum alterum. Numquam Romani Præsules hanc absurditatem commisissent ut hosti fidei gladium dimitterent. Totum & solidum translatum est Imperium. Sed Karolus ipse cum Hirene priùs Imperatrice, & Constantini sexti matre, & deinde cum Nicephoro Patricio, & cum eodem posteà Impera-

Digitized by Google

toris nomen adepto imperium partitus est: & quod totum accepit, dimidiatum retinuit, Orientales Græcis partes dimittens, sibi Occiduas servans: & quamvis Imperium ad eos Francos transierit, qui tum Galliam Germaniámque possidebant, & posteà in eis continuatum sit, qui Germanis præsunt, non tamen Franci qui remanserunt in Gallia, quorum Karolus soboles est, ab Apostolica Sede relicti sunt. Quis enim tot Pontificales, tot Metropolitanas Sedes in Regno Franciæ, nisi Romanus Pontifex erigi jussit? Quis tot privilegia, tot grátias, tot indulgentias vestris Ecclesiis ac Monasteriis, nisi Romanus Pontifex concessit? Quis Gymnasia literarum, Scholam illam Parisiensem orbe toto percelebrem & famâ claram, nisi Beati Petri successores illustraverunt, à quibus ea indulta consecuta sunt, quæ vix optare audebat?

Illud quoque quod à vobis relatum de Regno Siciliæ in Francorum familiam translato, quis non intelligit præclarum & maximum fuisse munus? Dicet fortasse quispiam, & vos Domini oratione vestra sentire videmini, occupabant tyranni Regnum, Manfredúsque armis potens expelli non poterat, largita est Romana Sedes quod sibi obtinere nequibat, donare quàm perdere maluit. Haud quidem ita est. Innocentius enim quartus Romanæ urbis Antistes, natione Januensis, cùm depositio Federico ex Gallia in Italiam rediisset, Neapolim se contulit, ibíque tamquam dominus est receptus; ad quem salutandum omnes fermè Regni Proceres concurrerunt, se suáque illi commitentes; inter quos etiam Manfredus fuit; neque dubium quin Regno toto potitus fuisset Innocentius, nisi morte inmatura rebus excessisset humanis. Nec minor spes successoribus afferebatur, si non minor illis animus, non segnior cura fuisset quàm Innocentio. Sed defuncto Alexandro quarto apud Avarinam *, qui successerat Innocentio, Urbanus quartus natione Trecensis, armorum curam & belli molestias ut par erat exsecratus, Karolum Andegavensem ex Francorum domo ad hoc Regnum vocandum censuit; sed priùs obiit quàm Karolus intraret Italiam: Intravit autem sub Cle-

Regnum Siciliæ ad Francos quomodo pervenit.

* Anagniæ.

Digitized by Google

mente quarto cum triginta triremibus Romam petens; ubi per annum Senatoriâ dignitate functus, & deinde cum conjuge Beatrice jussu Pontificis apud Lateranum Siculi Regni coronam adeptus, ad bellum profectus est, in quo victor, non sine magnis Ecclesiæ Romanæ auxiliis, possessionem quietam & tranquillam obtinuit. Fuissent & alii qui hoc oneris cum tanto honore & emolumento suscepissent cupidè, sed Liliatos, ut vos appellatis, præferendos omnibus censuit Apostolica majestas. Intrârunt Franci Regnum, eóque armis potiti, at non sine Ecclesiæ Romanæ presidio, quæ non solùm titulum dedit, sed etiam arma conjunxit, & anathema in hostes promulgavit, quod non parvi momenti fuit. Tenuerunt exinde Franci Regnum longo tempore (non verum infitior) Karolus, & item Karolus, & Robertus, & Johanna quæ prior dicta est, at non sine magno favore & magna ope Romanorum Pontificum. Neque enim Conradinus * Federici II. nepos, qui conflato numeroso exercitu ex Germania in Italiam venerat, ut avitum Regnum vindicaret, absque Romani Præsulis auxilio vinci capíque potuisset.

al. * Corradinus.

Johannes XXI. adeò Karolum dilexit, ut ei Græcorum Imperium committere cogitaverit, feciséque suo desiderio satis, privato Michaële Polæologo qui conventa Lugduni non servaret, nisi cogitationes actionésque suas repentinus interrupisset obitus. Simile studium fuit & Martini quarti qui Nicolaum tertium sequutus est. Ipse enim Senatoriam dignitatem Karolo restituit, Michaëlem Constantinopolitanum excommunicavit. Impedivit autem Martini conatus Siculorum novitas, & Petrus Aragonensis qui rebellantem Karolo Trinacriam advectus, eam cum valida classe subegit. Multa inter Karolum & Petrum terra maríque sequuta sunt prælia, & ab ingentibus cladibus concussum est Regnum, nec servari à Francis potuisset nî sedes Apostolica adjutrix fuisset. Captus fuit navali prælio Karolus secundus, & apud Aragoniam in carcere detinebatur cùm Karolus pater è vita excessit. Vacabant sine Principe, sine auxiliis Neapolitani,

Digitized by Google

Capuani, Gaietani, ceteríque Regni accolæ. Sed affuit Sedis Apostolicæ Legatus, qui consolatus afflictum & pæne desperantem populum, in fide retinuit, neque ullum Petrus Aragonensis apud Romanam Ecclesiam præsidium in venire potuit, quominus cum filiis & uxore extra Ecclesiam fieret, quoniam Francis fuisset injuriatus, Martinus quartus Anathema in eum promulgavit, quod etiam Honorius quartus gente Sabella natus innovavit. Nisi Romani Consules Francorum partes enixissimè adjuvissent, evanuisset in carcere Carolus secundus, & Regnum Siciliæ in alienas manus haud dubiè perveniisset. Quid Robertus Karoli filius hujusmet? Hic Romanam Ecclesiam sibi clementem & benignam expertus est. Qualia ei & quàm inexplicabilia cum Romano Imperatore Henrico septimo certamina imminebant, nisi Clemens quintus auxilio fuisset, qui etiam sui causâ Clementinam eam edidit, quam vocant *Pastoralis*.

Quid Karolus Roberti filius, qui Florentiæ dominatum obtinuit? Quos & illi favores Johannes XXII. adversus Vicecomites Mediolanenses præstitit? Qui etiam Johannes è gente Ursina Cardinalem, magni nominis virum, in Etruriam ut ipsi assisteret Legatum mittere non dubitavit. Quid Johanna? Numquid & ipsa hujus Sedis auxilia persensit? Fugerat ipsa cum secundo viro in Provinciam Narbonensem, cùm Ludovicus Rex Hungariæ ulturus fratrem, quem Johanna virum suum interfici jussisse ferebatur, in Apuliam trajecisset. At sequestro Romano Pontifice Clemente sexto, qui Legatum ad eam rem misit Guidonem Episcopum Portuensem, pax his legibus data est, ut Johanna Regnum recuperaret. Scissum est deinde Regnum, & ipse Francorum sanguis inter se collisus est. Nam cùm Ludovicus Rex Hungariæ iterum necis fraternæ memor Karolum in Italiam misisset, qui pœnas interfecti viri ex Johanna deposceret, & jam hic deletis Johannæ copiis & capta Neapoli, Regnum in potestatem suam redegisset, Johannámque nova in arce * clausam obsedisset: Ludovicus verò Andegavensis ad eam deliberandam cum magna equitum ma-

*Nova arx, Castelnovo.

Digitized by Google

nu in Regnum veniſſet, & jam Schiſma eſſet in Eccleſia Dei, & Franci atque Hiſpani Clementem ſeptimum, Romani & reliqui fermè omnes Urbanum ſextum Beati Petri ſucceſſorem putarent: ut quiſque Pontifex ſibi conſultum ratus eſt, ſic favores ſuos impertitus eſt: nec tamen à Francorum ſanguine Regnum receſſit. Siquidem & Dyrrachienſes & Andegavenſes Francorum à ſtirpe duxerunt originem. Urbanus ſextus primò amicus, deinde hoſtis Karolo Dyrrachienſi fuit, quem etiam Regno privaſſe fertur, cùm circumſeptus in Etruria ab eo detineretur, nec filio ejus Ladiſlao impuberi placatus eſt, cui & Regni poſſeſſionem adimere conatus eſt, & Ludovici Andegavenſis partibus favit.

Contrariam viam tenuit Bonifacius IX. ſucceſſor ejus, qui Ladiſlaum ad Regnum reſtitui & coronam mandavit, Ludovici fautoribus & amicis prorſus attritis. Derivatus eſt in partes Romanus Summus Pontificatus per varias manus uſque ad Johannem XXIII. qui Conſtantiæ in magno ſynodo durante Schiſmate depoſitus, cùm defuncto Bonifacio nono Innocentius ſeptimus, & Gregorius duodecimus, & Alexander quintus in Apoſtolica Chathedra ſediſſent. Johannes autem adeò partibus Andegavenſium favit, ut priùs Româ pelli ſuſtinuerit quàm Ladiſlao conciliari vellet.

Quid Martinus quintus? Quanta hic incommoda paſſus eſt, ut generi Andegavenſi ſerviret? Adoptaverat Johanna illa Ludovicum Andegavenſem ſibi filium: Id ratum Martinus habuit. Cùm mutaſſet Johanna propoſitum, & Alfonſum ex Aragonia vocaviſſet, non mutavit Martinus aut animum aut ſententiam, ſed amicus Ludovico Alfonſo ſemper infeſtus fuit. Invaſerat Brachius Peruſinus Aquilam haud contemnendam Aprutiorum urbem, eámque cinctam obſidione premebat: neque dubium videbatur quin eâ potitus, univerſum ad ſe Regnum traheret, tanta ejus inter belli duces auctoritas erat. Martinus collecto milite, & magnis copiis magno ære paratis, inter quarum Ductores Franciſcus Sfortia, qui nunc Mediolanenſibus dominatur, tum admodum adoleſcens

Digitized by Google

adolescens egregiam navavit operam, victus est in prælio Brachius captúsque, paulò pòst ex vulnere mortuus obses, & civitas liberata *, & Regnum Andegavensi familiæ Romanæ Ecclesiæ sumptibus reservatum. Cúmque Alfonsus modò unâ, modò alterâ viâ Regnum invaderet, & recentibus dietim classibus vigeret, semper Martinum adversum habuit, nec eo vivo potiri suo desiderio valuit, ab illius ducibus impeditus, & ab eo extra sacramenta & Communionem fidelium factus. Et quamvis graves hi essent Martini sumptus, non tamen destitit, quin omnia experiretur, per quæ Regnum, Alfonso negatum, ad Francos integrum deveniret: non aliter Samuël Regno David, quàm Martinus Andegavensi domino favit.

* Aquila scilicet.

Successit Martino Eugenius IV. & idem prosequutus, summâ vi Regnum Alfonso prohibuit. Missus est adversus eum Johannes Cardinalis Vitellus & Johannes Cardinalis Tarentinus, sæpe collatis signis & Regis & Pontificis copiæ inter se dimicârunt: & quamvis Renatus Regno excesserit, victúsque fuerit victori Alfonso cedere, Eugenius tamen illi non cessit, sed omnem belli molem in se suscepit. Incredibile fuerit, si auri pondus retulerimus, quod Romana Ecclesia pro servando Francis Regno profudit. Nam solus Eugenius longè supra quinquaginta millia auri nummûm in expeditionibus absumpsit. Tacemus rapinas, incendia, cædes & innumerabilia damna, quæ subditi Ecclesiæ pertulerunt; & Anconitanæ Marchiæ proditionem, ut multarum urbium rebellionem; quæ omnia passus est potiùs quàm Regi Alfonso blandiretur, Renato adversaretur, quem numquam reliquit. Sed neque Rex ipse Carolus, qui tempestate nostra Franciæ præsidet, ab Apostolicâ Sede relictus est: bis enim memoriâ nostrâ Cardinalis sanctæ Crucis in Galliam missus est, ut quieti ejus Regni consuleret; primò ex Martini decreto, secundò Eugenii. Nôrunt omnes cujus doctrinæ, cujus sanctimoniæ, cujus hic auctoritatis vir fuerit, ex cujus familia duo Romani Præsules adsumpti sunt, Nicolaus V. & Pius II. Ambo enim illius discipuli & contubernales fuimus, ambo ex illius schola

Digitized by Google

ad Apostolatum summum inscrutabili Dei judicio vocati sumus, in minoribus agentes: in Atrabatensi enim magno Conventu ei servivimus, sed Nicolaus major natu & meritis, majori loco apud eum fuit: fuit in eo conventu Legatus Apostolicus. Quamvis capitales inimicitiæ inter CAROLUM regem Franciæ & PHILIPPUM Burgundiæ Ducem vigerent, & odia hinc ac inde pæne implacabilia exstarent, alteri tamen alterum conciliavit, & pacem illam Atrabatensem confecit, ex qua Regnum Carolo firmatum est & solidatum, & afflictæ, laceratæque Francię quies data.

Sæpe in hunc modum Romana Sedes consolata est Francos, neque Regnum umquam in calamitatem lapsum est, quin vigili curâ nostri antecessores ejus saluti studuerint. Longum esset omnia commemorare quæ Franci ex Sede nostra receperunt beneficia: illud exploratum manifestissimúmque est; nulli umquam genti prædecessores nostros majores honores favoréque præstitisse quàm Francis. Quibus ex rebus non est cur prima Sedes ingratitudinis accusetur.

Tertia Francorum Legatorum objectio.

Sed dicitis tacitè, non bona opera esse quæ lapidentur*, sed mala, atque idcircò displicatis Regum Franciæ laudibus atque meritis, ad ea transiviſtis, quæ contra Liliatos sive per nos sive per nostros antecessores facta esse dicuntur. Tertium hoc vestræ orationis membrum, cui nunc satisfaciendum. Gravior hic locus ceteris est, in quo palam animadvertimus Regem vestrum de rebus gestis non bene instructum esse, nec vobis ipsis omnia cognita sunt: Multa enim quasi vera dixistis quæ sunt à vero remota. Non impingimus mod. stiæ vestræ mendacuim, nec quovis modo vos accusamus. Ex alieno relatu loquuti estis. Verba ipsa vestra cum grano salis, ut aiunt, pronuntiata sunt, audita & vobis commissa exposuistis. Illos pœnâ dignos censemus, qui vel Regi vel vobis ficta pro veris suggessêre. Mala illis mens, malus animus. Ut nocerent nobis, os in cælum posuêre; fulmina & flammas ore conceptas tenere non potuerunt: *Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero, loquuti sunt falsa. Sed*

* *Id est*, accusantur, damnentur.

Psal. 57. 4.

Psal. 26. 18.

Digitized by Google

mentita est iniquitas sibi: Et, *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum*. Magna vis veritatis, quæ contra omnes hominum insidias, omnes artes, per se ipsam facilè emergit. Rectè Pythagoras post Deum veritatem esse colendam affirmavit, quæ sola homines Deo proximos facit. Nihil veritate fortius, ut in Esdra legitur. Et in Evangelio Salvator noster se veritatem appellat. Consentiamus igitur veritati, eique caput inclinemus, neque recedamus ab ea: audiamus quod objiciatur. Psal. 63. 8.

Accusatur Engenius prædecessor noster, qui Alfonso Hispano & Renati hosti Regnum Siciliæ cõmisit; & Francorum sanguinem sprevit. Hæc injuria, hæc contumelia Regi Franciæ facta contenditur, vilipensa & cõtempta est nobilissima Domus, totâ eminentior Europâ, toto generosior orbe, de Romana Ecclesia optimè merita: indignum facinus, Aragonenses prelati sunt Francis. Et quid hîc respondebimus? Non desunt arma quibus adversantium tela repellantur. Non negamus Regnum Siciliæ Aragonensi commissum esse; sed hortamur Francos ut facta sua meminerint, & de se ipsis rationem reddant, & judicantes alios, ut jubet Pythagoras, stateram ne transiliant. Nemo sibi ipsi ignoscat: sæpe Deum odisse deprehenditur, qui se nimiùm diligit: & grandior in se ipsum pietas, in Deum impietas est. Acrem sui se judicem exhibere necesse est, qui alios lacessit. Intelligamus igitur dilucidè pressèque tum Renati, tum Eugenii opera, eáque hoc loco referamus: exinde mundus judicet, immo verò Deus, apud quem non est acceptio personarum, quis alter alteri fuerit injurius. Adversatus est diu Alfonso, ut dictum est, Eugenius, & potiùs extrema omnia passus, quàm illi Regnum committeret:

Justum & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni, mente movit solida.

Et quamvis Rex vester alieno auscultans consilio, novam quamdam legem & inauditam & incognitam priùs, quam Pragmaticam vocat, servari, atque Romanam Ecclesiam in juribus suis antiquis & diutiùs observatis tur-

Digitized by Google

bari permisisset: non tamen perduci potuit, ut Regnum Siciliæ, quod est Ecclesiæ peculiare, Francis adimeret: Sed obsessum in Neapoli Renatum quibus potuit auxiliis consolatus est, frumentíque copiam maximam atque vini magnam ei vim misit, quo clausum populum & fame pereuntem in fide contineret.

Cúmque paulò pòst armis Alfonsi cedens Renatus, ad Eugenium Florentiæ agentem venisset, ab eo benignè susceptus, investituram, ut aiunt, Regni tum primùm consequutus est. Ibi multa Eugenio promissa à Renato Rege, quæ minimè observata sunt, ex quibus quinque in hac parte referre libet, quæ suis in litteris continentur aureâ bullâ munitis, quæ apud nos custoditur. Primò enim auri quinque millia nummûm brevi se numeraturum promisit, quæ numquam posteà dissoluta sunt, & cùm pinguioris fortunæ fuerit, alia unum & triginta millia: neque hæc numerata fuerunt. Promisit Ecclesiam Arelatensem procuratori Eugenii tradere, non est tradita. Promisit curaturum se summo studio ut pragmatica sanctio deleretur; non est deleta. Non accusamus Renatum fractæ fidei, aut promissi non servati: Fortassis etiam sibi excusatio est cur hæc non fecerit, & aliqua sunt quæ non erant in sua potestate: ipse tamen Eugenio numquam satis excusatus est. Cùm ergo hinc Rex Franciæ Romanam Ecclesiam adversus consuetudinem progenitorum impediri sineret, & Renatus neque auxilia admitteret, neque promissa servata appareret: Illinc Rex Alfonsus patrimonium Beati Petri magnis exercitibus intraret, premerer, laniaret, & Franciscus Sfortia Vicecomes, nunc Mediolanensis dominus, agrum Picenum invasisset, & Basilienses sub nomine generalis Concilii excitaret turbas, cepit consilium Eugenius, quod Cardinales & viri prudentes sumendum pro tempore suaserunt: nunc non disputamus de jure inter partes, hoc est agendum in judicio. Pacem Eugenius ab Alfonso non utilem tantùm, verùm etiam necessariam accepit, eíque non solùm Regnum promisit, sed ultrò nonnulla de patrimonio Ecclesiæ oppida tradidit, inter quæ Tharentina fuit, quæ olim Anser apellata est.

Digitized by Google

Sic conſuetudo belli eſt, pax pro victoris libidine ſemper emitur. Iſtis cauſis Eugenius Siculi Regni titulum Alfonſo largitus eſt, cùm jam Renatus nec unam domum, nec unam terræ glebam in Regno poſſideret, & tamquam ſpem omnem vindicandi poſthac Regni prorſus amiſiſſet, arcem Novam quæ Neapoli adjacet hoſti vendidiſſet, & nonnullis fidelitatis juramenta remiſiſſet.

Nec Alfonſus ingratus Eugenio fuit; qui Picenos in obedientiam Eccleſiæ ſuis armis reduxit. Idem Eugenius Ferdinandum Alfonſi filium extra matrimonium natum, ad Regnum Neapolitanum ſive Siciliæ ſucceſſionem auctoritate Apoſtolica idoneum reddidit, cui præter genituræ maculam nil obſtabat, litteris & moribus egregiè inſtituto. Neque novum eſt hujuſmodi viros ad regni faſtigia provehi. Nam quamvis ſancta lex eſt, quæ vetito natos coïtu dignitatibus arcet (ſic enim incontinentia non parum coërcetur) & tamen vitium patris, non filii eſt, clariſſimos Reges tam ex illicito quàm ex alio minùs digno concubitu natos conſtat. Romulus ex Rhea Sacerdote natus, & Servius ex ancilla Romæ regnaverunt: apud Græcos Hercules clarus habetur, quamvis Alcmena eum ex adulterio genuerit; & Alexandrum Macedonem Orbis dominum Olympias ex alio quàm ex Philippo concepiſſe traditur; & Numida natus ex ancilla Maſiniſſæ incognita Regnum tenuit: inter Hebræos Jacob ex ancillis magnos ſuſtulit Patriarchas: Et Phares ex Thamar inde natus eſt, ex cujus progenie Chriſti nativitas ſecundùm carnem trahit originem: & Jephte meretricis filius Iſraël judicavit: Et Salomon ex ea quæ fuit Uriæ progeneratus eſt, cum qua lege noſtra matrimonium contrahere non licuiſſet. Et ne pluribus utamur exemplis, ſatis eſt Conſtantinus magnus, qui quamvis ex Helena ſtabularia (ſicut ait Ambroſius) genitus eſſet, Romani tamen Imperii Monarchiam conſcendit, & magnificè gubernavit: & Karolus etiam Magnus Karolum filium extra matrimonium genitum non ignobiliter Regno præfecit*. Nec plura in Eugenii Apologiam.

* Errat hoïc Pius. Nam Carolus Magnus Carolum præ ceteris filium natu maximũ habuit, ſed ex legitima uxore Hildegarde ſuſceptũ, qui tamen patri non ſucceſſit, cùm ante eum obierit.

Digitized by Google

Nunc ad NICOLAUM transeundum est, qui nationi vestræ amicissimus fuit, & tamen ALFONSO Regnum confirmavit, & FERDINANDI legitimationem ratam gratámque habens, extendit ampliavítque. Quod hîc si salvatur Eugenius, & Nicolaus salvus est. Ille privilegium dedit his quæ posteà sequuta sunt. Sed procedamus ulteriùs per tempora Nicolai. Flagrabat omnis Italia bello; hinc Alfonso Veneti socia arma conjunxerunt, inde Francisco Sfortia Mediolani potito Florentini ex fœdere juncti communibus viribus bellum administrabant: ardebant omnia, ubique cædes, ubique rapinæ, neque profana, neque sacra tuta erant. Elati Constantinopolitanâ victoriâ Turci, & impunè per Rasciam & Albaniam debacchati & extremum Hungaris excidium minabantur. Operæ pretium Nicolao visum est in tantis periculis de pace Italiæ agere, & arma quibus cives urgebantur in hostes vertere, conventus apud Neapolim dictus est: Eò Cardinalis Firmanus ex decreto Nicolai, Legati ex tota Italia se contulêre: inter quos tandem pax concluſa est & fœdus promissum; cujus tamen conservatorem Romanum Præsulem designârunt. In eo fœdere ab omnibus recepto inter alia cautum est, ut quæcumque cum Alfonso Rege ordinata essent, eadem omnia cum Ferdinando filio tractata & recepta esse intelligantur, quem futurum Regni successorem idem fœdus appellat: quod Apostolicæ Sedis Legatus amplexus est, omnis Italia recepit, & Nicolaus posteà ratum habuit & confirmavit. Similiter & Calixtus egit, & nos post coronationem nostram ex consilio Fratrum vestigia prædecessorum nostrorum sectantes, ne tam salutaris pacis vinculum solveretur, fœdus ipsum comprobavimus: sed de rebus nostris paulò pòst agemus.

Nunc expositis Nicolai & Eugenii operibus, quę quantum calumniari carpíve possint planè cognoscitis; ad Calixtum transeamus, quem magnificis verbis ac laudibus prosequuti estis, nec abs re. Fuit enim doctrinâ singulari præditus, & suo tempore civilis sapientiæ facilè princeps, & maximarum rerum experientiâ callens,

Digitized by Google

& qui multorum mores vidit & urbes. Dicitis hunc quamvis ejus nationis esset, cujus Alfonsus, illíque multa deberet, non tamen justitiam ejus tandem violare voluisse, sed filium ejus Regno privasse. Nihil horum negamus; verùm incivile est non totum referre: supplebimus nos quod vestræ orationi defuit & deficit. Calixtus enim mox ut Pontificatum adiit, id fœdus cujus supra mentionem fecimus ratum gratúmque habuit, eóque usus est cùm Jacobus Picininus Senenses bello quateret, adversus quem vi fœderis & Venetos & reliquos Italiæ Potentatus excitavit: neque Alfonso Regni investituram negasset, nisi Marchiam Anconitanam, & plura alia Regni feudo adjici petivisset. Alfonso autem vitâ functo, qua ratione incertum est, Ferdinandum quem ex fratre successorem Alfonsi in Regno Siciliæ acceptaverat, à Regno removit. Illud certum est, quòd Regnum Siciliæ non ad Francorum prosapiam, sed ad Romanam Ecclesiam devolutum esse declaravit. Testantur hoc ejus litteræ, & recens curialium exstat memoria: nihil dicimus, quod non in promptu probare possimus: si vixisset diutiùs providus & magnanimus Pontifex, vidissent omnes quò suus ferebatur & aspirabat animus, quem nemo Regnum hoc generi Gallico aut quærere aut servare arbitratus est. Non est igitur, quòd magnopere ad Renati causam assumatis facta Calixti, quamvis Ferdinando Regnum adimere conatus sit.

Ceterùm eo in aliam vitam translato, nos ei quamvis indigni & tanto ponderi prorsus insufficientes, ut Altissimo placuit suffecti sumus. Ad res nostras modò veniendum est, quas multi lacerant carpúntque. Homines sumus & fragiles, labimur, fallimur, decipimur, inviti tamen erramus, & cùm recognoscimus errorem, malumus illum cum nostro potiùs revocare rubore quàm cum subditorum scandalo, damnóque retinere. Verùm in hoc negotio Regni Siciliæ nihil factum est à nobis, quod reprehensione dignum existimemus, quamvis illud Ferdinando concessimus: sed accusamur quòd illegitimo & inhabili eximiam Regni dignitatem & coronam elargiti

Pius Papa se conatur deffendere.

Digitized by Google

sumus, quòd inclytam Francorum Domum sprevimus & abjecimus, nec Oratores Caroli & Renati audire dignati sumus. Hæc summa est accusationis, eò omnes orationis vestrę nervi tendunt. Parum est quod Eugenius, quod Nicolaus, quod Calixtus fecit. Pius est, qui Francos, qui nationem Gallicam, qui æquitatem justitiámque contemnit: in Pium omnia tela cadunt. Tolerabilia sunt quę nostri antecessores fecerunt: quod nos facimus, ferri non potest: illi excusati, nos injusti, nos ingrati, nos impii sumus, quamvis Pii nomine vocitemur. Sed non deest nobis animus quo purgemur. Dominus auxiliator noster, non timebimus quid faciant nobis homines: bonus & misericors Deus, qui non patietur tentari homines supra vires suas: neque nos impingi falso crimine sinet, quod refellere non valeamus. Comprehendimus vestris ex dictis neque vobis, neque Regi vestro veritatem omnem esse detectam, sed dicta esse quæ contra nos viderentur, tacita quæ pro nobis adduci poterant. Nam quod majus est sequi, an præcedere? Nos apertum à prædecessoribus iter sequuti sumus, & monstratam viam tenuimus; nihil plus egimus quàm nostros antecessores egisse reperimus. Dicat aliquis per viam publicam ne ambules, quod Pythagoricum fuisse præceptum Hieronymus affirmat: & hoc exponitur, id est, multorum ne sequaris errores: nos autem Eugenium aut Nicolaum sequi arbitramur, quos fuisse Præsules rectissimi judicii, & integerrimæ vitæ constat.

Sed aperiamus ampliùs innocentiam nostram, factáque nostra, non solùm exemplo & auctoritate, verùm etiam ratione defendamus; & quo in statu esset Ecclesia cùm summi Præsulatus adscendimus cathedram, ostendamus. Audite nunc, longa res est & breviter explicabitur. Invaserat Jacobus Piccininus agrum Ecclesiæ non ignobilis nostri temporis copiarum ductor; Assisiorum arcem per proditionem Præfecti arcis obtinuerat, & urbem exinde in potestatem acceperat; Nuceriam quoque invaserat, & oppidum Evarardi potitus, arcem summâ vi oppugnabat. Timebant vicini Fulginates, nec minùs Spoletani, quorum arcis

Digitized by Google

rum arcis Præfectus ad Piceninum inclinare videbatur, munitáque loca Ecclesiæ in manibus Catelanorum detinebantur: quos etsi fideles constantésque putaremus, nexus tamen & amor nationis timorem incutiebat ne cum Ferdinando sentirent, qui Regno Siciliæ nemine adversante potiebatur. Fuerat apud Capuam conventus Principum; omnes illi jurejurando fidem ut Regi suo præstiterant, nec una quidem vox audita fuerat quæ Renatum desiderare videretur. Quieta omnia in Regno erant: petebatur à nobis ut Ferdinandum investiremus; instabant Veneti jure fœderis; instabat Dux Mediolani; instabant Florentini: aiebant omnes non posse illi Regnum negari, quòd patris ultimâ voluntate, & omnium populorum assensu recepisset. Picininus, qui jam tria oppida Ecclesiæ occupasset, nisi Ferdinando cui militabat Regnum committeremus, maximum subditis nostris malum illaturus videbatur. Pacem Romani, pacem Umbri, pacem Picentes, pacem omnes per circuitum petebant: omnis mora gravis, omnis contradictio periculosa judicabatur. Nobis nihil antiquius videbatur, nihil animo nostro fixius hærebat, quàm conventum Christianorum facere, in quo de retundenda Turcorum insolentia, & Christianorum sanguine defendendo tractaremus. Imminebat Ecclesiæ gravissimum & periculosissimum bellum, si Ferdinandi postulatis adversaremur; nec nobis vires erant quibus resisteremus: nec Marsilienſis Episcopus à Renato missus aliud tulerat, quàm verba dubia & incertas promissiones; spes in Renato longinqua, & auxilium dubium, in Ferdinando propinquus hostis & apertissimum damnum: nec Rex Franciæ apud nos Legatum habuit, ut nobis persuasum esse videremus, quamvis Decanus Carnotensis Romæ tunc ageret, qui ad Calixtum missus Turcorum non Regni Siciliæ causam tractaturus venerat; & mortuo Calixto nihil habebat quod nobiscum ageret, nec verba ponderis habebat exstincta legatione, quamvis impulsus ab aliis aliquando nos in hac parte compellaverit. Quid faceremus? Armáne movere pro Regno ejus oportuit, qui nihil curare videretur, otio-

Digitized by Google

sam vitam domi agens? imparibúsne hosti viribus occurrendum illidendúmque muro caput fuit? Castra & arces Ecclesiæ perdere, patrimonium beati Petri dilapidare, subditos omnes rapinæ & neci objicere, defensionem fidei negligere debuimus?

Profectò non ita nobis & Fratribus nostris visum est, sed cùm aliud non possemus, Ferdinando potiùs morem gerere, quàm Romanam Ecclesiam tot periculis exponere, quàm religionis, quàm fidei defensionem negligere maluimus. Conceduntur enim multa necessitati, & inter duo mala minus eligitur. Quid igitur fecimus? Nil ampliùs sanè quàm antecessores nostri fecerant, quamvis illi Alfonso, nos Ferdinando Regnum commisimus. At cui Ferdinando? Nempe filio Regis, etsi non legitimè nato, auctoritate tamen Apostolicâ legitimato, & heredi à patre Rege destinato & instituto, & à Regnicolis recepto, nobis vi percussi pridem fœderis ab universali Italia commendato, Regni etiam possessori, sive ut vos vultis occupatori. Nihil juri vestro detrahimus, nec tamen huic tot favoribus munito aliter Regnum commisimus, quàm si necessarium esset, id est, si ad nos devolutum existeret, aut si illi jure hereditario deberetur. Et quis hoc damnare potest? Si pater ejus Rex fuerat, eúmque legitimatum heredem instituerat, injuria erat paternum Regnum ei negare: si nostrum devolutione fuit, licebat nobis cui vellemus dare: & illi dare voluimus: si ad Francos Regémve Renatum pertinuit, aut ad alium pertinuit, nihil ei dedimus, neque dare voluimus. Reservavimus enim nostris in litteris aliorum jura, quod antecessores nostri non fecerunt. Quid igitu calumniamur? Quid reprehendimur? Quis non intelligit pio Regi vestro & vobis dictas esse nugas, quibus persuasum est nos Francorum inclytam Domum Regno privâsse, qui neminem privamus, nemini jus abstulimus, nemini derogamus?

Objectionibus respondet.

At si devolutum erat, (dicat fortasse aliquis) præferendi fuerunt Franci. Prætulissemus, si tam propè fuissent quàm Ferdinandus, & non nobis tantum impendisset discrimen, atque necessitas coëgisset. At grave est

Digitized by Google

coronatum esse Ferdinandum. Certè si jure investitus est, justè quoque coronatus est: si jure caret, nihil ei corona confert. At populorum favorem ei conciliat. Cùm jussimus coronari, non erat favore opus, omnes ei populi Procerésque favebant: conventum insuper erat coronam illi dandam esse cùm peteret, quemadmodum antecessores nostri Eugenius & Nicolaus cum Alfonso patre convenerant. Non potuimus petenti negare, & promissis obviam ire. Nam si privati homines ex pacto tenentur, & Principes teneri non est ambiguum. Nihil fœdius quàm Princeps fidei fractor. Nota est nobis modestia & integritas vestri Regis: numquam ille ex nobis peteret ut promissa rescinderemus, quorum tanta vis est, ut Deus etiam ex his compellari possit, dicente Propheta: *Memento, Domine, verbi tui, in quo mihi spem dedisti.* Psal. 118. 49. Dicitis fortasse nos coronam non debuisse promittere. Verum est, si non licuit investire; at si licuit illud, & hoc licuit: sed de justo licitóque certamine contendentibus inter se partibus dimittamus. Nos si de facto nostro conveniamur, non reperiemur inermes. Et jam satis nostra in parte ostensa est rectitudo.

Nunc illud attingamus, quod de Aquilanis & aliis plerisque objectum est, quos se nobis dedere volentes rejecimus, ut asseruistis, ne Ferdinando incommoda daremus. Laus nostra hæc est, qui Ferdinando fidem conservavimus, neque parti vestræ injuriati sumus, cùm nobis illi, non Renato sese subjicere vellent. Nos certè nihil aliud facere decuit, sive ante investituram, sive pòst, ne Regnum divideremus quod tunc erat unitum.

Rursum & illud reprehendistis, quòd equites Regnum petentes, qui militare Ferdinando vellent, transire permisimus; qui ei adversarentur, his iter clausimus. Neque hæc negamus, sed decuit nos ita facere, & hoc quoque ad fidem nostram spectabat, ut salvum esse vellemus, qui ex nobis Regnum accepisset. Neque hoc Franci molestum esse debuit: neque ex vobis transitum petiit qui Renati causam esset acturus, cujus nominis in Regno mirum silentium erat. Princeps Tarenti primus omnium

Digitized by Google

adversari Ferdinando cœpit, non quia Regem eum esse negavit, sed quia insidias ab eo sibi paratas diceret. Nam quotiens ad nos scripsit, semper Ferdinandum Regem appellavit, nec aliud ex nobis petiit quàm securitatem, ne sub illo Rege periret: promittebamus id sibi. Ceterùm sumenti arma contra dominum ministrare auxilia non debemus, nequc ministrantibus locum dare, sed misimus Legatum, qui rebus inspectis Regni Regem Principi conciliaret, quod & factum est, Venetorum Oratoribus intervenientibus; quamvis posteà nova exorta dissidia simulatam fuisse concordiam ostenderint, ut ficta quæcumque diuturnitate rerum innotescunt. Nostri officii erat pacem in Regno quærere, ut sive Renati sive Ferdinandi sit, integrum potiùs quàm laceratum suo domino pareat.

Sed imputatis nobis, quòd Jacobo Picinino in Regnum transire volenti, quamvis Renato stipendia faciat, iter prœcluſimus. Nihil certè nobis de stependiis constat, licet vulgò ita feratur, cujus rumores sæpe inanes falsósque vidimus. Illud certum est iter à nobis Jacobum numquam petivisse. Sed arguitur negatio ex copiis quas misimus in Etruriam ex agro Bononiensi ac ex aliis gentibus, quos misimus Marchiæ Saltum & Apeninum tueri. Id nos tutelæ nostræ causa fecimus, veriti ne Picinini transitus, cujus non parvæ copiæ esse feruntur, agrum Ecclesiæ læderet, aut mutationem aliquam in oppidis nostris ut anteà faceret, in quibus plurimi sunt inquieti homines, & rerum novarum cupidi. Nec quispiam arguendus est si res suas diligenter custodit, in qua parte periculosius est nimis sperare quàm timere nimis.

Atque hoc modo singulis Objectionibus respondisse sufficiat: quòd si non omnibus verba nostra fidem faciunt, satis est nobis, quia nemo adversus ea quæ loquuti sumus absque mendacio loqui potest: Nunquam enim aut Regi Franciæ aut Renato nocere studuimus, sive facta nostra, sive vestra inspiciamus. Sed minimè pari modestiâ erga nos Renatus est; testis est ipse modestissimus Francorum Rex, qui Renati Oratores adversus nos multa lo-

Digitized by Google

quutos audivit. Teſtes ſunt quamplurimi Germaniæ Principes ad quos Renati litteræ pervenerunt, nos partiales ac injuſtos appellantes, qui Domum Franciæ Regno Siciliæ privavimus. Teſtes ſunt ſubditi ejus de Provincia & in Lotharingia, quibus imperatum eſt ne noſtra mandata ſuſciperent. Teſtis eſt Cardinalis Fuxi grandævus & fide dignus ſenex, qui ad nos ſcribens, idcircò litteris ſuæ legationis per Provinciam juſſu Renati non eſſe paritum affirmat; quoniam in earum calce Pontificatûs noſtri annus annotatus eſt. Nolentes enim & inviti referimus, non ut Regem Renatum ſugillemus, ſed ut noſtram obedientiam oſtendamus. Nam quantum ad Regem attinet, nos eum & pium & manſuetum exiſtimamus, & accuſari potiùs ab eo quàm accuſare eum volumus, & injuriam pati quàm facere. Audivimus Apoſtolum dicentem: *Non vos ulciſcentes, cariſſimi, ſed date locum iræ: Mihi vindictam, & ego retribuam.* Sed nec vindictam poſcimus, Deum potiùs rogamus & enixè precamur, ut huic Regi benignus ſit & clemens, quando per obedientiam publicè præſtitam Romanę Sedi & matri & alumnæ ſuæ reconciliatus eſt. Fuerat bonus & mitis Princeps, ut videmus: de veritate non bene inſtructus, & quod humanum eſt, credens ſe laceſſitum injuriis, non potuit tacere, non laceſſere: ſed citò ignis ſtipulæ conticeſcit, & exundans flamma deficientibus nutrimentis paulatim evaneſcit. Caveat tamen Rex ipſe, ne Sedem Apoſtolicam laceſſendo, eas incidat pænas, quibus vaſſalli contra dominos committentes plectuntur. Rom. 12. 19

Illud autem nobis grave, & Chriſtianę religioni periculoſum & valde noxium eſt, quia ſtante hoc Conventu Mantuano, & nobis pro tutela fidei laborantibus, claſſis Januæ armata eſt, & in Regnum miſſa, & novus ignis accenſus, & omnis Italiæ turbata quies. Non erant hęc tempora, quæ novas inter Chriſtianos lites cuperent: cum Turcis nunc depugnandum erat, pro fide, pro religione certandum; divinus honor tuendus, quem Turci conculcare nituntur. Quo loco ſatis admirari non poſſumus de providentia & intentione Regis, qui cùm annos duos &

Digitized by Google

viginti tacuisset, nunc demum arma sumere, & Regnum vindicare adorsus est iniquo & inopportuno tempore, idque clam nobis, ad quos directum hujus Regni dominium spectat, & de omni controversia in ea judicium. Quibus ex rebus apertè cognoscitis, potentissimi Oratores, non nos esse qui Carolo Renatóve clarissimis Regibus, vel Domui Franciæ sumus injuriati, sed potiùs nobis & Romanæ Sedi contumeliam irrogatam, quam pro Deo Salvatore nostro parvifacimus, scientes quòd cùm flagellamur, cùm vituperamur, cùm scandalum patimur, tunc Deo curæ sumus, dicente Scriptura, *Væ mundo à scandalis*; Et, *Quem Deus diligit, corrigit* & castigat.

Matt. 18. 7.

Hebr. 12. 6.

Quid Oratores Regis Franciæ à Summo Pontifice postulent.

Sed jam tempus est ut ad petitiones vestras descendamus, quæ hujus summæ sunt. Ut rescindantur quæcumque Ferdinandi gratiâ facta sunt; Regnum Renato concedamus, homagium ab eo recipiamus, Legatum mittamus, qui Renati partes consoletur, Ferdinandum terreat, huic favores accumulet, illi auferat: Picinino denique iter in Regnum aperiamus. Postulata hæc cùm audivimus, intelleximus omnes in sua causa nimis affectos esse, idque vobis accidere. Nam cùm paulò antè questi sitis, quòd inaudito Renato Rege, incognitâ causâ, Ferdinando Regnum commisimus; nunc tamen inaudito Ferdinando quæ sunt ei concessa rescindi postulatis. Cur hoc vestræ parti arrogatis, quod alteri non debuisse concedi affirmatis? Ut par pari referatur, dicat aliquis. Verùm hæc imparia sunt. Nos Renato nihil abstulimus, ut antè monstravimus; vos quidquid concessum est Ferdinando, retractari revocaríque petitis abrogando. Igitur audienda est alia pars, consultò maturéque procedendum est, ne sine causa jus quæsitum, si quod est, auferatur. Cúmque non ipsi simus, qui primò in Aragonensem jus Regni transmisimus, & adversarius vester magnam Regni partem obtineat, exigit ratio, exposcit æquitas, requirit consuetudo, jubet antiquitas priùs audire partes, quàm juris cujuspiam detractio fiat. Quòd si juris iter placet, deponenda sunt arma, & legibus disputandum. Nos æqui judicis partes tenebimus. Nam quid nostra interest, uter ves-

Digitized by Google

trûm possideat Regnum ? Quippe si discussâ causâ constiterit Renati Regnum esse, aut ei deberi, non solùm quæ petitis, sed majora horum faciemus.

De itinere Comitis Jacobi aperiendo nisi ab eo petatur, & nisi se Renato militare fateatur, non videmus quid respondere possimus: nec nobis satis est quia securitatem promittitis. Nam contra tenentes arma, sola post Deum securitas est in armis. Cognoscimus nostri temporis milites, & quantum eis credere oporteat, non ignoramus. Tritum est illud apud eos detestabile verbum : Si violandum est jus, regnandi causâ violandum ; & illud quoque verum :

Nulla fides pietásque viris, qui castra sequuntur:
Venalésque manus : ibi fas, ubi plurima merces.

Nos & armis, & orationibus piorum res Ecclesiæ servare studebimus: si decipiemur, si violabimur, ipse Dominus judex erit, qui ait Petro : *Modicæ fidei, quare dubitasti?* *Matt. 14. 31*
Præsentia & futura in manu Dei sunt, ipse nos secundùm voluntatem suam dirigat, & ad eam etiam vestrorum manus mentésque trahat, pacémque illis Christianam suadeat ; quâ nihil dulcius, nihil suavius inveniri potest. Etenim cur non potiùs dimissis armis, aut per communes amicos, aut legibus aut jure hæc lis Regni dirimitur? Si bellum eligitur, hoc est quod milites optant, equites hoc illi immortale cupiunt esse : hinc aluntur, hinc pinguescunt, hinc & ad Principatus & ad Regna conspirant*. Satius fuerit Regnum amittere, quàm eos alere canes, qui omnes regni opes, & ipsos denique Reges devorent. Adversus bellum & militum vota.

*Id est, adspirant.

Exposcit præterea tempus hoc, ut Christiani sepositis inter se odiis, concordibus animis atque studiis, ad tutelam fidei se accingant, & tela quæ viscera nostra fodiunt, Turcorum pectora feriant. Juvate nos, Oratores, & ingenia vestra intendite. Aperite media, excogitate vias quibus non solùm hæ lites Regni, sed aliæ quoque Christianorum controversiæ sopiantur : audiemus consilia vestra, judiciis vestris plurimùm tribuemus. Nolite nobis, nolite Christo deesse : Christi hoc negotium est,

Digitized by Google

Nihil deerit. Quidquid in nobis consilii aut auxilii erit, studii, diligentiæ, vobis & reipublicæ in hac parte cõmunicabimus. Nostro judicio nullo pacto ferendum, ut hæc Regni dissensio latiùs efferatur: aut pace, aut judiciis componẽda est. Si ferro dirimitur, actum est de Regno, & verendum ne hoc incendium per omnem Italiam latiùs evagetur. Injurioſi essemus & inimici patriæ, si pro nostra virili parte pacare Italiam non curaremus. Dissidentes in Germania Principes per Legatos concilia mus, & nunc viscera nostra patiemur evelli, Italiam lacerari, Regnum Ecclesiæ incendi, diripi, desolari? Non fient hæc nobis volentibus. In Turcos qui verè Christianus est, in Turcos armari debet, & Christiano parcere sanguini. Non debet Renato durum videri, si pro communi salute paululùm arma continere cogatur, qui per tot annos nullo rogante conticuit *. Cogitemus tandem quo pacto Regnum hoc quietum reddatur, & non sinamus portam hanc Turco aperiri. Nihil enim ille magis cupit, quàm vires Italicas inter se concurrere, ut tandem ab his vocetur qui fuerint debiliores; sicut in Græcia factum est. Dissidentibus enim inter se Constantinopolitanis Imperatoribus, vocati in auxilium Turci ab hiis qui erant inferiores, utrumque oppresserunt.

* Continuit.

Agite præstabiles Oratores, incumbite huic parti, consulite in medium quæ pacis sunt: Nam hoc potissimum est quod sapientissimum Regem vestrum nobis mandasse in litteris ejus vidimus. Intellexit sua prudẽtissima Serenitas, ad domandam Turcorum sævitiam, Christianorum pacem atque concordiam necessariam esse, ejúsque rei curam in hoc Conventu vestræ circumspectioni commisit. Exspectamus quæ media quærendæ pacis afferatis. Maximi & potentissimi Regis vices geritis, multum in vobis situm est: Imperator eo amino est, ut pax per omnem Christianitatem reformetur: idem propositum nostrum est. Si eò concurrit Rex vester, concurrent & alii quamplurimi, & cessabunt tandem civilia & intestina bella, vertentur Christianorum tela in hostes fidei, sentient Turci quàm valeat Christianus miles, & quantus in hostes assurgat

Digitized by Google

assurgat Christianus Rex vester, consensu populorum nationúmque vocitatur Christianissimus: magni honoris nomen gerit, servanda est & ad posteros transmittenda hæc dignitas virtute majorum quæsita. Verùm sicut Imperia ita & egregia cognomina hiis artibus retinentur, quibus ab initio parta sunt. Franci autem ab initio pro defensione & augmento Catholicæ fidei, pro tutela & gloria Romanæ Sedis nulla timuerunt pericula, nullos declinaverunt labores, nullos fugerunt sumptus, sed delicias, voluptates, Regna, Imperia, ipsam denique vitam pro communi salute contempserunt: & nunc in Europa, nunc in Asia cùm adversus inimicos Crucis depugnarent, Christianissimi jure merito vocati sunt. His nunc itineribus incedendum est, ut hereditas tanti nominis conservetur.

Venistis, Oratores, ad hunc Conventum, qui de communi Christianorum salute sollicitus est. Rex maximus & potentissimus vos misit, in quem oculi omnium respiciunt, cujus progenitores sæpe rem Christianam tutati sunt. Audiamus quam rebus afflictis consolationem afferatis. Non ambigimus quin vobis multa commissa sint. Consulite in medium quæ pacis inter Christianos, quæ belli contra Turcos sint, & spem quam de vestro adventu concepimus implete. Sapientes viri estis, & periculum in quo estis & sumus agnoscitis. Christi an Machometi lex plus valeat, in certamen jam venit. Ferus ille & terribilis coluber Evangelium nostri Salvatoris ex Asia deturbavit, Ægyptios, Afros, Mauros, & Hispaniæ partem suæ vesaniæ subegit, & diebus nostris Byzantium Regiam urbem & Imperii Orientalis quondam caput armis evicit, & usque ad Danubium & Savum signa protulit; jam Hungaris imminet, jam jam Germaniæ & Italiæ servitutem minatur: nec cessabit victoriam sequi, nisi magno resistimus animo. Tædet referre quanta patiuntur infelices Christiani, qui proximi sunt rugienti & sæviissimo leoni. In servitutem pueri capiuntur; matronæ ac puellæ libidinem fædissimæ gentis replere coguntur:

Digitized by Google

virorum alii cruces, alii palas subeunt, quidam exemplo Isaïę secti per medium animas tradunt, quibusdam etiam vivis in morem Bartholomæi cutis adimitur: nullum tormenti genus nostri non ferunt: non ætati, non sexui parcitur, sanguis omnium qui pereunt ex nostris manibus requiretur: jam Rusciani ætate nostra desciverunt à fide, jam Bohemi defecerunt. Bulgaria & Græcia tota Turcorum est, nisi Peloponnesi portio quædam; Albani exhausti sunt, Hungari fessi, Valachi exterriti, nisi opem ferimus, aut fugere, aut se se dedere, & cum perfido Machometo Christum blasphemare cogentur. Et nos interim miseri inter nos contendemus? Absint hæ lites, facessant jurgia, resurgat pax si non perpetua, saltem temporalis, donec Turcorum pestis ab Europa dejiciatur: quod facilè fiet, si magnus & pius vester Rex suas manus, suas operas interposuerit, & vos ipsi totis assurgatis viribus, consulendo, dirigendo, agendo, nihil omittendo, usquequò pace inter Christianos compositâ terrestris & maritimus exercitus ducatur in Turcos, adversus quos rarò sine Francorum sanguine feliciter pugnatum est.

De Pragmatica Sanctione.

Ceterùm quia pragmaticæ sanctionis superiùs incidit mentio, cujus secreta magis pulsavimus quàm aperuimus, urget nos congruentia, immo verò caritas, quâ genti vestræ devincti sumus, priusquàm finem dicendi faciamus, de ea aliqua libare, ne taciturnitas nostra indulgentia reputetur; & quod sanabile vulnus est, fiat mortale, & nos à consortio vestro oporteat abstinere; quoniam sicut in veteri lege sancitum est, supra omnem animam quæ mortua est non ingredietur Pontifex: quod teste Hieronymo proinde accipiendum est ac si dicat, ubicumque peccatum est & in peccato mors, illuc Pontifex non accedet. Cupimus sanctam esse Francorum gentem, & omni carere maculâ, & cum Apostolo dicere:

2. Cor. 11. 2. *Despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* At hoc fieri non potest, nisi hæc Sanctionis macula seu ruga deponatur: quæ quomodò introducta sit ipsi nescitis. Certè non auctoritate generalis Synodi,

Digitized by Google

nec Romanorum decreto Pontificum recepta est, quamvis de causis Ecclesiasticis tractatus absque placito Romanæ Sedis stare non possit.

Ferunt aliqui idcircò initium ei datum, quia nimis onerarent Romani Pontifices Regnum Franciæ, nimiásque pecunias corraderent. Mirum si hæc ratio Carolum movit, quem prædecessoris sui Magni Caroli decebat imitatorem esse, cujus hæc verba leguntur in Memoria* Beati Petri Apostolii. Honoremus sanctam Romanam « Ecclesiam & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis Sacer- « dotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ Ma- « gistra rationis. Quare servanda est cum mansuetudine hu- « militas: & licèt vix ferendum ab illa sancta Sede impona- « tur jugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus. « Non est credibile Carolum, qui modò regnat, suo sensu hanc pragmaticâ introduxisse. Deceptum putamus, & piæ menti suggesta fuisse non vera. Nam quo pacto religiosus Princeps ea servari siviſſet, quorum prætextu summa Sedis Apostolicæ auctoritas læditur, religionis nostræ vires enervantur, unitásque Ecclesiæ & libertas perimitur? Verbum durum, durius factum. Audite patienter, hortamur. Vulnera quæ putrescunt, non olei lenitate, sed vini potiùs austeritate sanantur. Non ponderamus causarum auditionem, non beneficiorum collationem, non alia multa quæ curare putamur. Illud nos angit, quòd animarum perditionem ruinámque cernimus, & nobilissimi Regni gloriam labefactari. Nam quo pacto tolerandum est Clericorum judices laïcos esse factos? Pastorum causas oves cognoscere? Síccine regale genus & sacerdotale suum*? Non explicabimus honoris causâ quantum diminuta est in Gallia Sacerdotalis auctoritas, & meliùs nôrunt, qui pro nutu secularis potestatis spiritualem gladium nunc exercent, nunc excludunt. Præsul verò Romanus, cujus parochia Orbis est, cujus provincia nec oceano clauditur, in Regno Franciæ tantùm jurisdictionis habebit, quantum placet Parlamento. Non sacrilegum, non patricidam, non hæreticum punire permitti-

Unde litæ

* *Id est fortè.* Sepulcro.

* *f.* sumi, simul.

Digitized by Google

tur, quamvis Ecclesiasticum, nisi Parlamenti consensus adsit; cujus tantam esse auctoritatem nonnulli existimant, ut censuris etiam nostris præcludere aditum possit. Sic Judex Judicum Romanus Pontifex judicio Parlamenti subjectus est. Si hoc admittimus, monstrosam Ecclesiam facimus, & hydram quamdam multorum capitum introducimus, & unitatem prorsus exstinguimus. Periculosa hæc res esset, Venerabiles Fratres, quæ Hierarchiam omnem confunderet. Nam cur Regibus, cur aliis Præsidibus sui subditi parerent, cùm ipsi superiori suo non pareant? Quam quisque legem in alium statuit, eam sibi servandam putet. Verendum est, ne propè adsit quod
2. Thess. 2. 3. Thessalonicenses videtur significare Apostolus, quia post discessionem hora peccati. Adventum quippe Antichristi sollicitant, qui discessionem à Romana Ecclesia quærunt, qualem præ se ferre videntur, quæ sub obtentu pragmaticæ Sanctionis fieri dicuntur.

Sed credimus hæc, ut antè diximus, Regi vestro incognita esse, cujus natura benigna est, & inimica mali. Docendus est & instruendus, ne pestem hanc debacchari ampliùs, & animas interficere sinat. Vos lucernæ estis ardentes coram eo, & candelabra lucentia in domo Domini: sic lucete, ut lux vestra tenebras omnes ac caligines pragmaticæ Sanctionis ex nobili & Christianissima Francorum gente depellat; solúmque lumen Solis, id est veritatis splendor & veritas eluceat. Quòd si Rex vester opera vestra fecerit, & vos mercedem recipietis à Domino, & par suis progenitoribus majórque per omnes Orbis Ecclesias, & in Romana potissimùm, jure merito & erit & vocabitur Christianissimus.

Digitized by Google

PII PAPÆ II.

JOHANNI *Duci Borbonij.*

Anno Christi 1463. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

Hortatur Ducem ut contra Turcos arma sumat.

LXI. PIUS Episcopvs Servus Servorum Dei dilecto nobili viro JOHANNI Duci Borbonii, salutem & Apostolicam benedictionem. Incredibili nos nuper lætitiâ affecerunt quæ dilectus filius JOHANNES Petide Consiliarius tuus nobis de ingenti tuo desiderio ad hanc sanctam (quam sine intermissione utcumque possumus in *Turcos* paramus expeditionem) proficiscendi retulit. Est enim id argumentum maximum non modò fidei & devotionis tuæ, verùm etiam miserationis & dilectionis ejus in te : qui obstrepere dignatur ad aurem cordis tui, ut exciteris & exurgas tandem in auxilium Christi sui. *Unde* pro nostra in te præcipua in Domino affectione congratulandum felicitati tuæ censuimus ; quòd in eam potissimùm militiam voceris à Domino, in qua tibi ac ceteris ejus meritis bonis Principibus vera laus, certa summáque victoria deesse non potest. Quid enim, fili dilecte, audivisti unquam, aut legisti ex omni tuorum memoria, illustrius præclariúsve quàm quod progenitores tui pro Christi nominis defensione gesserunt ? Habes ex tua familia ut nosti excellentes Principes, & divinum illum Francorum Regem LUDOVICUM, quem hodie inter Sanctos Dei veneratur Ecclesia ; quos possis & debeas imitari eò faciliùs, quò es Dei benignitate ad perferendos labores ætate & corpore robustior, ac proinde studiis militaribus ita à puero exercitatus, ut in ea ipsa re sive terra, sive mari bellum geratur, consilio, auctoritate & viribus plurimùm valeas. Quid quod oportuniori tempore statuere quicquam famâ & gloriâ tuâ dignum nequeas ? Perit fides nostra nisi occurratur. Ecce jam Christus denuò Crucem sumit, & relictis omnibus sequi canitiem nostram & imbecille corpus jubet. Offeremus Domino languores nostros, & pro te & Christi fidelibus orare non cessabimus, ut misericorditer agat nobiscum, *nec nos deserat in tempore malo.*

Digitized by Google

Quare, Princeps optime, aperi oculos tuos & vide afflictionem nostram, & simul patere eam mentem tuam piam ad hoc sanctum opus in dies magis accendi & inflammari, nec Spiritui sancto quoquo modo resistas, nec piis Ecclesiæ precibus, neque lacrymis nostris ad Dominum. Habebis nos comitem peregrinationis hujus; habebis inter ceteros avunculum tuum clarissimum Principem PHILIPPUM Ducem Burgundiæ, qui tibi in omnibus locis aderit; habebis denique in primis ipsum Unigenitum Dei filium, qui te ex omnibus periculis eripiet, & tandem efficiet ut de tua virtute, de tuis laudibus nulla unquam ætas ad gloriam sancti sui nominis conticescat.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, quinto Idus Januarii, Pontificatûs nostri anno sexto.

PAVLI PAPÆ II.
LUDOVICO XI. *Francorum Regi.*

Anno Christi 1464. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

Ludovicum Regem hortatur ad ferendum suppetias adversùs Christianæ religionis hostes,

LXII. PAULUS Episcopus Servus Servorum Dei. Carissimo in Christo filio nostro LUDOVICO Francorum Regi Christianissimo, salutem & Apostolicam benedictionem. Placuit omnipotenti Deo ad se evocare sanctæ memoriæ Pium prædecessorem nostrum, cujus morte intermissa est expeditio quam magno animo pro fidei defensione parabat. Nos autem qui divinâ dispositione in ejus locum assumpti sumus, debiti nostri esse intelligimus periculis Christianorum occurrere, Catholicam fidem tueri, & ad defensionem nobis commissi gregis omne studium animúmque convertere. Verùm quia sine divino auxilio nihil valet humana imbecillitas, ad Dei nostri clementiam recurrentes, illum quotidianis precibus & sacrificiis exoramus, ut viam nobis ostendere dignetur & modum, quibus immanissimi hostis potentia conteratur. Licet enim Omnipotens Deus sine ullo humano præsidio inimicorum suorum potentiam conte-

Digitized by Google

rere possit, fideles tamen suos ob id sibi cooperari vult, illos in persecutionibus & pressuris exercens, ut zelum probet & excitet Christianorum, & juxta Apostolum, *Qui probati sunt manifesti fiant.* 1. Cor. 11. 19.

Unde licet ærarium nostrum magnis prædecessoris nostri expensis exhaustum, multísque debitis gravatum invenerimus, omnia tamen auxilia præstare decrevimus, quæ secundùm vires & facultates nostras erogare poterimus. Et quia magna est & crescit in dies inimici potentia, & hostis acerrimi vigilantia non sinit diu quiescere, cui sine magno Christianorum conatu obsisti non potest, & non habet Apostolica Sedes unde tanta conquirat subsidia, nisi Christiani Reges & Principes opem ferant; nuper nacti opportunitatem Oratorum Italiæ Principatuum, qui ferè uno tempore ad præstandam nobis obedientiam concurrerunt, tractavimus cum ipsis Oratoribus Principum Italiæ tamquam proximioribus imminenti periculo, ut saltem hoc primordio impetum illius, si quomodolibet fieri potest, reprimamus, donec spatium detur Christianis Potentatibus, ut vires conferant, & ad commune incendium extinguendum communibus opibus consiliísque concurrant: Scimus namque Italiam sine externis præsidiis ad tantam belli molem sustinendam nullo modo sufficere.

Quapropter tuam Celsitudinem per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus & hortamur, ut memor debiti quo Catholicæ fidei & Deo tenêris, ea subsidia ad hanc sanctam expeditionem præstare non differas, quæ propter amplitudinem Regni tui, & tuæ potentiæ magnitudinem ferre potes, certò sciturus cùm id facies non tam Hungaris, aut Italiæ, vel ceteris finitimis populis auxilia prębere, quàm teipsum, Regnum tuum, & creditos tibi populos ab hoste defendere. Nam nisi hostis à finitimis Christianorum finibus arceatur, facilè illis (quod Deus avertat) occupatis ad reliquas Christianorum provincias transibit, quod plures admodum Reges & provinciæ expertæ sunt, quæ dum Græcis, reliquísque finitimis succurrere neglexerunt, sensim hostem in penetra-

Digitized by Google

libus exceperunt, & non arcentes vicinum incendium, ipsi per injuriam conflagrârunt. Tanta enim acerrimo hosti dominandi cupido incessit, ut nihil gratius ei sit, nihil avidius, quàm sanguinem fundere Christianorum, Reges & Principes interficere atque delere, sicut Bosnæ Regem cruentus hostis propriâ manu truncavit, & alios plures Reges extinxit. Id enim studet, ut solus ipse dominus & princeps nominetur. Tuam insuper Serenitatem hortamur, ut ea quæ in hac re facere intendit, & quæ sibi de ratione belli gerendi opportuna videbuntur, nobis significet. Tuum enim consilium, tuúmque judicium super his libenter intelligimus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, octavo Idus Januarii, Pontificatûs nostri anno primo.

Sic signatum, Jo. de TARTARINIS.

PROPOSITIO FACTA

Anno Christi 1469. * Johan. Goffredum, *Geofrey.*

Per Reverendissimum dominum Cardinalem Albiensem coram præcellentissimo Rege Castellæ* HENRICO, *anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono.*

LXIII. LEGATI veteris amici tui LUDOVICI Francorum Regis Christianissimi venimus ad te, Præcellentissime Princeps, resarcire, confirmare, augere fœderis quod natura Francis & Hispanis infudit vim ac vetustatem: fœderis, quod per uberrimas victoriarum societates Hispani Francíque milites fundârunt fuso plurimo sanguine, numen; fœderis, quod prope omnes utrimque Reges, omnes ætates, omnes obtestationes Dei, omnes obsecrationes, juramentorum sacro-sanctam sanxerunt religionem. Nam initæ quidem cum alterutrius vestrûm hostibus societates utinam ex hominum memoria pos-

Digitized by Google

ria possint evelli; vulnera nempe illa Regnorum vestrorum, crimen, fortunæ, calamitas temporum, non valida fœdera puto, quæ vim vetustioris societatis, jusque perfringunt.

Novum verò hoc & infrequens, Serenissime Princeps, credo mirari me Cardinalem injussu Pontificis Maximi veluti Nuncium Regis ad te progressum, gravem quidem ætate ac longissimâ viâ: quippe qui scias Cardinales in Apocalypsi seniorum viginti quatuor personam sustinere qui Altissimi throni assessores circunfunduntur: & in Actibus Apostolorum intra porticum Salomonis tantâ majestate collecti fulgent: *Vt illis*, inquit, *sese conjungere nemo auderet.* Insuper quorum auctoritas, ut Innocentius tertius asseruit, ex judicandi potestate immensa, tamquam Sacerdotum Levitici generis in Deuteronomio cum Moyse populo præsidente ac Clero universo. Denique quibus Constantini mundo tunc imperantis auctoritas, omnia omnium dignitatum inclyta decora ipsúmque senatorium culmen, consulares insulas, & quo nihil altius leges civiles existimant, Patriciatûs dignitatem indulsit. *Act.* 5. 13.

Atqui ego ab invictissimo genitore tuo multis honestatus honoribus, & Christianissimo Regi meo tot beneficiis obstrictus, ut ne referri quidem à me gratia posse videatur, in eo mihi cuncta remittere atque concedere dignum putavi, ut omne studium meum in honorem atque utilitatem utriusque vestrûm consumerem. Etenim præter spem bonam quam mihi video illa in Ecclesiastico sententia porrigi: *Ad amicum etiam si produxerit* gladium, ne desperes: Est namque regressus ad amicum*; quæro cùm potentissimus Dominus noster Francorum Rex afflatu quodam divini numinis te altissimum Regem, falsis suspicionibus atque tempestatis fluctu à se distractum, nunc allicere studet, benevolentiæque pristinæ aperit fores; quid minus foret, non Cardinalis modò, verùm hominis religiosi, quàm quod Apostolus vetat extinguere spiritum dignitatis obtentu atque interventoris declinare laborem? Siquidem Legislator divinus Moyses vetitorum sculptilium legem justè contempsit, *Eccli.* 22. 26. * produxeris,

Digitized by Google

ut duo altissima Cherub Arcæ fœderis conjungerentur. Si Machabæi legem Sabbatorum Dei digito scriptam publicè salutis obtentu non servando servârunt; ego ex animo tui fautoris & qui tuam gloriam semper tuetur Pauli Papę II. ex mentéque sacrarum legum facere puto, si tui nostríque Regis fœdus, societatem, benevolentiam quasi tepentem accendo, ex qua Barbaris & Infidelibus terror, Christianorum verò omnium salus omnis oritur.

Quid enim istâ conditione utilius Christianę religioni, aut quid tantæ utilitati anteponendum? Hispania profectò fœderibus Francorum ex formidine circumfuforum Barbarorum securitatem ferentibus, sæpe influentes in Europam totius Africę copias fudit, à processu arcuit, bellis acerrimis refrænavit. Francia Hispanorum fœderi fisa crebrò è finibus suis emigrans, victrix per Orientem totum arma circumtulit. Sub Carolo Magno, & Godefredo bis sepulcrum Christi vendicans armis Christianorum potestati liberæ reddidit. Saxones, Illiricum, Pannoniam, Cyprum, Siciliam, Helespontum, Constantinopolim Barbaris hæreticísque eripiens, Christo restituit.

Quousque igitur oblatam divinitus restituendæ amicitię vestræ occasionem differre debui? Numquid jure, numquid legibus, numquid cunctando decertandum fuit, ut illud Prophetę incurrerem: *Manda remanda, expecta reexpecta modicum ibi, modicum ibi*, quo interea incitatum Regi nostro studium recuperandę benevolentię tuæ reperet? Ego, ut Cicero loquitur in Oratione pro Cn. Plancio, Rex Serenissime, hęc didici, hæc scripta legi, hæc de sapientissimis viris monimenta litteræque mihi prodiderunt sententias quascumque reipublicę status, inclinatio temporum, ratio concordiæ postularet esse captandas, morámque omnem esse tollendam. Justissimè igitur ad tuam Majestatem, Rex Regum clarissime, summáque ratione, summis honoribus ęstimans peregrinationis pęnam processi, cùm leges omnes manans ex concordia tua nostríque Regis ipsa magnitudo utilitatis prę-cludat.

Isaiæ 28. 10. 13.

Digitized by Google

Summa profectò ſapientia divis majoribus tuis data divinitùs, ſummáque altitudo conſiliorum, quam ut beatus Remigius ſcriptum reliquit, ſacratis cęleſti liquore Francorum Regibus cæleſtis favor aſpirat, tibi noſtróque Regi principatuum amplitudinem, opes excelſas, urbium celebritatem, formidatum omnibus gentibus robur militiæ, & Duces optimos pepererunt. Sed fœderibus inter vos decentiſſimè deſcriptis eam vobis gloriam elevarunt, quâ ſine controverſia vos Regum omnium duo maximi Reges & primi eſtis. Num igitur veſtra diſcordia venenum eſt omnium Chriſtianorum, quorum veſtri majores, Duces ac ſigniferi ſemper conjuncti fuerunt? Profectò ut divinus Plato in illo pulcherrimo ſuorum operum, omne robur civile quatuor verbis ſignificat, veſtri majores quatuor rebus Regnorum veſtrorum vim fundaverunt, nobilitate ſcilicet ſtirpis, fœderis vinculo, paribus fœderatorum moribus ac ſtudiis, denique facilitate ferendarum ſuppetiarum. His quatuor namque firmiſſimis ſepta præſidiis Regna Franciæ atque Caſtellæ, quamquam variis oppugnata procellis, perpetuam ſui roboris ac ſui floris retinuerunt viriditatem. Quid? vanè dicitur forſan beata terra cujus Rex eſt nobilis? minimè. Quæ res enim valet ad amicitiam magnorum Principum inſtaurandam, fovendam & retinendam? Nobilitas. Cur ita? Quia ſublimes animi Regum facilè diffiderent, difficilè permulcerentur, niſi ſuavitas nobilitatis illos naturâ miti conderet. Quo pacto? Quia ut ad Hieronem ipſe Cicero loquitur, Deus Philoſophorum Plato teſtatus eſt: Cælo ſimilis eſt Regum nobilitas. Etenim quaſi fulmen aſpera eſt & acuta ad iram, ſic intermiſſo impetu quaſi cælum. Nihil tam molle, tam tenerum, tam ad omnem manſuetudinem ac benignitatem flexibile, ut vera nobilitas, ex qua tamquam clementia cæli fruges, ſic quies, ſuavitas, concordia omnis emanat. Percommodè hîc dici poſſet omnem nobilitatem à Francis & Hiſpanis oriri, ut ſtimulatrice ipſa nobilitate ſanguinis agglutinati, amiciſſimi inter exteros haud ſecus fuerint, quàm Chuſi David, aut Hyram Tyriorum Rex Salomoni, vel anima ipſius Da-

Digitized by Google

vid & anima Jonathæ conglutinatæ leguntur. Sed hoc dimittam. Omittam etiam id quod Chrysostomus super Johannem ait, Japhet filium Noë, qui patris verenda texit, cùm Sem ad Hebræos putetur esse Melchisedech; Japhet, inquam, illum fuisse à quo nobilitas Principum orta, in ceteróque distributa putatur. Atqui Beda super Genesim scripsit, primogenitum ipsius Japhet Gallicam gentem progenerasse, Tubal verò ipsius fratrem genuisse Hiberos atque Hispanos. Ex quo deducitur non ascitum sed natum fœdus nobilitatis & stirpis inter Gallos atque Hispanos, quod non aquis pluviis, sed gurgite vivo exundans, interventricem bellorum plusquam civilium iracundiam tuam ac nostri Regis debet extinguere. Prætermittam etiam illud quod Diodorus Siculus scribit, Herculem ex filia Regis Celtarum genuisse Galatem, Alesiámque oppidum condidisse, ac in Hispaniam fixisse Gades; proindeque utrumque Regnum consecravisse nobilitati sui seminis Rege alteri dato, in altero suæ virtutis ac fortitudinis signo relicto.

At ista subticeo, Sereniſſime Princeps, nam te præsente de Hispanorum laude timidus dicerem, méque similis ratio pudoris à gloria Regni nostri tardaret. Satis id constat nobilitatem esse, quâ Rex noster instinctus, ad te veluti nobilitatis aut paris aut similis Regem, duce naturâ, nunc fertur & rapitur, præsidia quidem veteris fœderis poscens parata fore utrique vestrûm magis quàm necessaria. Sic nempe apud patrem omnis virtutis Homerum Rex Regum Agamemnon amicissimo Ulyssi convicia inferens & fervens irâ; Nos, inquit, ista posteà valde placabimus. Nam convicia quæ inter nobilissimos amicos si datur contingere, faciunt, inquit, hæc citò Dii omnia vana. Sic Sarpedon filius Jovis cùm ab amicissimo Hectore asperrimè dissideret, majori posteà benevolentiâ flagrat; adeò ut Comicus loquitur: *Amantium iræ, amoris integratio est.* Neque verò hîc disputabo, uter vestrûm justè commotus est. Illud disputabo, ut Paulus & Barnabas Apostoli pleni Spiritu sancto stomachati leguntur; útque Hieronymus & Augustinus scri-

Digitized by Google

bentes invicem aſperati ſunt; útque filii à parentibus, uxores à maritis ſalvâ pietate ſæpe diſſentiunt. Quid enim mirum, cùm furia infernalis illa Alecto potuit utrique veſtrûm unanimes in prælia fratres armare? Si falſæ ſuſpiciones animum noſtri Regis, tuámque majeſtatem exulcerarunt; adfuit utrique veſtrûm ſimilis ferè tempeſtas, furor ſimilis perditorum hominum eodem tempore in utrumque veſtrûm exarſit. Liberè finxerunt maligni ſuſurrones, impunè locuti ſunt falſa quibus credulitas, quæ optimi cujuſcumque animum facilè irrepit, orta eſt. Neutríque veſtrûm licuit periculosè cum tempeſtate pugnare, cui in multis inviti obtemperaſtis. Atqui dum tranquillitas utrique veſtrûm illuxit, hic dies ut Terentius loquitur, aliam vitam, alios mores expoſtulat. Vúltque vos in eam amicitiæ fidem redire, in qua natus uterque veſtrûm atque alitus eſt.

Attende verò nunc, Rex Sereniſſime, ne tranſgrediaris terminos antiquos quos poſuerunt patres tui: atque ut eſt Pythagoræ præceptum, fœdera Francorum & Hiſpanorum quæ non poſuiſti ne tollas. *Gratia*, inquit Salomon, *& amicitia* antiqua *liberant*; *quas tibi ſerva, ne exprobrabilis fias. Qui ſepem* antiquam *diſſipat*, ut idem Salomon aſſerit, *mordebit eum coluber.* Nónne ſi viam contrariam ceperis, erit tibi iiſdem gradibus ad infimum deſcenſus, quibus aſcenſus eſt? Tuos majores conſervata Francorum fœdera florere ſemper fecerunt: ſi per te nunc evertuntur, an tibi poſſunt nocere rogas? Cujus opes tantæ eſſe poſſunt aut unquam fuerunt, quæ ſine amicitia, officio, fœdere ſtare poſſint? Ærumnoſóſne vides plurimorum Regnorum caſus defectu fœderis & amicitiæ? Cernísne verum id eſſe quod divus Neſtor apud Homerum dicebat, Lubricas eſſe Regibus opes, quibus multi inſidiantur, multíque imminent? Senſítne tua Majeſtas quantas ipſi aſperitates noſtróque Regi diſſenſio orta inflixit, dum illicò ut primùm intellectum eſt vos diſſidere, tum in Francia tum in Hiſpania omnia mixta ſunt, egentes in locupletes, mali in bonos, ſubditi in Reges ſuos armati ſunt?

Prov. 25. 10.

Eccleſ. 10. 8.

Digitized by Google

Satis profectò vos erudire debet illa sententia divini Platonis, qua Oligarchia insidians semper Monarchiæ foribus illius excubat, populariſque ſtatus Regum potentiam ſemper nititur debilitare : ſatis recentia ſunt exempla, Sueſſiæ Daciæque, ſceptra pro nutu ſuo mutavit, cujus impetu Regna Hungariæ & Bohemiæ tenuis ſortis duo nobiles irruperunt. Cui ille qui nuper affinia Regna vexabat Rex Angliæ, nunc ſervit in vinculis. Quam exitium Regis Serviæ, calamitas Reginæ Cypri, clades Regis Boſnæ ferocem culpant. Satis denique hæc præviderunt ſapientiſſimi Franciæ & Hiſpaniæ Reges, qui ut *Væ ſoli* dicitur, ſic quo frater qui juvaretur à fratre, foret quaſi civitas firma, amicitiam fœdúſque invicem percuſſerunt, quo tu, Rex optime, atque Rex noſter antequam ex utero progrederemini fune argenteo, & vitta aurea aſtricti eſtis. Numquid nati eſtis ad ea quæ veſtri patres tam ſapienter pepererunt nunc evertenda? Niſi fortè ſuperiores illi Franciæ atque Caſtellæ Reges inſulſi exiſtimabantur; qui non ſolùm fœdera Regis ad Regem, ſed ſtirpis ad ſtirpem hereditaria, gentíſque ad gentem, Regni ad Regnum ſtruxerunt, ut ſi quid fœderibus ira ſubditorum fortè detraheret, tanquam canis à paſtore ab alterutro Regum revocaretur. Quin etiam illorum heroum conſilii magnitudo hæc fuit, ut adverterent etiam ferro rubiginem, ligno uredinem, vermes frumento rebúſque omnibus innaſci vitium : nec abnuerent, ſi quid injuriæ in adminiſtrandis tam amplis provinciis ſuorum Regnorum ſuboriretur, quin pactum fœderis ratum maneret.

Eccleſ. 4. 10
Prov. 18. 19

Denique Reges Sapientiſſimi non excludentes legem fecialium juris Gentium, æquitatem naturæ ac morem Principum, voluerunt priſcis fœderibus, quæ veſtris repoſita intelliguntur, ſupereſſe animum, tempus reſipiſcendi priuſquàm ab icto fœdere alteri Regum imigrare liceret. Quis iſta fœdera ſanxit? hæc primogenito fratríque Tubal ab ipſo Japhet eorum patre Principéque nobilitatis non ſcripta ſed nata ſunt : hæc, ut prætervehar vetuſtiora, quamquam plerumque vetera ipſa vetuſtate gratiùs nitent : tanti ponderis fuerunt Teuderedo * Go-

*Theoderico.

Digitized by Google

thorum, & Hispanorum Regi, atque Clodomiri * Regi Francorum, ut intra Galliam apud agros Cathalanicos adjuti ab Aëtio Romano ausi sunt aggredi, vincere, profligare, delere Attilam Regem Hunnorum. Adeò, qui Orientem compilaverat, qui Italiæ urbes diripuerat, qui everterat Alamanniam atque concusserat, qui Persis exercitum viribus numeróque superans undecies centena millia armatorum trahebat; qui se orbis malleum atque se esse flagellum Dei protervè petulantérque gloriabatur, Francorum & Hispanorum fœdere fractus est. * Merouæo

Sparserunt latiùs hæc fœdera: Clodoveus à cujus sorore Legionis & Castellæ orti sunt Reges, Dagobertus omnium Regum Franciæ præter Carolum Magnum Bellicosissimus, natus ex filia Regis Hispaniæ, Carolus etiam Magnus, ut pridem Gothorum & Hispanorum Rex Francos adjuverat in illa, quam dixi, Attilæ profligatione mirabili, sic etiam occupatis ab Infidelibus duabus Hispaniis gratias animo grato persolvit: qui apud Empurias * continuato per quinque dies prælio, Afrorum Arabúmque supra octingenta millia fudit: qui apud Nageram * Argolandi gigantis, ferocitatémque Barbarorum manu Rotholandi ferro perstrinxit: qui spurcitie omnium Barbarorum depulsâ totas Hispanias Religioni vindicans ac libertati, adamantinum, ut opinor, in hoc fœdus percussit Francis atque Hispanis. Et quid adjutrices Francorum copias Alfonso (quem castum nuncupant Hispanorum) Regi commemorem? Philippi certè, quem nos propter summam felicitatem nuncupamus Augustum, cum tuis majoribus Regibus Castellæ hoc pactum legimus, ut pia Francis & Hispanis societas atque æterna pax sit. Ludovici præterea qui ex Blancha filia Regis Castellæ Ludovicum nobis sanctum generavit & Regem: alterius Philippi, Ludovici alterius item hoc pactum est: Caroli insuper quinti hoc fuit pactum, à cujus fœdere Rex Petrus ad Anglicos immigrans tales exitus tulit, quales in libris Regum Rex Achab pertulit ex fœdere icto cum Benadab hoste antiquo. Tam firma deinde fuit támque fidelis inter avum al. *Emporiæ & Ampuriæ. * Nagaram,

Digitized by Google

tuum Henricum & Carolum ſextum iſta ſocietas, ut Henricus ipſe apertè profiteretur, æquè tardè ſe defecturum ab icto cum Francis fœdere, ſicut à fide vel Evangelio Chriſti. Denique eminentiſſimi Reges Carolus ſeptimus, & pater tuus Johannes Rex invictiſſimus, nónne ſtruxerunt quaſi arte Vulcani fœdus indiſſolubile. Nónne tu atque Rex noſter illud firmaſtis ex ore veſtro? Vis quæſo iſta pollui atque confundi contrario cum Rege Anglorum fœdere, ad quod invitus per furias bellorum pluſquam civilium convolaviſti?

Verſatur profectò magnus error propter inſidioſiſſimas quorumdam ſimulationes, qui cùm Anglicis & Principis Walliæ viribus omnibus connixi oppugnarunt Henricum tritavum, ut credo, tuum, & oppoſitis pectoribus impediverunt ne regnaret inter Hiſpanos: nunc verbis aſſequi putant ut Anglicos tibi fautores, amicos, auxiliares fore confidas? Eſt eſt fœdus ictum cum Anglicis per te, Sereniſſime Princeps, non tui animi, ſed temporis, quo ut ſcis, & ut es teſtis, omnia tibi erant plena timoris, plena ſollicitudinis, nec erat quidquam mali aut adverſi quod non metueres, & qui te oppugnabant non expectarent. Sublata erat de tuo Regno & noſtro ſubditorum Principum magna ex parte ſuo Regi debita reverentia; fides perturbabatur, undique judiciorum contemptus, rerum judicatarum novæ dominationes, extraordinaria regna non obſcurè opponebantur, adèo ut Chriſtiani coacti viſi, impulſi vi tempeſtatis Barbarorum littora petunt. Tu Anglicos inimiciſſimos tuæ Majeſtatis adiſti facturus fœdera, quibus fœdus noſtrum tempore prius, naturâ majus, uſu commodius in præſtantiori conditione cauſáque ponitur. At quis, obſecro, gubernator prudens in portu, in quem navis tempeſtate vecta eſt, ceſſante tempeſtate navem diu tenebit? Præclara & divinitus à Cicerone refertur Platonis illa ſententia, quâ docet, ut urgente tempeſtate obtemperare & parere artis eſt; ſic illa ceſſante ſequi curſum, quem obſequendo tempeſtati cœperas, eſſe dementiæ. Niſi fortè Anglicos, qui Regem ſuum tenent in vinculis, perpetuos

Digitized by Google

perpetuos vexatores ac direptores Hispanorum, quasi Æthiops subitò pellem suam mutaverit, potiores defensores quàm Francorum tibi fore confidis. Moneo ne facias: nam si Peripatheticorum schola desideret, ut vera judicetur amicitia, oportere simul consumi modium salis: Una Anglicorum tuis orationibus oblata spes benevolentiæ per se fragilis ac fluxa est, nec una hirundo ver facit: Francorum verò gens veteri societate, amicitiâ, sponsione, pactione, fœdere ita conjuncta est Hispaniæ genti, ut mihi maximè conversionem beneficiorum, præmiorum, honorum quasi unius civitatis veráque gens sit, obtinere videatur.

Nunc verò ut solida, constans, firmáque societas fœderis ex harmonia & consonantia studiorum inter Hispanos Francósque cõaluerit, atque radices egerit, vide divinam tuorum patrum prudentiam, qui à principio sui generis ac Regni accepti, ab omni studio amicitiáque Anglicorum mentes suas ad Regnum Franciæ nomenque flexerunt, immanémque & feram linguâ moribúsque à se abhorrentem gentem Anglorum exhorruerunt: qui cùm maxima bella gererent, longè inferiores se Reges Lusitanorum sive Portugalensium, & Cantabrorum sive Navarrorum fœderibus excluserunt: Francorum autem fœdera complexi sunt: qui veterem illam speciem culminis Imperialis, quasi altiorem fœdere legitimo non sunt sectati. Sanctiorem verò duxerunt benevolentiam Regum Francorum; aliorum verò Regum sunt aspernati. Proptereáque ferocem Anglorum naturam consequebatur odium, inferiores verò Castellæ Regibus, Portugaliæ atque Navarræ Regius contemptus comitabatur. Præcelsæ autem Majestati imperiali facilè adsurrexisset invidia, quibus concinnitas illa atque consonantia civilis firmíque fœderis, quam Plato musicam vocat, dissoluta fuisset. Etenim malè sarta, ut Cicero loquitur, gratia nequicquam erit, sed citò rescinditur. Negátque Plutarchus his ullam vim esse naturæ quæ discrepantia invicem possit diu ad

Digitized by Google

fœderata tenere. Quod enim fœdus diu consistere inter discrepantes naturâ populos posset? Musicam siquidem, ut Plato scripsit in legibus, quisquis ex civili societate sustulit, civile fœdus in totum abstulit.

Ergo ut fabulis doctissimi homines prodiderunt tres esse gratias, quæ Deæ & filiæ Deorum dictæ sunt Pasytheam, Egyalem & Eufronissam *, quas attrahentem, oblectantem, retinentem interpretavi, vide ut istæ gratiæ fœderi Francorum & Hispanorum cõglaciant. Siquidem Pasythea útque attrahens gratia desiderat tuam nostrámque gentem, auctore Bedâ, ex duobus Fratribus oriri, esséque omnibus gentibus principium, fontem & caput nobilitatis. Magnus illectus, magna attractio benevolentiæ; quamquam quid dulcius aut contrahendo fœderi potentius, quàm recordatio illa tot expeditionum, quibus Hispani Francíque contra Infideles, contráque Anglicos fulgentia per aërem vexilla & victricia signa tulerunt? Si Egyalis sive oblectans gratia requiritur, Regnum tibi nostróque Regi ut vidi amplitudine, ac viribus propè par, intelligibilis ad res necessarias tuæ gentis & nostræ sermo, & coæquales nullis gentibus: aliis datur nitor domesticus atque mundiciæ, similes mores ut paria paribus quadrant, oblectent est necesse. Vis illud Ammiani Marcelli explicem, ut natura datur Hispanis hilaritas, facetiæ, humanitas & lepos? Vis aperiam ut eodem auctore suaves, benigni, faciles Franci sunt? Contra verò quàm sit Britannis natura petulans, insolens, minax, fastidiens ceteros. Equidem ut Plautus admonet, cessabo pressare vomicam. Denique si Dea, ut veteres loquebantur, Eufroniss̃a, sive retinens gratia consideratur, potéstne meliùs amicitia fœderis benigniúsque conservari, quàm unius ejusdémque virtutis gentis ad gentem similitudine? potest aliquod retinendi fœderis vinculum feriri fortiùs quàm virtute, gloriáque bellandi?

* al. Thaliam, Aglaiã, Euphrosynẽ.

Hiberorum profectò & Hispanorum gentem Aristoteles in Politicis pugnacem nuncupat; sapientiâ verò Græcos, sed gloriâ belli Gallos, ceteros anteïre Sa-

Digitized by Google

Iuſtius auctor eſt; magnanimos Hiſpanos Ammiannus nuncupat: atqui, ut ſe res habet, Elius Spartanus in Francis iſtam admiratur virtutem, majorem eis ſemper in adverſis quàm in proſperis animum eſſe: Hiſpanis Hercules laborum, itinerum virtutis ſuæ terminos vim & periodum dedit, ex quo per omnes terras gnari ſunt inſtare ferro, ſævire ſecuribus. Atqui Caïus Cæſar in Commentariis ſcripſit, totius Galliæ conſenſui nec Orbem ipſum terrarum poſſe obſiſtere. Hæccine igitur tam conformia, tu Rex Henrice, tam conjuncta diſſolves? Tuóne tempore hilaritas Francorum & Hiſpanorum, Anglorum jactabundæ & truci fronti concedet? Túne ignotos notis, inimiciſſimos tuæ ſtirpis Anglicos amiciſſimis Francis, alienigenas conjunctiſſimis antepones? Anglicos qui ſe hactenus tibi ingrato heredes fore jactarunt, defenſores nunc tibi conſtitues & fœderatos? moneo nè facias, nam malè ſibi conſulit qui medicum ſcribit heredem.

Nunc verò ut Regnorum veſtrorum quartum ex facilitate ferendæ opis & commoditate præſidium attingam, tam etſi tu animo excelſo Princeps, atque in theatro gloriæ natus, honeſti ſolâ ratione flecti potes & frangi, ut factis cum Chriſtianiſſimo Rege noſtro fœderibus hæreas; fœdera verò Anglorum facta tumultu concitato deponas: Si tamen alterutrius fœderis commoditas, proventus, utilitáſque deſideratur, vincet ratio Francorum qui omni commeatûs genere tua Regna ſæpe juvarunt: vincet negotiatorum Caſtellæ mœror, luctus & dolor ob intermiſſum cum Francis negotiandi conſuetudinem: vincet ſapientia, judicium, gravitas patrum tuorum, ut fœderibus cum Francis ictis, quaſi theſauro eorum virtute tibi parato ſuavitas tua incubet. Siquidem inter ænigmata Pythagoræ ſapienter dicitur, ſuper ſcenicem* non ſedendum, neque pauci temporis commoditatem ſectandam. Te admirarer, Rex ſapientiſſime, illius gentis amicitiam tibi arceſſere, quæ tres ſibi Reges Richardum, Henricum, Eduardum unâ hominis ætate mutant;

* à verbo Senex; f. Senecem.

Digitized by Google

Francorum verò, quorum Hectoreus sanguis, nomen & honos jam mille ducentis annis inveteravit, facta fœdera etiam si hoc tibi liceret, repudiare. Si te vis, audacia, feritas Anglorum fortè delectat; ego & si non illos negaverim fortes ac bellicosos, seditionibus tamen Francorum fortes, concordiâ Francorum debiles, fluxi, ab iis quæ simultatibus nostris irruperant armis fugati, prælis plurimis victi, etiam Aquitaniam veterem illorum possessionem, urbésque inexpugnabiles inviti deseruerunt. Quamquam quid in his disputo? cùm illi omnibus viribus innixi, ne provincias sibi connubiis obvenientes retinere sciverunt: & unus Dux Normannorum Guillermus totam Angliam vicit, sibi subdidit, & parere coëgit.

Ergo si Cæsar bene sponsiones fœderis atque opis ferendæ inutiles existimabat ex ea gente, quæ Principes sæpe commutat: si Principes quidem Regi Francorum subditi minimè Anglicis ritibus cederent; pársque Franciæ vix sexta totam Angliam vicit; numquam verò Anglia superavit tertiam Galliæ partem; quid foret aliud tibi Francos deserere, & mutabilium in Anglia Regum societatem complecti, quàm ut Ecclesiasticus loquitur, Persequi ventum & apprehendere umbram? Videtúrne tibi (si Salomone auctore, *Melior est vicinus juxtà, quàm frater procul*) natura ipsa te Regi nostro conjungere: quippe quæ nullo spatio terræ intermittente, nullo mari objecto, sed fluvio tantùm meabili pedibus nudis* ? Denique Regnis aliis interjectis Franciam Hispaniæ prorsus adjunxit: at contra ipsa eadem natura, Rex Sereniſſime, sublato aditu, revulsis omnibus viis, interjecto mari sævissimo à tuis Regnis Angliam totam secluſit. Nunquid obsecro, ut Comicus loquitur, Neptuno semper fallaci, semper instabili maríque, ut Periander unus ex septem Sapientibus Græciæ dicit; mari, inquam, quo nihil perfidius, fœderis tui fidem tuam cummittes? Erige, Sapientissime Princeps, mentem & aures tuas, atque adesto animo, non eadem nunc facilitas foret Anglicis ferendarum tibi suppetiarum, quæ olim Principi Walliæ, postea Duci Leucastriæ fuit

Eccli. 34. 2.

Prov. 27. 10.

* *Supple* utriusque Regnum divisit, *aut quid simile.*

cùm tuum Regnum, tuósque majores insolenter vexarũt. Illi namque Burdegalam, Baionam, Aquensem urbes maximas ac munitissimas & Aquitaniæ robur, tunc occupabant, quibus auctore Domino sunt excluſissimi. Sola ipsis in tuum Regnum maritima via est. Ergo ut Alcibiades sapienter dixisse fertur, Stultum esse confidere fœderi, cujus opem procellæ ventíque tardare poterant, & cunctis invitis aliorsum flectere atque deducere; vide quo consilio Anglos tibi excussos viribus colligis, quos cùm florerent opibus & viribus Aquitanorum, tui Majores Francis postposuerunt & contempserunt? Vide quâ mente disjunctos, ut Virgilius loquitur, orbe toto Britannos tibi adjunges: affines verò Francos quorum virtutem, constantiam, benevolentiam tot annis, tot præliis tui Majores experti sunt repudiabis? Sylla fortunatus dicebat duas sibi fuisse felicitates quibus victor fulgebat; unam quæ Metellorum benevolentiam veterem sanctè servaverat; alteram quæ auxiliis sibi Ethruscorum sibi affinium potiùs quam Insulanorum in Helespontо fidem dedisset.

Tua profectò Regna Castellæ ac Legionis tantâ Francis fide, pietate, religione astricta sunt; tam altas jam radices hoc fœdus egit, tantus amor animos populorum tuorum se se in Francis inflixit, ut icto ad te cum Rege Anglorum fœdere non solùm Regna, sed rerum natura reclamet. At fœdus ictum est cum Anglicis, dixerit quipiam. Quid si dixero quod Romani de suis Legatis dixerunt in Numantino fœdere quod omninò sunt aspernati, apud unum ex Legatis nec Jovem, nec Minervam plus potuisse quàm aurum? quod quidem emergens ab extrema mendicitatis paupertate ad divitias Religionis obtentu nescio quis supra modum sitire fertur. At hoc non dicam: neque enim mihi studium est quemquam incessere neque vulnerare, sed vulnerum medicinam inquiro, tuámque sapientiam solam, tuum judicium acre & prudens solùm intueor. Si enim jura hîc prætexerentur & leges, dicerem non ritè factum fuisse cum Anglicis fœdus,

Digitized by Google

quod non fecialium solemnitate, non trino, ut veteres loquebantur, nundino promulgato: quod non idoneo tempore, sed tuis undique Regnis bello flagrantibus: quod contra sponsiones fœderis vetustioris, contra intercessiones antiquas populi tui, contra auspicia patrum tuorum processit: dicerem quod à Plutarcho laudatur dixisse Rex Artaxerses, non valuisse recens fœdus repugnans causæ fœderis formæque antiquioris: quod tibi multis procellis jactato, multísque fluctibus inspicere plenè non licuit, non comminisci fortasse licuit: Insuper dicerem quæ Romani in fœdere cum Samnitibus icto declaraverunt, non valuisse fœdus à te percussum cum Anglicis mente tua oppressa, bello plusquam civili, linguâ verò interventorum incitatâ odiis, ac factionibus, vel districtâ timore. Denique dicerem fœdus juramentorum Francorum non rogato, nec requisito Rege, quem res ipsa altè pertingit, nullóque disceptatore, nullâ causæ cognitione intercedente, non potuisse per te dissolvi, quod non magis Regum quàm Regnorum videtur. Hæc autem omnia multáque rationes omittam; neque enim tam mei Regis nomine loquor, quàm assectatoris ad pacem, potiúsque consiliatoris utriusque, quàm advocati sumpsi personam.

Verùm non dubito, Rex Serenissime, multos de Rege nostro, de téque loqui ut homines irati solent, qui tui putantur; in circulis hunc rodunt, nostri te fortasse vellicant. Atqui esto, uterque vestrûm aut alteruter existimetur errasse. Quid attinet hæc refricare quæ tacta rument, & obductæ jam cicatrici vulnus aperiunt? Siquidem ut plurimis utrimque beneficiis errata utrimque condonentur, valet apud Christianissimum optimúmque Regem nostrum memoria virtutis, quam Hispani milites durissimis Francorum bellis adversus Anglicos præstiterunt, qui nostri propugnatores actorum prælii victores fuerunt in Delphinatu: qui coronam Franciæ intestinis bellis afflictam externo bello ab Anglicis vexatam, oppugnatam, oppressam classe juverunt, suísque humeris & manibus sustinuerunt. Non autem vereor,

Digitized by Google

Sereniſſime Princeps, quin ſit in te ille ſenſus humanitatis, illa ratio gratitudinis, ut tibi ſanguis Francorum apud Nageram fuſi; capti deinde per Bleſium de Villammes Petri, qui Anglorum fœdere regnum Caſtellæ fœdaverat. Denique tuo tritavo Henrico parti atque retenti ſceptri tibi frequenter veniat in mentem. Hoc itaque dignum fœderibus noſtris, videtur hoc deberi illius Henrici tam excellentis Regis præſtantiſſimæ gloriæ; hoc proprium eſſe tuæ virtutis, hoc ſatis eſſe cauſæ, ut quod feciſſe cum Francis fœdus ipſum Henricum conſtet, nefas ſit per te trinepotem ſuum perfringi. Fac nunc ut quaſi excitatus huc, quæſo, veniat, hacque oratione tecum utatur: Quid eſt hoc? Túne mei Regni & mei nominis heres Henrice? Túne gentem Anglorum, quæ me ut deleret crudeliter invaſit, arceſſes tibi auxiliarem? Túne adverſus Francos, quibus adjutoribus regnas, Anglicis promittes auxilia? Princeps Anglorum omnibus viribus & ſtudiis extulerat Hiſpaniæ Tyrannum, quem ego virtute & ope Francorum ſuſtuli. Anglici aſperrimo prælio ut me obtruncarent, necarent, occiderent, omni robore ſuo certarunt. Franci oppoſita laterum ſuorum ne occiderer, fortiſſimè pugnantes ut Laconici in Marathonia pugna occubuerunt. Anglici ut tuum regnum diriperent, compilarent, excuterent, ſumpſerunt arma: Franci nullo propoſito præmio, cùm pecunia nulla mihi extaret, ſolo fœderis quod frangere paras inſtinctu, nullius laboris, nullius obſeſſionis, nullius periculi pro me expertes ſceptrum atque coronam quam ipſe geſtas propugnaverunt. Numquid inimicus eris amiciſſimis Hiſpanorum, infeſtus tuis auxiliatoribus, hoſtíſque meus atque patrum tuorum? niſi fortè diſcrepante à tua lingua tu ſermone Anglicorum, inſolenti congreſſu & ſuperbiſſima fronte lætaris. Equidem, Rex invictiſſime, ut puto, ille ipſe Henricus tui Regni parens atque fundator, te ab Anglorum objurgatione aſperiori terreret.

Atqui videre profectò videor illum quem inter Heroas collocant Bertrandum de Gleſquin*, multóſque

* al. du Gueſclin.

Hispanos & Francos Proceres, qui nostrum Christianissimum Regem tuámque Majestatem supplices obtestantur, obsecrant, proclamant, vestram fidem implorant, ut si quis ardor contentionis, si quæ inter vos flamma dissensionis erupit, illam extinguat sanguis eorum pro vestris patribus per agros Hispaniæ & arva Galliæ fusus, ne tot honestos militiæ suæ labores, tam sancta pignora amicitiæ, tam vetusta jura militaris societatis una iracundiæ vestræ aura pervertat. Illi te, Rex Sereniſſime, nunc deprecantur nè obprobramento, dedecore, infamiâ, turpitudine, maculísque ipsos aspergas, quasi certaverint adversus Anglicos præliis vanis, & quasi tanto tempore causam victoriæ malam sortiti videantur, nunc impia arma & injusta saga cœpisse. Quod te obsecro, sapientissime Princeps, noli aspernari, noli contemnere, noli negligere; utrique, nempe genti tuæ & nostræ, Cælorum Rex vim & audaciam dedit; atque si bene Cicero ad Brutum scripsit, Nihil, inimicitius hominis esse, quàm non respõdere in amore iis à quibus provocetur; cùm Rex noster magnanimus quantò felicior est fratris sui, Ducum Burgundiæ & Britanniæ æquandorum Regibus obedientiâ, tantò te magis allicit ad amicitiam; peto à te quod Salomon hortatur, ut ipsum Regem amicum tuum & amicum patris tui non deseras, néve teipsum lædas; perversa nempe possessio est pervicacia. Denique si velut torrens, qui multis imbribus auctus aggeribus ruptis insertos pontes evellit, tu ex fœderibus cum Regno nostro percussis violentia objectæ tibi tempestatis existi; flagito & consulo, ut in antiquum consuetúmque fœderis cum Francis alveum te referas. Hoc nempe moriturus tuus avus suis liberis præceptum scripsit; hoc tui genitoris admonet perpetua in Francos benevolentia, hoc impellunt Anglorum in tuos injuriæ; idipsum denique jus omnium legum, extimatio commoditatum, amor tuarum provinciarum, fœderum nostrorum usque ad tuum tempus illibata vetustas, facilitas quoque tibi ferendæ opis exposcit. Nos quoque quod initio dixi, hoc à te reposcentes venimus

resar-

Digitized by Google

reſarcire, firmare, augere fœderis inter Francos & Hiſpanos antiquitatem, fœderis inviolabile numen, fœderis omni genere juramentorum percuſſi religionem.

Finit harenga per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem Dominum Cardinalem Epiſcopum Albienſem, Abbatem quoque inclyti Monaſterii S. Dionyſii in Francia, compoſita, propoſitáque Cordubæ coram præcellentiſſimo Caſtellæ Rege HENRICO, *anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono.*

JOHANNIS DVCIS BORBONII Leges in Blaſphemos latæ.

Anno Chriſti 1474. *Ex membranis Domini d'Herouval.*

LXIV. JEHAN Duc de Bourbonnois & d'Auvergne, Conte de Clermont, de Foureſtz, de l'Iſle Jourdan & de Villars, Seigneur de Beaujeu & de Nounay, Per & Chamberier de France, A tous ceux qui ces preſentes Lettres verront ſalut. Sçavoir faiſons comme par prohibition en noſtre tres ſaincte & catholique foy, & enſuivant par ſaincte Egliſe il ſoit prohibé non jurer en vain, regnier ou blaſphemer le nom de Dieu noſtre Createur, & de la glorieuſe Vierge MARIE ſa precieuſe Mere, & des benoiſts Saincts & Sainctes de Paradis, & pource que pluſieurs nos ſubgets & autres, non aians regart à l'obſervation des Commandemens de Dieu, plains de leur voulenté deſordonnée & dampnable, regnioient, maulgreoient & blaſphemoient le nom de Dieu de jour en jour, deffendiſmes & tres expreſſement ordonnaſmes deffendre par Ordonnance & Edict exprés, que on ne regniaſt ou blaſphemaſt le nom de Dieu, ou de Noſtre-Dame, ny des benoiſts Saincts deſſuſdicts, ſur certaine paine & amende lors ſpecifiée. Mais depuis il eſt venu à noſtre cognoiſſance que pluſieurs en nos païs & ſeignories, ne par vertu & obeiſſance envers Dieu & obſervation de ſa voulenté, ne par crainte de venir contre noſdicts Edicts & Ordonnances, & encourir les paines par

Digitized by Google

nous indictes & ordonnées, ne laissent point à perseverer par maulvaise voulenté, coustume abusive, mespris & contempt de nosdictes Ordonnances, jurer, regnier & blasphemer le nom de Dieu à nostre grant deplaisance, mespris & contempt de Nous & de nostre Justice, dont vrais semblablement nous & nos païs pourrions encourir l'indignation de Dieu nostre Createur, & en pourroient avenir sur nous & le peuple nos subgets divines persecutions, afflictions & tribulations.

Pour obvier ausquelles & nous resformer à la voulenté & grace d'iceluy nostre Createur, desirons donner & mettre ordre, police & provision, & nostredict Createur estre servy & honnoré par nosdicts Subgets, & en nosdicts pais, & ceulx qui feront le contraire estre pugnis, sans difference de quelque sexe, estat ou condition qu'il soit. Avons derechief deffendu & deffendons à tous nos Subgets de nosdicts païs de quelque estat ou condition qu'il soit, que aucun ne maulgrée, regnie, despite ou blaspheme doresnavant le nom de Dieu, ne de ladicte glorieuse Vierge MARIE, & desdicts benoists Saincts & Sainctes de Paradis, sur paine pour la premiere fois de paier la somme de cinq solz tournois, & une livre de cire à appliquer à l'Eglise dudict lieu qui par reparations ou autrement en aura mieulx besoing: Et pour la seconde fois doublant ladite paine, c'est assavoir dix solz & deux livres de cire: Et pour la tierce fois d'estre mis & lié au pilier dont cy-dessous sera faicte mention: Et si pour la quarte fois il y ranchoit & perfrequence* de quatre fois, en quoy nous tenons & repputons & voulons estre reputé pertenacité & obstination, nous ordonnions l'oreille estre attachée audict pilier. Et si encores il y ranchoit jusques à la cinquiesme fois, nous voulons pour icelle cinquiesme fois la langue estre percée d'un fer chault à plain jour de marché, sans delayer ou attendre autre declaration ou commandement de nous. Et si apres lesdictes paines aucun d'eulx ranchoit aux regniement, blasphemement ou despitement dessusdicts, nous voulons iceluy estre banny perpetuellement & à

Pœnæ blasphemis inflictæ.

Fortè* persevere.

Digitized by Google

toujourſmais de nos païs & ſeignories, ſans actente ou eſperance de pardon, miſericorde ou rappel; en prenant ou declarant oultre ce ſur ſes biens telle & ſi grande paine & condempnation pecuniaire ſelon la faculté de ſes biens, pour les deux amendes ſi elles ſe peuvent lever, exhiger ou prendre; & icelles amendes convertir au ſervice de Dieu, reedification des Egliſes, & autres euvres pitables & miſericordieuſes à noſtre voulenté; ſi nous ſommes au pais, ou en noſtre abſence de noſtre Conſeil ou pais ou ledict delict ſera commis, & leſdictes paines encourues.

Et en oultre voulons & ordonnons que celuy, ou ceulx, qui ſera preſent & oyant regnier, deſpiter, blaſphemer, comme dit eſt, le denonce ou face ſavoir à Juſtice, & aux Chiefs qui de par Nous auront l'exercite & gouvernement de y aller, ſur paine pour chacune fois qu'ils le oyront & ne le denonceront, & ſelon les fois qu'il y rencherra telle que deſſus eſt dict, de ceulx meſmes qui regnieront, maulgreront, deſpiteront ou blaſphemeront; c'eſt aſſavoir pour la premiere fois qui ſeront preſens & les oyront, & ne le denonceront, cinq ſols & une livre de cire, & pour la ſeconde fois le double, & pour la tierce la langue perſée, attachée audit pilier, & pour la quarte bannis & condempnez comme dit eſt.

Et pour l'execution des choſes deſſuſdictes ordonnons eſtre mis & eſtably un pilier ferré aux deux bouts au milieu des places marchandes & communes des lieux, Villes & Chaſteaux de noſdicts païs en la plus parante d'une chacune Ville; auquel pilier leſdits delinquents ſeront attachez, ainſy que dict eſt. Et s'il y a aucun deſdicts delinquens qui n'ait dequoy ou autre pour luy à payer à la maniere que deſſus leſdictes paines & amandes civilles & pecunieres, Nous avons voulu & ordonné, voulons & ordonnons qu'il ſoit pour la premiere fois mis & attaché audict pilier à jour de feſte ou de marché publiquement ſans delay ou difference aucune. Et ſi par la ſeconde fois il y ranchoit, il ſouffrira les autres paines par ordre, ainſy que deſſus ſont declarées.

Digitized by Google

Et pour ce que Nous voulons ceulx à qui le gouvernement de Justice est ou sera par le temp avenir commis estre exemplaire de l'obeissance & accomplissement de nosdicts Edicts & Ordonnances, & que par eulx qui les doivent observer ne soient nos Ordonnances enfraintes ou contempnées, voulons & ordonnons que s'ils regnient, despitent ou blasphement ils paieront pour les fois dessusdictes les paines dessus declairées, saichans, oyans & non denoncians ; si eulx saichans sont trouvez ou congneux en demoure, faute ou negligence de faire pugnir, ainsy que dit est, lesdicts delinquens, & soubs dissimulation passent les cas & crimes dessusdicts, oultre la privation de leurs Offices, dont nous les voulons & declairons desmaintenant estre inhabilles, non souffisans ne ydoines, ils soient pugnis de amendes arbitraires, corporelles ou civilles selon leur erreur, faulte, delit ou negligence du cas.

Si donnons en mandement par ces mesmes presentes à nos amez & feaulx Bailly & Juge de nostre pais de Beaujeulois, Chastelains, Procureurs & autres nos Officiers en iceluy nostre pais de Beaujeulois ou leurs Lieutenens & chacun d'eulx, que nostre presente Ordonnance & edict ils publient & facent publier rieres eulx, & icelluy observent & facent observer de point en point, en pugnissant & corrigant les transgresseurs d'icelle, blasphemeurs & regnieurs, dont dessus est faicte mention, selon leurs demerites, & par la maniere cy dessus declairée, sans dissimulation ou support, sur paine d'encourir nostre indignation. En tesmoing de ce nous avons faict mettre nostre scel à cesdictes presentes.

Donné en nostre Chastel de Molins le penultiesme jour du mois de Fevrier, l'an de grace Mil quatre cens soixante & quatorze.

Digitized by Google

MISSCELLANEORVM EPISTOLARUM PARS ALTERA.

CAROLI CALVI FRANCORVM REGIS Præceptum.

Anno Christi 871. *Emit & concessit Dom. d'Herouval.*

I. IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS. CAROLUS gratiâ Dei Rex, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, ac Donariis, Missis nostris discurrentibus, vel ceteris Fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrísque præsentibus scilicet & futuris, notum sit, quòd etsi erga loca divino cultui mancipata tuitionem impertimur, non solùm Regalem consuetudinem exercemus, verùm etiam ad æternæ retributionis mercedem nobis talia facta profutura confidimus. Proinde comperiat omnium nostrorum præsentium scilicet & futurorum solertia, quoniam Sacerdotes septem liberi genere, id est, WITICA, PROTASIUS, VICTOR, LUGANUS, GONDEFREDUS, RECESWINDUS, SANCTIOLUS, venientes ex parochia civitatis quæ vocatur Oriel* acceptâ à WILADO ipsius civitatis Episcopo licentiâ, verùm etiam adjutorio, sed & alii pòst eis conjuncti homines liberi, ATTILA, BARO, LEUDOMIRUS, cum reliquis eis se conjungentibus secesserunt ad locum qui dicitur Exalada juxta fluvium nomine Tete* in capite Vallis

Approbat fundationem Monasterii S. Andreæ diœcesis Helnensis (*Elnæ*) in Catalonia.

* Urgel.

* Thicis vocatur hic fluvius, seu Thilis, & Tecum, vulgò Tec.

Digitized by Google

Confluentis, & emerunt de rebus propriis & facultatibus fidelium sibi liberalitate conlatis locum servis Dei aptissimum, sibique construxerunt Monasterium in honore sancti Andreæ Apostoli, sed & aliorum Apostolorum Petri, Johannis, & Thomæ, quod Monasterium ditaverunt emptis, commutatis vel conlatis sibi rebus in locis subterpositis, id est, in tres valles, in Ocenias, in Ranavellas, cum finibus suis, terris, & vineis in Lare, in Coxiano, in Cotaleto, in Saltane, in Maradianas, in Agnerra, in Tauriniano, & monte Aliberga: ipsúmque Monasterium Deo cooperante ad effectum usque perduxerunt.

Qui locus supradictus est situs in confinio Ceredaniæ Marchiæ nostræ, sub diœcesi FREDALDI Narbonensis Archiepiscopi, & parochia AUDELINDI Helnensis Episcopi; unde nostram Excellentiam petierunt, ut eumdem locum sub nostra immunitate & defensione ac mundeburde susciperemus, & per Præceptum nostrum illis & suis successoribus, & eidem loco præsentibus & futuris temporalibus tale Privilegium concederemus, quatenus post Deum sub manu & potestate nostra ac successorum nostrorum ipse locus & inibi habitantes sub regia potestate perpetuò maneant, & in eodem loco degentes sub monastico ordine vivant, atque ut licentiam eligendi Abbatem ex seipsis secundùm regulam sancti BENEDICTI omni tempore habeant: & ut nullus paraveredum, aut pascuarium, vel mansionaticum, aut aliquam indebitam exactationem ab eis, vel suis successoribus de eodem loco, vel de rebus ad eundem locum pertinentibus tam præsentibus quàm futuris temporibus exigat: sed quietè liceat eis pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ & Regis ac regni stabilitate orare.

Quorum petitionem rationabilem judicantes, eis in omnibus annuere judicavimus, decernentes, ut tàm præsentibus quàm futuris temporibus idem Monasterium cum omnibus rebus ad se nunc pertinentibus, & quæ futuris temporibus ad eumdem locum conlatæ fuerint, vel quas in eodem Monasterio degentes justè & rationa-

Digitized by Google

biliter adquirere quocumque modo potuerint, Privilegium & immunitatem habeat, & ſub defenſione ac mundeburde Regiæ poteſtatis permaneat, & in eodem loco habitantes ſub Monaſtico ordine vivant, & licentiam eligendi ex ſeipſis ſecundùm regulam ſancti Benedicti Abbatem omni tempore habeant. In cujus Abbatis regulari ordinatione Epiſcopus ipſius civitatis in cujus parochia eſt Monaſterium, nullam difficultatem exhibeat, vel quamcumque exactationem contra regulas ſacras eidem loco imponat; nec pro ordinatione Eccleſiaſticorum Miniſtrorum, vel pro largitione conſecrati olei vel chriſmatis, quodcumque emolumentum contra canones ſacros ab Abbate vel à Monachis Monaſterii ipſius requirat. Et nullus judex publicus, vel quiſlibet ex judiciaria poteſtate, ſeu aliquis ex fidelibus regni noſtri, vel ſucceſſorum noſtrorum, paraveredum aut paſcuarium, vel manſionaticum aut aliquam indebitam exactationem ab eis vel ab eorum ſucceſſoribus exigat, neque in Eccleſias, aut ad loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones memorati Monaſterii ubi & ubi conſtitutas quas nunc habere videtur, vel de cetero per futura tempora idem Monaſterium acquirere potuerit, ad cauſas audiendas vel freda exigenda, aut manſiones, aut paratas faciendas, vel fideijuſſores tollendos, aut homines ipſius Monaſterii injuſtè diſtringendos, vel paraveredos aut paſcuarios exigendos, nec ullas redibitiones, vel inlicitas occaſiones requirendas, aut quamcumque inquietudinem ipſi loco & ejus habitationibus inferendi licentiam habeant, vel ad ejus Monaſteri loca ullo unquam tempore ingredi valeant, vel exactare præſumant: ſed liceat memorati Monaſterii Abbati ſuiſque ſucceſſoribus, & omni Congregationi res præfati Monaſterii cum omnibus quæ in ſua ditione habuerint ſub immunitatis tuitione quieto ordine poſſidere, atque pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ, & pro ſtabilitate Regiæ poteſtatis & regni noſtri, atque pro populo nobis ſubjecto, Domini miſericordiam exorare. Et ut hæc auctoritas, noſtris futuriſque tempori-

Digitized by Google

bus, Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propria eam subter firmavimus, & deanulo nostro sigillari jussimus. *Signum* KAROLI glorioſissimi Regis.

ADALGARIUS Notarius ad vicem Gozelini recognovit.

Datum Nonas Augusti, Indictione IV. Anno XXXII. regnante CAROLO glorioſissimo Rege. Actum Doziaco* palatio Regis in Dei nomine feliciter, Amen.

* Douzy.

Ex hac Charta atque ex sequente, pag. 354. corrigendi sunt quidam Scriptores Hispanici, præsertim Vincentius Domonecus in lib. de Sanctis Catalaunia ubi de Sancto Flaminiano Mart. Cusano agit: relati à Bolando ad diem 5. Ianuarii, pag. 228. & seq.

PRÆCEPTUM
KARLOMANNI REGIS
In favorem Monasterii Sancti Polycarpi Ordinis Benedict. in diœcesi Narbonensi.

Anno Christi 881. *Ex veteri apegrapho D. d'Heronval.*

II. IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI : KARLOMANNUS gratiâ Dei Rex. Si utilitatibus locorum divinis cultibus mancipatorum, servorúmque Dei necessitatibus in eis degentium sagaciter providemus, Regiæ celsitudinis operam frequentamus; ac per hoc æternæ beatitudinis gloriam faciliùs assecuturos omninò confidimus. Itaque notum sit omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus & nostris, præsentibus atque futuris, quia venerabilis vir & nobilis dilectus ATILA Abba ex Monasterio sancti Polycarpi ad nostram accedens mansuetudinem coram frequentia Procerum Primarúmque nostrorum detulit nobis authorabile Præceptum sibi à divæ memoriæ KAROLO avo nostro glorioſissimo Imperatore collatum, scilicet ex præfato Monasterio sito in pago Redensi cum universis ad se pertinentibus, vel

Digitized by Google

bus, vel appendiciis atque adjacentiis seu terminis suis, necnon & cum Gajano-villare cum antiquis terminis, sive cum rebus quas AUSTRIMIRUS eidem Monasterio contulit, & in pago Helenensi, quorum sunt nomina, Palatiolus & Salellas, seu & cum cella in pago Carcassensi conjacenti, quam idem Austrimirus ad idem Monasterium delegavit, cujus vocabulum est Cornicianus, cum omnibus nihilominus quæ ad Deum timentibus hominibus ad idem collatum fuerit Monasterium, id est, sancta Cruce & Milsirico, sub nostro successorúmque nostrorum tuitione in perpetuum maneat; videlicet ut nullus Judex publicus, neque quislibet ex judiciaria potestate, aut ullus ex fidelibus nostris tam præsentibus quàm futuris ad Cellas aut in Ecclesias, vel loca sive agros, vel reliquas possessiones quas nunc in quibuslibet pagis & territoriis possidet; vel quæ deinceps fidelium devotio ibidem augere voluerit, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussore s tollendos, hominésque distringendos, aut quascumque redhibitiones vel inquietas occasiones requirendas, nostris futurísque temporibus ingredi audeat, nec ea quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat, sed liceat memorato Abbati suísque successoribus res ejusdem Monasterii cum omnibus ad se pertinentibus, sub tuitionis atque immunitatis nostræ defensione, remotâ totius judiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere.

Petiit etiam venerabilis Abba ATTILA Celsitudinem nostram, ut homines liberi commanentes infra terminos ejusdem Monasterii, quos præfixerunt auctoritate domni LUDOVICI . . . . . & BERNARDUS Comites, terras quas ex eremo traxerunt quietè possideant, & congruum obsequium, sicut homines ingenui, exinde eidem Monasterio exhibeant, ne eorum ingenuitas vel nobilitas vilescat. Hi verò homines, qui extra terminum ejusdem Monasterii manent, & terras infra fines præfati Monasterii habent, si eorum voluntas fuerit de ipsis terris commu-

Digitized by Google

tandi aut vendendi, per hoc nostræ auctoritatis Præceptum inter se invicem aut ad idem Monasterium, licentiam habeant, & ipsa emptio vel commutatio plenissimam præsenti nostræ auctoritatis edicto, in omnibus obtineat firmitatem; alia facta venditio vel emptio non habeat firmitatem.

Quandoquidem aut divinâ ordinatione supradictus Abba vel successores ejus ab hac luce migraverint, quandiu ipsi inter se tales invenire potuerint de . . . . . prædicti Abbatis, qui ipsam Congregationem secundùm Regulam sancti Benedicti regere & gubernare valeant, per hanc nostram auctoritatem licentiam habeant ex semetipsis Abbates eligere; quatenus servos Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis & stabilitate totius Regni nostri, Domini immensam misericordiam jugiter exorare delectet. Et ut hæc nostræ largitionis auctoritas nostris successorúmque nostrorum temporibus inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, manu propria subterfirmavimus, & annuli nostri impressione adsignari jussimus. CARLOMANNUS.

NORBERTUS ad vicem WULFARDI recognovi.

Actum apud Petræfictum, x. Kalendas Junii, anno tertio regni KARLOMANNI glorioſiſſimi Regis, Indictione XIV.

Anno Christi 889.

PRÆCEPTVM ODONIS REGIS

Pro Monasterio S. Polycarpi diœcesis Narbonensis.

III. IN nomine Domini Dei æterni & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI. ODO misericordiâ Dei Rex. Si servorum Dei loca divinis cultibus mancipata pro merito nostræ celsitudinis augemus, atque beneficia opportunè largimur, sine dubio ob id nobis propitium Deum minimè diffidimus. Quocirca noverit omnium

Digitized by Google

fidelium noſtrorum tam præſentium quàm & futurorum ſolertia, quia adierunt noſtram clementiam venerabilis ENERMIRUS Epiſcopus, & Comes SONIARIUS, & deprecati ſunt ut Monaſterium conſtructum in honore beati Polycarpi Pontificis & Martyris, ubi ARNULFUS Abba præeſſe dignoſcitur non modicæ turbæ Monachorum (Quod Monaſterium ſitum eſt in pago Redenſi ſuper fluvium Rivograndi) quatenus ipſum locum in noſtra defenſione cum omnibus ad eum pertinentibus haberemus ſimul & defenſione, ſicut præcedentes Reges comprobantur hactenus Præceptorum indagine feciſſe. Quod nos quoque audientes libenter eorum acquievimus conſiliis, & præfatum Cœnobium ſub noſtro munburdio ac tuitione ſtatuimus, ut nullus deinceps ſucceſſorum noſtrorum de his quæ in eorum præceptis, privilegiis, atque chartulis continentur, auſu temerario præſumat invadere; ideſt, in Comitatu Redenſe Gajano cum ſuis pertinentiis, ſicut in eorum ſcriptis continetur; & Meliſirico & ſanctam Crucem & ipſos . . . . Et in termino de villa quæ dicitur Luco, & Petrolas ac Caſſanias, & Bugaragio, terras cultas & incultas, ſicut in eorum continetur chartulis. Et in villa quæ dicitur Salas, & in Legello, & in Corniliano, quidquid per chartulas videntur habere: Et in Comitatu Carcaſſenſi Corniciano cum Eccleſia ſancti Pauli, cum terminis & adjacentiis ſuis: Et ultra Cluſa in Comitatu Impurinenſium in ipſa garrica Eccleſiam ſancti Felicis cum terminis & adjacentiis ſuis; & in Petralatenſi Eccleſias ſancti Petri & ſancti Fructuoſi conſtructas, cum propriis terminis, propriiſque finibus, una cum Villare eis pertinente ſitum in Armorotas ſuprà taxatum Magregerum; Et ſanctum Johannem ſuſpineta, & ſanctum Cyprianum, cum propriis adjacentiis; & in alio loco condaminam modiorum VI. Et in Comitatu Elenenſi res quas Guiſtrimirus Comes eidem Monaſterio, ideſt, Palatiolum & Sallelas, & in Petrapurtuſenſe Petianum cum ſuis appenditiis, & quidquid ibi fuit viſus habere vel poſſidere.

Digitized by Google

Hæc omnia & quicquid studium bonorum hominum acquisivit, vel adquirere potuit aut condonare, sancimus ut nullus successorum nostrorum, nullúsque mortalium hujus nostræ auctoritatis ausu temerario præsumat invadere : sed liceat Monachis sub regulari tramite Deo servire, & per studium sanctæ Dei Ecclesiæ votis continuis exorare. Statuimus etiam & præcipimus, ut nullus Judex publicus ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansionaticos, vel paratas faciendas, vel homines intra potestatem jam dicti Monasterii distringendos, neque servos aut ingenuos, aut ullas redhibitiones exigendas exigere præsumat. Præcipimus etiam ut obeunte Abbate, non alius ibi subrogetur, nisi quem omnis Congregatio communi voto elegerit. Quisquis autem hujus loci immunitatem infregerit, ac quæ superiùs statuimus violaverit, sexcentos solidos componere faciat. Ut hæc autem Præcepti nostri auctoritas nobiliorem obtineat vigorem per futura tempora manu propriâ subterfirmavimus, & annulo nostro signare rogavimus.

Signum Odonis glorioſissimi Regis.

Troannus Notarius ad vicem Ebuli recognovit.

Datum mense Junio, Anno dccclxxxviii. Indictione septimâ, anno secundo Odonis Regis, in Dei nomine feliciter, Amen.

Digitized by Google

LOTHARII
REGIS FRANCORVM
Præceptum.

Anno Christi 958. *Eruit Dominus d'Hereuval & commodavit.*

IV. IN nomine Sanctę & Individuę Trinitatis. LOTHARIUS gratiâ Dei Rex. Si fidelium nostrorum justis petitionibus nostræ Serenitatis aures accommodamus, præcessorum nostrorũ Regum consuetudines obtinemus. Quapropter notum sit sanctæ Dei Ecclesiæ nostrorúmque fidelium tam præsentium quàm futurorum industriæ, quòd domina mea Mater Regináque GIRBERGA, per consensum nostrorum fidelium tam præsentiùm quàm futurorum imperiali monitu accedens ut quasdam res, scilicet Monasterium in honore sancti Michaëlis sive sancti Germani cuidam Abbati ipsius loci largiremur nomine PONCIO, nostram impulit mentem. Cui æquæ monitioni uti dignum est obedientes, pro remedio animæ nostræ ejúsque placido audivimus affectu. Qua de re constat nominatim terram supradictorum Michaelis scilicet Germaníque in valle Confluenti in loco Coxano. Habet autem jam dictum Monasterium sibi vicinas Ecclesias subditas in honore sancti Fructuosi sive sancti Martini, cum Parochiis quæ ad eas pertinent, sive alodibus quæ habet terminos de uno latere ripam Merdarii, de alio in charro Clarmnæ, de tertio montem Caningonem, de quarto montem Flamidinum, de quinto ipsas turres Berses, de sexto montem Bovarium, de septimo usque ipsam stratam Franciscam & Petram fictam, & villam Clerano, cum Ecclesia & decimis & terminis & finibus suis; & villa Castellano, cum Ecclesia sancti Andreæ, cum decimis & terminis & finibus suis, sicut in hac scriptura resonat, quod fecit FUMEFREDUS * Comes sancto Michaëli sive sancto Germano: & vallem Leto cum Ecclesia sancti Salvatoris, & habet terminum de uno latere ipsam

Quæ Monasterio S. Michaëlis dederat Gerberga Regina approbantur à Rege.

* *Infra* Sunicafredus.

portellam, de alio ipsam Stelam, de tertio montem Stavellum, de quarto monten Caprarium, de quinto Labum convivium, de sexto montem Cogollem, de septimo villam Senariam, & villam Arbutiolam cum domibus, & terris cultis & incultis, vineis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarúmve decursibus, exitibus, & regressibus: & planitiolis sive terradis, atque quoddarium sicut Longobardus tenebat ante diem obitus sui, & villa Torrente cum terminis & finibus suis, & villa Taralago cum terminis & finibus suis in eadem valle, in villa nuncupante Fuliano sive Saurra.

Et iterum in Vernedo sive in Foliolos, & in plurimis aliis locis, domibus, terris cultis & incultis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarúmque decursibus, exitibus & regressibus. Et in loco qui dicitur Infor cadus, ipsa Ecclesia cum decimis & primitiis. Et in alio qui loco dicitur Laguna cum Ecclesia & decimis, & terminis, & finibus suis, sicut in ipsa scriptura resonat, quod fecit dictus SUNIEFRIDUS* Comes sancto Michaëli & sancto Germano: ipsum alodum habet terminos de una parte pontum novum, de alia ad ipsos molendinos ab taqua Tebeda, de tertia ipsa archa, de quarta ad ipsas Cales, de quinta à flumine Tede usque ad Oleta.

Alii * Seniofredum *vocant.*

Et in alio loco Ecclesia sancti Thomæ cum terminis & finibus suis, Albareto cum finibus suis, Intervalles cum terminis & finibus suis, & villa Lare cum Ecclesia, cum terminis & finibus suis. Talazo cum finibus suis, Mazumculas cum finibus suis, Canavellas cum terris, vineis, & finibus suis, & ipsum alodum de valle magna, ipsa villa cum Ecclesia, qui habet terminos de una parte villam Leborariam; de alio ipso collo de Leboraria; de tertia parte ipsas Agulias, de quarta parte Aderamala; de quinta in monte Canigone; de sexta ad ipsa Capraria; de septima ab arbore formoso; de octava à gurgo Ansalego in Comitatu Sardanienſe, in loco qui dicitur Tollone, cum domibus & terris & terminibus & finibus suis. In Baltarga, Ecclesia sancti Andreæ cum decimis, & terris

Digitized by Google

& vineis. In Tartaria, Eccleſia cum decimis & terris & vineis; ſicut in ipſa ſcriptura reſonat quod fecit SCLIVINA ad ſancti Michaelis & ſancti Germani. In Sagane, Eccleſia ſanctæ Eugeniæ cum decimis & primitiis.

In Volvir Eccleſia ſanctæ Cęciliæ cum decimis & primitiis cum ipſo poio. Et habet terminus uno latere flumen Segure, de alia in terminio de Sagana, de tertia in fontanaria ſive in terminio de villa Euviles, de quarta Eccleſia ſancti Martini, & in Ventojola, Eccleſia cum decimis, & primitiis. Et in villa quæ dicitur Everdomibus, cum ipſo alodo Adelildis, ſicut in ipſa ſcriptura reſonat, quem ipſa dedit ſancti Michaëlis & ſancti Germani. Et ipſum alodum Heirogoliſa habet terminos de una parte flumen Araone, de alia, ſtrata quæ pergit ubique, de tertia rivolũ qui decurrit de villa Uri & ultra ipſum rivolum, ipſa inſula cum ipſo prato, de quarta, in villa Evegio, & in pago, qui dicitur Sonelietenſis, in loco ubi habetur Eccleſia in honore ſanctæ Crucis cum ipſum arduum mõtem*, cum Eccleſia ſancti Laurentii, & ceteris aliis Eccleſiis, cum decimis & primitiis earum, & cum ipſo alode qui habet terminos de una parte Buſcertedo; de alia Fontecuberta; de tertia ad ipſa Miardiola; de quarta Caucano; de quinta Aquas bonas; de ſexta Taliano; de ſeptima fonte merdoſa; de octavo in Gugulante; de nono à plaido Lupino; de decimo ipſas ſcales; undecima in Verzellia; duodecima à fonte Salvanore; XIII. à tribio; quarta decima, à Roccaregia; XV. à Campogerigo; XVI. Lidinolas. Et in comitatu Bergitanenſi in loco qui dicitur Spugiola Eccleſia ſancti Clementis, cum decimis & primitiis, cum domibus & terris ſcilicet ac vineis, ſicut SUMARIUS Comes detinebat ante diem obitûs ſui.

* Ipſo arduo monte

Quæ omnia ſupra memorata, & alia quæ in aliis pagis, videlicet in Sardanienſi, Foliolatenſi, in Bergedano, in Reſolionẽſe, in Valle-aſperi, vel in ceteris Comitatibus quod hodie retinent, vel Domino propitiante adquirere potuerint per ſcripturas emptionis vel donationis ſive cõmutationis, aut pro qualicunque voce habere dinoſcuntur, ſi-

Digitized by Google

cut in eorum Privilegio, & in chartis eorum continetur, cum omni earum rerum integritate. Et ut hoc firmiùs stabiliúsque retineatur sine omni contradictione, hoc Præceptum exinde fieri jussimus & annulo nostro insigniri.

Signum Domini LOTHARII glorioſissimi Regis.

GEZO Notarius ad vicem domini Artaldi Archiepiſcopi ſummi Cancellarii recognovit.

Datum v. Idus Februarii, regnante glorioſiſſimo LOTHARIO, IV. anno, Indictione II. Actum in Compendiaco palatio feliciter, Amen.

Circa Ann. Chriſti 1096. *Ex Mſ. D. d'Hrouval.* Ea lege fit Donatio ut filius Gauſberti cùm ad decimum ætatis annum pervenerit induat habitum Canonicum, &c.

Canonicorum Cadurcenſium Donatio facta GAUSBERTO *de Caſtro-novo.*

V. HANC juſſit Chartam fieri GERALDUS Caturcenſis Epiſcopus ſuper honore ad Secretarium beati Stephani pertinente, quem poſtulaverat diutiùs GAUSBERTUS de Caſtro-novo qui dicitur Deltalius, injuſtè & ſine omni recto uſu dari ſibi quaſi laïcalem hereditatem, nunc precibus, nunc munera promittendo, nunc minis quaſi deterrendo; nullatenus tamen à nobis Caturcenſibus Clericis impetrare potuit. Orta verò in partibus noſtris ſeditione & turbatione non minima, eò quòd Pictavenſis Comes invaſerat & violenter arripuerat Toloſam civitatem parando ſubjugari ſibi totum omninò honorem Raimundi Toloſani Comitis, qui juſſu & obedientia URBANI Romani Pontificis, & multorum Archiepiſcoporum, aliorúmque Pontificum ad peregrinandum tranſierat, ut expugnaret exteras gentes, & debellaret barbaras nationes, ne diutiùs captiva teneretur civitas ſancta Jeruſalem, neque contaminaretur Deo auxiliante ſanctum ſepulcrum Domini Jeſu; nimio rogatu domini GERALDI prædicti Pontificis conſenſimus, animadvertentes mala quæ imminebant civitati & Eccleſiæ noſtræ, ut Gauſbertus præſcriptus haberet partem honoris malè poſtulati ad dominium noſtrum & proprietatem preverſuri tempore conſtituto, alioquin non

Digitized by Google

non poterat illum habere auxiliatorem ſibi in ſuperve-
nientibus preſſuris domnus Epiſcopus, neque adjutores
ejus, niſi illicitè conceſſi ſibi partem honoris ad ſanctua-
rium Eccleſiæ noſtræ pertinentis. Milites verò quam-
plures nobiliores Epiſcopatûs noſtri inſurgebant in Epiſ-
copum noſtrum, ſcientes anguſtias maximas ſibi eſſe il-
latas, alii honores, alii maxima munera, alii ſanctuaria,
ut ſibi in hoc ferrent auxilium expetentes.

His ergo & hujuſcemodi diſceptationibus ſollicitati,
pro defenſione Eccleſiæ noſtræ & tuitione honoris no-
ſtri paſſi fuimus, ut uſque ad tempus partem haberet ho-
noris Eccleſiaſtici prænominatus Miles. Eſt ergo taliter
hujuſcemodi diſcuſſum negotium. Priùs dimiſit prædi-
ctus Gauſbertus quidquid in honore ſanctuarii noſtri ju-
ſtè vel injuſtè, ſive aliquo ingenio vel quacumque calli-
ditate expetere potuiſſet. Poſteà verò quaſi pro obedien-
tia commendavimus ei exteriorem honorem ſecretariæ
noſtræ, nimiis precibus domini Pontificis obſtricti, ex-
ceptis Eccleſiis, & decimis, & excepta turre quæ in ſupe-
riori parte civitatis noſtræ ſita eſt cum appoſitis domibus
& furno: hoc tenore tamen & convenientia, ut det nobis
filium ſuum unicum è duobus quos priùs genuit illi uxor
ſua ut fiat Canonicus Regularis in Eccleſia noſtra, & cum
eo relinquat nobis cum omni pace totum honorem ad ſe-
cretariam noſtram pertinentem in perpetuum poſſiden-
dum cum omni pace & dilectione ſæpe nominatus Gauſ-
bertus. Fiat verò conceſſio & pueri & honoris uſque ad
expletionem decem annorum, ita tamen ut eo die quo
puer canonicalem induerit habitum, dimittat nobis to-
tum omnino honorem ad ſanctuarium pertinentem, &
ad jus Eccleſiæ noſtræ ubicumque inventus fuerit, & in-
fra terminum decem annorum diſpoſuerit nobis tradere
infantem. Si autem nec expletis decem annis aliqua con-
fiſus calliditate noluerit nobis tradere filium ſuum ut Ca-
nonicus fiat Regularis, ſicut pactum eſt, honorem ta-
men liberum ſine omni inquietudine ſive cum filio ſive
ſine filio, conſummato termino in pace nobis relin-
quet.

Digitized by Google

Testes sunt hujusce modi pactionis G. Episcopus.
AIMERICUS de Laroca.
GRIMALS de Laroca.
Ipse GAUSBERTUS Deltalinc.
GUILLELMUS Bonafos.
GUILLELMUS de Meder.
ARNALDUS Guillelmus.
STEPHANUS Beralz.
ARNALS* Guirals; & omnis Conventus Canonicorum.

* Arnaldus.

Anno Christi 1103. *Eruit ac dedit Dominus d'Heronval.*

GVILLELMI PRÆPOSITI CADVRCENSIS Sacramentum sive Iusjurandum.

Spondet se personas, omnia jura & bona Ecclesiæ Cadurcensis defensurum.

VI. IN nomine Sanctæ Trinitatis. Ego WILLELMUS electus in pręposituram ad tuendos Beati Stephani exteriores honores, ob nimiam molestiam & injuriam à plurimis eumdem honorem ultra modum vastantibus ibi illatam, volo me subjici & subponi famulitio Caturcensis Ecclesiæ, & Domno GERALDO Episcopo & Canonicis ejus: & profiteor me eis fidem servaturum inviolabilem, & securitatem, & defensionem sine omni fallacia pro posse meo semper adhæsurum præceptis eorum; & quòd terram & homines sancti Stephani cum omni modestia, & cum omni mansuetudine, & sine molestia & gravi vexatione tractabo, nec eos aliquibus illicitis & extraordinariis exactionibus gravabo. Concedo etiam & confirmo & laudo eis in Domino possidendum quidquid ex eo tempore pro regula Canonicæ Religionis in Caturcensi Ecclesia initium sumpsit, vel ex honore Beati Stephani, vel aliunde quolibet modo adepti sunt, vel amodò sive ex concessione vivorum, seu sepultura mortuorum, sive alio quolibet exquisitionis modo adepturi sunt; me neque prohibente, neque concessionem illam in aliquo impediente, neque ibi ulterius quidquam quærente, sed potiùs confirmante & corroborante, ut pro-

Digitized by Google

prietati eorum ſine omni obſtaculo deinceps ſubjaceat.

Conſtituo quoque & conſtituendun cenſeo, ut habeant Canonici modò per totum honorem mutationes & inveſtituras, & quæſturas, & hoſpitia, & juſtitiam ſuam, & ut cultores & procuratores honorum accipiant per manus eorum quiſque adminiſtrationem ſui officii, ſcilicet vicarii, ſatellites, & ruſtici. Hoc etiam placuit inſtituendum Eccleſiaſticâ cenſurâ, ut omnibus diebus vitæ meæ ſine conjugio ſim, & ut Eccleſiaſticos Ordines hujuſmodi honori debitos temporibus certis per ammonitionem Epiſcopi & Canonicorum libenter accipiam, & ut in honore Beati Stephani nullum omnino obſtaculum ponam, vel aliud quiddam quo alienari à Canonicorum proprietate poſſit efficiam.

Hæc omnia ſupradicta me obſervaturum eſſe dando fidem meam in manu domini Epiſcopi cum obſidibus meis PONTIO de Belfort, STEPHANO de Monpeſat, GAUSBERTO de Caſtronovo, AIMERICO de Rupe, REINALDO Seniorel: confirmavi & confirmo, & ſicut fidem dedi ita juro. Ego GUILLELMUS quod promiſi fide tenebo, & ſervabo amicitiam & fidelitatem domino GERALDO Epiſcopo & Canonicis Regularibus præſentibus Eccleſiæ, & tuebor vitam eorum & membra, ut nullo modo inſurgam in eos, vel cæde, vel captione, vel aliqua læſione quâ infamiâ notari poſſit, vel aliquis ..... meâ vel ingenio. Perſcripta eſt Charta hæc in Caturcenſi civitate in præſentia domini Geraldi ejuſdem civitatis Epiſcopi, & omnium Canonicorum, & civium aſtantium & plurium Nobilium menſe Julio, hebdomadâ III. feriâ I. anno Dominicæ Incarnationis MCIII. Indictione XI.

Digitized by Google

GVILLELMI Vicecomitis Sancti Cirici.

Circa Ann. Christi 1104. *Eruit & concessit Domin. d'Heronual.*

VII. GUILLELMUS Vicecomes Sancti Cirici fecit pignoram RAIMUNDO Rateri in villa quæ dicitur Crem, videlicet unum prandium cum centum Militibus, per trecentos solidos Aquitanenses: Postea possedit eam RATERIUS de Belfort, & dedit eam Domino Deo & sancto Stephano. Postea verò filius præfati Vicecomiris inferebat injuriam ruricolis: quam valde condolentes Clerici Caturcensis Ecclesiæ, dederunt præfato Vicecomiti GUILLELMO septuaginta solidos, ut ultra nec ille nec aliquis ulla affinitate sibi conjunctus aliquam violentiam inferre præsumerent: & omne quod in hac terra justè vel injustè quærere poterant cum ista pignora jure perpetuo Domino Deo & sancto Stephano & Clericis ipsius Ecclesiæ relinqueret, quoadusque pignoram supradictam redderet, videlicet trecentos solidos nummorum Aquitanensium, & septuaginta solidos nummorum Caturcensium per singulos annos in capite Kalendarum Novembrium.

Quæ oppignoraverat Guillelmus Vicecomes, data fuerant Canonicis Caturcens. sed postea ablata reciuuntur.

Ut autem firma sit ista conventio est fidejussor GAUCELINUS Arnals*, tali ratione ut si Vicecomes aliquid in hac terra ultra quæsierit, ipse Arnaldus ex castro sancti Cirici nullo modo exeat, mox ut à Clericis amonitus fuerit usquequo ad usque Vicecomes ad emendationem veniat. Si autem Arnaldus fidem servare noluerit, super eum fidem fecerunt ARNALDUS de Laribera & STEPHANUS Diutrans.

* Arnaldus.

Testes sunt ipse GUILLELMUS Vicecomes & filius ejus ADEMARUS, AIMERICUS de Laroca, GRIMALS Bos, PONTIUS de la Pincta, & STEPHANUS Arnaldi. VI. nonas Julii, feria. IV. Luna VII. Temporibus PHILIPPI Imperatoris.

Digitized by Google

Donatio facta Canonicis Cadurcenſibus à RATERIO *de Belloforte.*

Ex eodem. Confer cum præcedente charta.

VIII. EGO RATERIUS de Belloforte concedo convivium illud quod accepi in pignore pro trecentis ſolidis de Vicecomite de ſancto Ciricio, Domino Deo & ſancto Stephano & Canonicis ejus, pro anima mea & patris mei, illum videlicet cenſum quem accipere ſolebam in honore beati Stephani qui vocatur Crem, ut ſemper habeant, & abſque alicujus perturbatione poſſideant, quoadusque trecenti ſolidi nummorum probatæ monetæ illis reddantur. Sint autem iſti nummi in eorum proprio, pro peccatis meis redimendis.

Dimitto etiam & dono beato ſupradicto Stephano, & Canonicis regularibus, terram illam & honorem, qui eſt apud Eſperam, quem ego dudum & verbis & armis injuſtè perturbabam. Ideo dico injuſtè, quia ſcio antiquis temporibus eumdem honorem donatum fuiſſe beato Stephano & Caturcenſi Eccleſiæ à legitimis poſſeſſoribus. Nunc verò quicquid juſtè vel injuſtè aut aliquo ingenio vel requirebam vel poſſidebam in eodem honore, redono & confirmo beato Stephano & Canonicis ejus pro ſalute animæ meæ ut omnia in æternum poſſideant. Facio autem donationem iſtam præſente GERALDO Epiſcopo illuſtri viro, ut ſemper ejuſdem donationis meæ protector fiat in vita ſua, & tutor, & teſtis rationis. Quiſquis verò hanc eleëmoſinam meam inſtigante diabolo in aliquo perturbare voluerit in inferno cruciandus Dei judicium incurrat.

Scribere autem juſſit hanc chartulam prefatus Epiſcopus GERALDUS ob memoriam poſterorum, ne aliqua oblivione inficiari poſſit. Quæ ſcriptio facta eſt in conſpectu totius Canonicæ congregationis, menſe Aprilio VI. Idus ejuſdem menſis, feriâ III. poſt Ramos Palmarum. Regnante PHILIPPO Rege.

Digitized by Google

BERNARDI TRAVCAPETI.

Circa Ann. Christi 1104. *Ex eodem D. d'Herouval.* Induens habitum Canonicum multa tribuit ac filium offert Ecclesiæ Cadurcensi.

IX. IN Dei nomine, ego BERNARDUS Traucapetus veniens ad Canonicam conversionem, pro redimendis peccatis meis concedo beato Stephano & Canonicis regularibus Caturcensis Ecclesiæ quinque porcos, & quinque arietes, ut accipiant per singulos annos de villa quæ vocatur Allnag; dono etiam beato Stephano vineam meam quæ est apud beati Laurentii Ecclesiam, ut semper securè possideant prædicti Canonici. Quibus iterum concedo decimam Ecclesiæ Desiderii quæ est illorum: ut confidenter suo subjiciantur dominio. Delinquo etiam filium meum nomine ARNALDUM, ut fiat Canonicus regularis in Ecclesia Caturcensi; cum quo concedo quicquid possidere visus sum in honore qui vocatur Cavamo.

Hæc omnia supra dono & concedo fieri sine omni dolo in præsentia domni GERALDI Episcopi nobilissimi viri, consentiente & volente & rogante uxore meâ, & omnibus filiis meis, & cum consilio nepotum & cognatorum & omnium affinium meorum, ut semper ex hac hora possideant Canonici regulares sine omni perturbatione (sive vivat sive moriatur filius meus) totum supradictum honorem. Scripta verò est charta ista, mense Aprilio, feriâ III. post Ramos Palmarum, jubente domno GERARDO Episcopo.

Circa Ann. Christi 1107. *Ex Mss. D. d'Herouval.*

RAIMUNDI *de Banza & uxoris ejus Donatio dum filium offerunt ut fiat Canonicus Regularis in Ecclesia Cadurcensi.*

X. EGO RAIMUNDUS de Banza & uxor mea ASTORGA, damus hunc filium nostrum PETRUM Deo & Prothomartyri Stephano Carturcensis Ecclesiæ, ut ibi Canonicus Regularis serviat omnibus diebus vitæ suæ, damus ei tertiam partem Ecclesiæ Autoire, scilicet de

Digitized by Google

decimis, de decimatore, & præſbyterio, & de omnibus omnino rebus quæcunque inde proveniunt. Concedimus Beatiſſimo Stephano Caturcenſis Eccleſiæ tertiam portionem ut liberè poſſideant Canonici ibidem regulariter converſantes omni tempore. Si verò vel Epiſcopus, vel Præpoſitus, vel quælibet hujuſmodi perſona aliquid à menſa vel communione Fratrum diſtraxerit & ſubripere voluerit, ita diſcernimus * fieri, ut unus ex filiis vel fratribus noſtris vel ex propinquioribus cognatis noſtris, ſtatim in ſuos uſus retorquere conetur. Et ipſe RAIMUNDUS qui chartulam iſtam fieri juſſit, & UGO filius ejus & ceteri fratres, & W. de la Mota, & GERALDUS de Palmas. Scripta eſt charta iſta menſe Maïo, XIII. Kal. Junii, Regnante PHILIPPO Rege, in diebus domni GERALDI prædictæ civitatis nobiliſſimi Epiſcopi.

* f. decernimus.

HUGO *de la Rocca offert Deo filium ſuum in Eccleſia Cadurcenſi.*

Anno circiter 1100. *Ex Mſ. D. d'Hereval.*

XI. BREVE quod juſſit facere UGO de Laroca ad mortem ſuam. Inprimis filium meum ADEMARUM dono Domino Deo, & Stephano ſancto, cum honore cujus vocabulum iſtud, videlicet, la Vila de Bergonionio, totum quod in ea poſſidebat juſtè aut injuſtè dedit. Teſtes ſunt ac fidejuſſores filii ſui Bernardus Ugo & Ugo frater ejus; ut ipſi teneant, ac totis viribus tenere faciant omnibus diebus vitæ ſuæ, ſuper eos eſt fidejuſſor Aimericus Lurof, Willelmus Gauſbertus, Folc. de Lapopia, Aimericus de Laroca, Petrus de Cuſalo, Vicecomes ſancti Cirici ſuper omnes.

Quoddam dominium confert.

Digitized by Google

NVNONIS SANCII

Anno Christi 1117. Eruit ac dedit D. d'Herouval.

Edictum pro pace seu treuga servanda.

XII. AD honorem Dei omnipotentis qui auctor pacis est & amator caritatis, & gloriosæ genitricis ejus Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum. Nos NUNO SANCII dominus Rossilionis, Confluentis, Cerritaniæ & Vallispirii, consilio, & voluntate, & auctoritate dilecti patris nostri GALTERI Dei gratiâ Elnensis Episcopi, & consilio Baronum nostrorum, tam civium quàm burgensium, antecessorum nostrorum sequentes vestigia publicæque utilitati totius terræ nostræ consulere providentes, paces & treugas facimus & constituimus in toto Episcopatu Elnensi & Cerritaniæ.

Sed cùm ea quæ divino cultui fuerint deputata primò præ oculis debeamus habere, in prima pacis constitutione, sub pace & treuga ponimus omnes Ecclesias cum earum cemeteriis & sacrariis, quæ speciali hominum censurâ in bonis Dei intelliguntur, & cum omnibus rebus earum mobilibus & immobilibus, & se moventibus, & cum hominibus earum & rebus. Item sub hac pace & treuga ponimus & constituimus omnes Clericos in quocumque sint ordine constituti, & Monachos Regulares, Sanctimoniales, Hospitalarios, Templarios, sive Fratres sancti sepulcri, & omnes alios viros Religiosos, & monasteria omnia, & quælibet loca religiosa, & omnes honores & possessiones eorum, & alias res mobiles & immobiles & se moventes. Item emunitates sive salvetates Hospitalitatis Jerosolymitani sub eadem pace constituimus, & aliorum venerabilium locorum. Statuimus tamen quod de cetero domus Templi & Hospitalis, vel alius venerabilis locus religiosus non recipiat novas salvetates sine consilio domini Episcopi, & Vicarii nostri.

Item sub hac pace sint viduæ, & orphani & pupilli, & res eorum mobiles & immobiles & se moventes. Item guidatica & pennones & omnia regalia firmiter observari

&

& cuſtodiri ſub hac pace & ſecuritate jubemus, etiam omnes venientes ad curiam noſtram, ſtando, eundo, & redeundo, cum omnibus rebus eorum mobilibus & immobilibus & ſe moventibus. Item ſub hac pace ſint cives, burgenſes & omnes alii caſtrorum & Reg. * & villarum, Eccleſiarum & locorum religioſorum habitatores, ſive in villis, vel civitatibus, vel aliis locis habitantes, & omnes eorum poſſeſſiones, pignora, & univerſa tam mobilia quàm ſe moventia. Item ſub hac pace ſint omnes Judæi & Sarraceni qui videlicet ſub fide & cuſtodia in terra noſtra habitantes, & omnes res & poſſeſſiones eorum.

f. * Regalium.

Item ſub hac pace ſint camini & ſtratæ ſive viæ publicæ, & omnes homines tam domeſtici quàm peregrini, mercatores, aliíque per eas euntes & redeuntes cum omnibus quæ ſecum ducant vel portaverint; & ut nullus idem iter agentes invadat, vel in corpore proprio, ſive in rebus ſuis aliquid injuriæ ſive moleſtiæ inferat; militibus exceptis & eorum filiis, qui inter ſe manifeſtè guerram habuerint; & exceptis propriis hominibus, quos dominis in camino capere liceat.

Item villanos & villanas Eccleſiarum & Monaſteriorum & aliorum locorum religioſorum, & noſtri, & omnes res mobiles & immobiles vel ſe moventes, ſub pacis & treugę ſecuritate conſtituimus. Verùm ſi cum armis in maleficio fuerint deprehenſi, damnum eis ibi illatum non requiratur pro pace fracta: ita tamen quòd ſi infra terminos caſtri in quo habitantes fuerint capti ſine aliqua redemptione abſolvantur; ſi verò ultra terminos caſtri exierint cum armis & capti fuerint, vel aliquod malum acceperint, non requiratur pro pace fracta; ſibi enim imputent, niſi res ſuas ſequerentur. Homines verò Militum ſi in maleficio deprehendantur, non requiratur pro pace fracta ſive damnum acceperint, ſive capiantur.

Item ſtatuimus & ponimus ſub pacis & treugæ ſecuritate Villanos & Villanas Militum tam de allodiis quàm de feuodis, cum omnibus beſtiis minutis vel groſſis, ſive cum omnibus animalibus parvis vel magnis, ſive ſint ara-

Digitized by Google

toria ſive non, vel apta ad arandum ſive non, cum inſtrumentis aratoriis, & cum ſuis bubulcis, ſive qui ea cuſtodierint & gubernaverint, ita quòd nullus eorum animalia capiat, nec etiam in proprio corpore prædictorum ruſticorum aliquod damnum inferat, niſi in maleficiis inventi fuerint, vel in cavalcadis cum dominis ſuis aut cum aliis ierint. Item beſtias ararias Militum cum inſtrumentis & cum eis qui eas cuſtodierint & gubernaverint ſub eadem pace & ſecuritate conſtituimus. Item ſub ejuſdem pacis regimine ſint apud alvearia, ſive palumbaria, molendina, palearia, oliveta, & fructus eorum cujuſcumque ſint.

Item ſub prædictæ pacis conſtitutione mandamus firmitérque ſtatuimus, quòd ſi aliquid ſic pro indiviſo aliquorum fuerit commune quod aliqua pars ſit ſub treuga, alia non, illa pars quæ fuerit ſub treuga ſalvet aliam quæ non fuerit ſub pace. Prohibemus inſuper ne aliquis incendium mittat vel ignem ad nocendum ſubponat etiam ſi guerram habuerint, quod ſi fecerit tanquam invaſor pacis habeatur.

Si quis verò præſcriptam pacem in aliquo vel in aliquibus capitulis infringere, vel violare præſumpſerit, infra quindecim dies ad monitionem Vicarii noſtri vel domini Epiſcopi damnum componat illi cui malum fecerit in ſimplum; poſt quindecim verò dies, duplum præſtandis inſuper ſexaginta ſolidis nobis & Epiſcopo ad quos querimonia fractæ pacis & treugæ dinoſcitur pertinere, ſi Milites fuerint vel eorum filii & nobiles bajuli, vel homines villarum qui pacem violaverint: ruſtici verò & alii homines pœnam præſtent viginti ſolidorum, dividendum ſecundùm quod in pacibus anteceſſorum noſtrorum invenitur ſtatutum. Et inſuper ſi infra prædictos quindecim dies per Nos, vel per Epiſcopum, vel per Vicarium noſtrum, vel nuncios idem temerator damnum non emendaverit, exinde ipſe malefactor & complices ſui coadjutores & conſiliatores ejus ab Epiſcopo excommunicentur, & poſteà à prædicta pace & treuga ſeparati intelligantur, ita quòd malum quod propter hoc eis fuerit illa-

Digitized by Google

tum non requiratur pro pace & treuga fracta ; ſalvis tamen aratoriis, animalibus & ſuis inſtrumentis, apum alveariis, palumbariis, molendinis & olivetis. Sed ſi malefactor & coadjutores ejus jamdicto querelanti ullum malum fecerint, emendetur pro pace fracta.

Ab hac autem pace excludimus hæreticos manifeſtos & eorum credentes atque fautores, fures & latrones, & eorum receptatores, & publicè excommunicatos, niſi voluerint ſe emendare ad mandatum Epiſcopi. Statuentes inſuper firmitérque mandamus ut nullus eos defendat, immo manifeſtet eos & omnibus modis devitet. Volumus præterea ut nullus pacis violatores manuteneat, nec aliquis qui ſit baudator appellatus, niſi qui ſe voluerit per judicium curiæ expiare. Ad. . . . .* tes inſuper, firmitérque ſtatuimus & jubemus, quòd ea quæ ab anteceſſoribus noſtris ſtatuta ſunt de pacibus & treugis ſervandis atque tenendis inviolabiliter ab omnibus teneantur, ſerventur & cuſtodiantur.

f. * Admonentes.

Violatores autem pacis ſatisdare & pignora mittere in manu Vicarii noſtri in propriis perſonis, ſi tamen dominus qui eos ad maleficium duxerit, vel ad guerram voluerit pignora mittere pro ſe, & pro militibus, & pro omnibus qui de domo & familia ſua fuerint, recipiatur. Si verò homines Monaſteriorum vel aliorum locorum religioſorum inter ſe damnum dederint in corpore ſive in rebus, & in querimonia iſta ad Vicarium noſtrum pervenerit, remittat eum vel eos ad dominos proprios, & ſi infra quindecim dies damnum in poſſe dominorum ſuorum reſarcire noluerint, aut directum firmare, deinde Vicarius accipiat pignora in perſonis propriis, & cauſa illa fine debito ſub ejus examine terminetur.

Item ſtatuimus & mandamus ut paces iſtæ & treugæ ſint firmæ & duraturæ ab hac die uſque ad feſtum proximum Omnium Sanctorum, & à feſto omnium Sanctorum uſque ad decem annos continuos & completos. Item ſtatuimus firmiter & mandamus, quòd nullus expugnet aliquod caſtrum vel aliquam munitionem cum guſſa vel pererio vel manganello, vel cum alio genere lignorum

Digitized by Google

prout in usaticis antecessorum nostrorum statutum est.

Item statuimus atque jubemus quod omnes Milites, & cives, burgenses & homines villarum à quatuordecim annis & supra paces istas jurent ut eas teneant, & defendant fideliter sine fraude. Quicumque autem ammonitus à domino Episcopo vel à nostro Vicario. Ab Episcopo si jurare eas noluerit excommunicetur, & sit à pace & treuga exclusus, & cogatur per pacem eam jurare.

Hanc autem pacem statuimus salvis juribus & libertatibus Ecclesiarum & nostris atque Militum, & salvis in omnibus consuetudinibus Perpiniani.

Ad majorem itaque firmitatem istarum pacium & treugarum nos NUNO SANCII juramus manibus nostris propriis per Deum & hæc sancta quatuor Evangelia, prædicta omnia, ut dictum est, fideliter observare atque defendere sine fraude & aliquo ingenio.

Actum est hoc sexto Nonas Octobris, anno Domini MCCXVII.

NUNO.
B. UGO de Serralonga juro.
A. de Salsis juro.
R. de Castell-rossilione, & filius ejus juramus.
G. de Montesquio juro.
G. de Salsis juro.
DALMATIUS de Requesen juro.
A. de Mutationibus juro.
Po. de Orcafano juro.
J. de Mutationibus juro.
BREMUNDUS de Villalonga juro.
R. de Villarnaldo.
ODO de Parietibus tortis.
B. de Erresserra.
B. de Perrellonibus.
B. de Ortafano.
Bn. d. . . . .
G. Jordanus.
R. de Caranto.
B. de Malloy.
G. de Insula.
B. Lenceolus.
A. de Villalonga.
GUITTARDUS de Allamano.
A. de Villarnaldo.
G. de Villarnaldo.
TURRILIETAS.
TORTUS de Fontejocoso.
GALTERUS de Orulo.
A. Canoto.
BERTRANDUS Darsato.
P. de Villalonga.
G. de sancta . . . . .
A. de Castrobona.
UGO de Mataplana.
B. de Faga.
B. Daragallo.

Digitized by Google

G. B. de Paracollis.
GAUCERANDUS Durgio.
ADEMARUS de Moſſeto.
B. de Bredis.
R. de Envegio.
BERTRANDUS de Inſula.
Ot. de Corbonis.
B. de ſancta Eulalia.
B. de Boluiro,
R. de Solerio.
G. de Vidrignanis.
P. Raimundi de Tornabore.
GUERALDUS de Inſula.
R. de Verneto.
G. de Saltono.
B. de Tauriniano.
BERENGARIUS Arnaldus.
VITALIS de Inſula.
ERMENGAUDUS de En.

J. EPISCOPI ACCONENSIS EPISTOLA

Anno Chriſti circiter 1219. *Ex ſchedis D. Stephani Baluſii Tutel.*

Ad HONORIUM III. *Papam.*

XIII. SANCTISSIMO Patri ac domino H. Dei gratiâ ſummo Pontifici, J. divinâ permiſſione Acconenſis Eccleſiæ Miniſter indignus, tam debitam quàm devotam cum oſculo pedum reverentiam. Poſtquàm divinæ propitiationis mirificentia ſervorum ſuorum diuturnos atque multiplices miſerata labores, Damiatæ civitatem xl. millibus pugnatorum infra muros abſque gladio & pugna interemptis in manus Chriſtianorum tradidit, & caſtrum Thaneis inexpugnabile fugientibus Sarracenis impiis nemine perſequente ſubjecit Chriſticolis; ſuccedentibus proſperis multi ex noſtris tantorum beneficiorum immemores & ingrati Dominum ad iracundiam provocaverunt, variis criminibus animas ſuas obligantes, & maximè ſpoliis paganorum & theſauris civitatis, furto & rapinâ communitatem exercitus defraudando. Quibus iratus Dominus, exemplo Achor, qui de Anathemate Jericho furtivè retinuit, ultione manifeſta in mari & in terra eos periclitari permiſit; quibuſdam eorum à Sarracenis captivatis, aliis mari ſubmerſis, aliis mutuò à ſe interfectis, alii autem pecuniam per ſacrilegium retentam cum aleis & meretrici-

Digitized by Google

bus luxuriosè vivendo turpiter consumpserunt. Et ita sordida præda eventus bonos non habuit, sed miseris possessoribus suis excommunicationis vinculo innodatis fuit in laqueum & in ruinam, & cum eis pecunia eorum fuit in perditionem.

In illa autem tempestate & tenebroso tempore falsi nominis peregrini supra modum corruperant vias suas, corruentes de peccato in peccatum, divino timore postposito; & qui in sordibus erant, adhuc sordescebant, passim luxuriantes in comessationibus, & ebrietatibus vacantes, invicem mordentes, atque invicem detrahentes, seditiosi, prophani, & proditores, Christi negotium malitiosè perturbantes, & Christiani exercitus impedientes promotionem. Prælatis autem neque obedientiam neque ullam exhibebant reverentiam; sed gladium Ecclesiasticum contemnentes, excommunicationis vilipendebant sententias.

Rex autem Jerusalem cum omnibus ferè militibus suis exercitum deseruit. Magister Templi cum majori parte Fratrum suorum recessit. Omnes ferè milites Francigenæ abierunt. Dominus autem Patriarcha noluit nobiscum in exercitu remanere. Omnes autem qui de Cypro erant nos reliquerunt; & generaliter omnes ferè orientales, tam Prælati, quàm Milites seculares, absentes erant, exercitu peregrinorum ante Damietam in magno periculo remanente. Tantâ autem paupertate omnes ferè milites nostri attenuati fuerant, quòd in toto exercitu quatuor vel quinque vix reperiri poterant qui de suo in Christi servitio valerent substentari; præsertim cùm nec Reges, nec Principes, nec alii potentes in exercitu remansissent, excepto Comite MATTHÆO de regno Siliciæ* qui milites quotquot poterat propriis expensis retinebat. Dominus autem Legatus de eleëmosynis communitatis quibus poterat providebat.

* Siciliæ.

Nostri igitur, quia pauci erant, & cum Sarracenorum multitudine securè congredi non poterant, infra lictas confossati suam ut civitatem custodirent, commorabantur. Soldanus autem Ægypti cum exercitu suo itinere

Digitized by Google

ferè unius diei à civitate Damieta remotus, castra sua in quadam insula collocaverat, per exploratores suos impios Christianos, qui in exercitu suo pretio conducti latitabant, nobis multipliciter insidiando, captánsque opportunitatem si ex aliqua parte nostris possit aliquas inferre molestias, vel per aliquos viros Belial prophanos, Christianos inter nostros posset discordias seminare. Plerumque autem hii qui insidiis latitabant Sarraceni, aliquos ex nostris incautè exeuntes ducebant captivos, vel eis capita abscindebant. Pro quolibet enim Christianorum capite Soldanus Ægypti certam eis spoponderat pecuniam. Nostri autem versâ vice de suis, paucos tamen, aliquando capiebant. Ipsi enim inermes & expediti, velut caprioli celeriter fugiebant, in lacubus paludosis se se recipientes. De nostris autem militibus & Turcopolis, qui quandoque longiùs ab exercitu necessitate aliqua equitabant pro lignis deferendis, vel graminibus colligendis, equis eorum sagittis vulneratis, aliquos quandoque detinebant. Nostros autem pariter conglobatos & in unum collectos nunquam in congressu expectare audebant, nisi longè plures nostris fuissent. Aliquando autem arte fugam simulantes, aliquem de nostris indisciplinatè subsequentem includentes capiebant. Nostris autem pariter redeuntibus, Bolduini eorum habentes equos agiles posteriores à longè sequebantur, captantes opportunitatem si fortè aliquem ex nostris ab aliis incautè recedentem detinere valerent. Sed & eorum æcharii à parte posterioris recedentium equos vulnerantes, quandoque de nostris aliquos retinebant. Ex quo factum est quòd plusquam tria millia Christianorum apud Alexandriam & Kairam & Damascum capti teneantur in vinculis: quorum quidam à piratis Sarracenorum in mari fuerunt capti, alii in prælio detenti, alii dum pabulatum exirent captivati. Multi autem ex pauperibus, dum in lacu quodam non multùm à castris nostris remoto incautè piscarentur, vel in ipsius maris litore à nostris longiùs recedentes, ab hostibus in insidiis latitantibus retenti, abierunt in captivitatem ante faciem subsequentis.

Digitized by Google

Quadam autem die cùm milites & Turcopoli nostri cum præda magna tam paganorũ quàm animalium à quodam casali fessi valde & afflicti reverterentur, Turci quidam in insidiis latitantes cum equis recentibus posteriores ex nostris aggressi, & telorum multitudine vulnerantes equos, magnum nobis damnum intulerunt; quibusdam militibus ex nostris probis valde & in armis strenuis ab ipsis partim captis, partim interemptis. Sic igitur casibus subalternis Christianorum exercitus quandoque inferior ab hostibus captivitatis & mortis detrimentum sustinebat, quandoque superior inimicos crucis Christi trucidabat partim, & partim captivos ducebat. Quoniam autem Sarraceni cautiores erant & ad fugiendum promptiores, nostros autem nisi longè plures essent, & manifestam præminentiam attenderent, expectare non audebant, cùm ipsi plusquam tria millia ex nostris, ut dictum est, in vinculis detinerent, vix mille ex ipsis detinebamus captivos. De Sarracenis autem frequenter ad nos aliqui spontanei pertransibant. Qui tamen Christianorum vitam duram nimis & artam judicantes, eò quòd inter suos quidquid libebat licebat, diutiùs nobiscum manere non sustinebant; sed ad consuetas immundities paganorum revertebantur, à nobis occultè recedentes. De nostris autem versâ vice quidam miseri & abjecti ad paganorum castra sponte transibant; ut comessationibus & luxuriis & obscœnis voluptatibus passim & absque ulla contradictione defixi, in fœcibus suis fœdarentur. Cùm autem Soldanus Ægypti ex prædictis Apostatis recepisset, infidelitatem eorum & animi levitatem non ignorans, astutè eis usus est, mittens eos ad remotiores regni sui partes unde nunquam reverti valerent. Ipsi autem adeò viles inter Sarracenos habebantur, quòd vix unde miseram vitam sustentarent illis tribuebatur; neque eos in suis hospitiis recipere volebant, sed eis improperabant quòd sicut mali Christiani fuerant, ita Sarracenorum legem nunquam bene observarent.

Soldanus autem Ægypti modis omnibus parabat qualiter nostros posset molestare, & exercitum nostrum in

plures

Digitized by Google

plures partes diviſum debiliorem reddere. Unde mandavit fratri ſuo Coradino Soldano Damaſci quatenus circa partes Acconenſes munitionem novam, quæ caſtrum Peregrinum dicitur, obſideret. Ex quo factum eſt quòd multi de exercitu noſtro ad caſtri ſubſidium feſtinantes abierunt, & quòd Acconenſes ad exercitum noſtrum ante Damiatum non venirent. Alii autem fratri ſuo qui Seraph nominatur, qui Princeps eſt regni Salaph in terra Aſſyriorum, prædictus Soldanus dominus ejus præcepit quatenus circa partes Antiochenas & Tripolitinas cum exercitu ſuo moraretur, ut ex partibus illis nullum haberemus ſuccurſum. Sed & galearum multitudinem in mari poſuerat, ut tranſitum peregrinorum & mercatorum impediret, & auxilio eorum qui Cypro commorantur Chriſtianorum nos privaret. In bargis præterea & galionibus multitudinem pugnatorum circa caſtrum Thaneos & in lacu maximo, qui ex una parte ferè uſque ad caſtra noſtra protendebatur, poſuerat.

Interea autem ex utraque parte civitatis Damiatæ Bebdunos & Turcopolos multos habebat, ut exercitum noſtrum multipliciter expugnaret. Et ita his prædictis ſeptem partibus nos infeſtando, ſeptemplices nobis inferebat moleſtias. Dominus autem populi reſpiciens ſui afflictionem, derelictos non dereliquit, ſed clementi bonitate conſolatus eſt deſolatos: quibus tandem vexatio dedit intellectum, ut in variis tribulationibus & variis periculis clamarent ad Dominum. Quanto magis ſiquidem paucitatem ſuam humano ſubſidio deſtitutam conſpexerunt, tanto firmiùs de ſuperiùs auxilium expectantes, ſpei ſuæ anchoram in Domino projecerunt. Interiùs enim à Domino viſitati, & divinæ prædicationis ſermonibus animati revertentes ad cor, & pœnitẽtiam agentes, & confitentes peccata ſua, mutati ſunt in virum alterum, adeò quòd exercitus Domini, reſpectu ejus quod antè fuerat, quaſi clauſtrum Monachorum eſſe videbatur. Confeſtim fervore ſpiritus accenſi, & ſaniori uſi conſilio, omnes publicas meretrices ab exercitu recedere coẽgerunt. Si quas autem ultra terminum præfixum &

Digitized by Google

diem aſſignatum reperiebant, per medium caſtrorum faciebant fuſtigari, & plerumque ferro calido advertentes cauterium in frontibus imprimebant. Publico inſuper edicto præceperunt proclamari ne quis jam potationum tabernas frequentaret, vel deciorum ſive alearum luſibus operam daret, certam pecuniæ ſummam tranſgreſſoribus infligentes. Latronibus autem & homicidis & aliis viris ſceleratis non parcebant. Duodecim Conſiliarii cum Mareſchalco domini Legati, qui malefactores punire juramento tenebantur, prædicationibus divinis & ſalutaribus mandatis libenter & humiliter intendentes. Quod autem præcipiebant, operibus adimplere ſatagebant.

Quoniam autem pauci valde in exercitu remanſerant pugnatores, abſque magno & manifeſto periculo contra Sarracenorum multitudinem congregari non valebant. Interim autem quod poterant devotiſſimè faciebant. Civitas populabatur, conſtruebantur Eccleſiæ ædificia, vetuſtate diruta reparabantur, ſeminabant agros, vineas plantabant, civitatem undique muniebant. Ex parte autem oppoſita civitatis ſuper fluvium Nili ad cuſtodiam portus & navium mirabilem cum labore maximo conſtruxerunt munitionem, omnes à majore uſque ad minorem ſupra collum & humeros ſabulum deportantes, & in uno loco congregantes quaſi in collis ſimilitudinem Toroni altitudinem erexerunt, terræ argilloſæ muro ſabulum concludentes. Non enim in Ægypto lapides reperiuntur, niſi à partibus Cypri, vel Syriæ cum labore magno navigio deferantur. Conſtruxerunt igitur quaſi inexpugnabilem caſtrũ quod foſſores vel petrarias non timeret, nec ignem Græcum. In medio autem turrem ligneam miræ altitudinis erexerunt, non ſolùm ad caſtri defenſionem, ſed ut navigantibus Damiatam tanquam ſignum à remotis appareret. Conſtruxerunt nihilominus in medio magni lacus, de quo ſuperiùs fecimus mentionem, inter urbem Damiatam & caſtrum Theranis medio aliam munitionem loco ſitam, quam Buttivãt noſtri vulgariter appellant. Ob quam cauſam Saraceni ſupra modum doluerunt, eò quòd

Digitized by Google

maximam lacus partem noſtri auferentes eis infinita optimorum piſcium abundantia exercitum noſtrum reddiderunt copioſum, & inſuper cum bargis & galionibus ſuis, ſicut priùs, exercitum noſtrum Saraceni moleſtare non poterant. Aliorum autem victualium tantam nobis Dominus contulit abundantiam, quòd pro modico pretio milites noſtri & alii pauperes ſufficienter poterant ſubſtentari.

Cùm igitur quatuor munitiones haberemus in Ægypto, Damiatam ſcilicet, Theranis, & Toronum in ſabulo, & caſtrum Buttivant in lacu ampliſſimo, noſtrorum ſtatu ſemper in melius creſcente, inimicorum conditio vergens ad occaſum in deterius profluebat; præſertim cùm inter ſe Saraceni pugnam & diſſenſiones haberent, Rex Damaſci Coradinus, qui caſtrum Peregrinũ obſederat, cum magna confuſione multis ex ſuis interemptis receſſiſſet. Frater ejus, dictus Seraph, audiens Regem Indorum David terram ſuam invaſiſſe, à partibus noſtris cum exercicu ſuo coactus eſt recedere. Hic autem Rex David, vir potentiſſimus, & in armis miles ſtrenuus, callidus ingenio, & victorioſiſſimus in prælio, quem Dominus in diebus noſtris ſuſcitavit ut eſſet malleus paganorum & perfidi Machometi peſtiferæ traditionis, & execrabilis legis exterminator eſt, quem vulgus Preſbyterum Johannem appellat: qui cùm Fratrum ſuorum minimus eſſet, ſicuti de ſancto Rege Iſraël David Propheta legimus, omnibus præpoſitus eſt, & in Regem divinitus coronatus. Quàm mirabiliter autem Dominus ipſum his diebus promoverit, & ejus opera magnificaverit, greſſus illius dirigens & populos innumeros, gentes, tribus, & linguas ejus ditioni ſubjiciens ex tranſcripto chartæ ſubſequentis patebit, quam de arabico in latinum per fideles interpretes, prout meliùs potuimus, transferre procuravimus.

Habet autem Rex David tres exercitus: quorum unum miſit in terram Colaph Fratris Soldani Ægyptii, alium miſit in Baldach, tertium miſit versùs Mauſam, quæ priſco nomine Ninive nuncupatur. Et jam non diſtat ab Antiochia niſi per xv. dietas, feſtinans venire uſque ad

Digitized by Google

terram promissionis, ut visitet sepulchrum Domini, & reædificet civitatem sanctam. Priùs tamen proposuit Domino concedente subjugare nomini Christiano terram Soldani Iconiensis, Calaphiam, Damascum, & omnes regiones interjacentes, ut nec unum post se relinquat adversarium. Præcedentium litterarum exemplaria attulerunt Comiti Tripolitano homines ipsius ex partibus illis venientes. Mercatores etiam à partibus Orientis species aromaticas & lapides pretiosos deferentes, consimiles litteras attulerunt. Quotquot autem de partibus illis veniunt, idem dicunt. De exercitu nostro etiam quidam à Soldano Ægypti capti fuerunt, quos fratri suo Coradino misit Damascum. Coradinus Rex Damasci misit eos domino suo Caliphæ Baldachensi. Ille autem Regi David pro magno munere prædictos captivos transmisit. Qui postquam eos Christianos esse cognovit, à vinculis absolutos usque Antiochiam reduci præcepit. Qui prædictos rumores & alia quamplurima de Rege David nobis retulerunt.

Soldanus igitur Ægypti per nuntios prædicti Caliphæ Baldachiensi audiens prædicti Regis David insuperabilem potentiam & mirabiles triumphos, & qualiter jam ferè per ducentas dietas terram Saracenorum in manu potenti occupasset, nec erat qui valeret ei resistere, consternatus animo & mente confusus præcepit sibi adduci quosdam ex nostris nobiles, quos in carcere Kapri detinebat captivos, Electum scilicet Belvacensem, & fratrem ejus, & Vicecomitem Bellimontis, & Johannem de Arceis, & Odonem de Castellione, & Andream de Espoisse, & quosdam de Fratribus Templi & Hospitalis sancti Johannis, & de domo Theutonicorum, per quos pacem cum nostris se sperabat obtenturum. Proprios etiam nuntios cum litteris in exercitu Damiatæ nobis transmisit, modis omnibus tentans si pacem vel treugas posset habere nobiscum.

Christianorum autem exercitus prædictis rumoribus exultabat, & confirmabatur in Domino, & maximè postquam litteras Romanorum Imp. FREDERICI cum nunciis

Digitized by Google

affirmantibus recepimus, quòd Domino concedente cum magna virtute & magnifico apparatu venturus esset in proximo Augusto, ad honorem Dei & subsidium Christianorum. Anno siquidem præterito liber quidam Sarracenorum, magnæ apud ipsos auctoritatis, in manus nostras devenit. Hunc autem quidam eorum astrologus, quem Prophetam magnum Saraceni vocant, à principio legis eorum cum summo studio scripserat. Prædixit autem inter alia multa quanto tempore lex eorum permanere deberet, & quòd sicut gladio inceperat, ita gladio peritura erat.

Prophetavit insuper quanta mala Soldanus facturus esset Christianis, & qualiter ante destructionem gentis paganorum, & exterminium legis eorum, regnum Hierosolymitanum cum multis regnis aliis propriæ subjicerent ditioni. Inde verò non tanquam vaticinando, sed quasi historiam ordinatè describendo, de recuperatione civitatis Acconensis, & de hiis quæ in exercitu Regum Franciæ, Angliæ, & aliorum occidentalium Principum acciderunt, apertissimè retulit, ac si ea propriis oculis aspexisset. Addidit insuper, sicut propriis oculis vidimus, quæcumque usque ad captionem Damiatæ his diebus nobis & Saracenis variis casibus contigerunt. Et propter hoc aliis quæ nondum evenerant, quæ ipse in proximo ventura prædixit, fidem faciliùs adhibuimus. Prænuntiavit etiam qualiter captâ Damietâ, Alexandriam & Kayrum & Babyloniam & universas Ægypti regiones Christianus populus obtineret, Damascum præterea & Alapphiam, & omnes adjacentes provincias Christianorum Principi potentissimus virtute exercitus populi Christiani occuparet, & civitatem Jerusalem cum universa Syria liberaret de manibus paganorum. Quoniam autem qui talia dixit, Saracenus extitit, multi ex nostris fidem verbis ejus adhibere noluerunt, non audientes qualiter ariolus & gentilis de Christo & filiis Israël prophetavit, & Nabuchodonosor de futuris regnis & lapide sine manibus de monte excisо somniavit, & Pharao Rex Ægypti fertilitatis futuræ & sterilitatis subsecuturæ in somnis prævi-

Digitized by Google

dit ænigmata, sed & Cayphas, cùm esset Pontifex anni illius, non à seipso, sed à Spiritu sancto prophetavit, loquens sicut asina Balaam, & quæ diceret non intelligens: nec aliquem de sanctis Prophetis apertiùs de Christo & utroque ejus adventu existimo fuisse locutum, quàm Dominus locutus est per Sybillam. Firmius est enim testimonium quod à parte adversariorum profertur.

Ut autem omnis ambiguitas ab hiis qui dubitant tolleretur, hoc præsenti anno Suriani qui nobiscum erant in exercitu, librum alium antiquissimum linguâ Saracenicâ scriptum de antiquis armariis suis nobis ostenderunt, cujus erat superscriptio: *Revelationes Beati Petri Apostoli, à discipulo ejus Clemente in uno volumine redactæ.* Quicunque autem hujus libri auctor extiterit, ita apertè & expressè de statu Ecclesiæ Dei à principio usque ad tempora Anti-Christi & finem mundi prænuntiavit, quod ex completione præteritorum indubitatam facit fidem futurorum. Prænuntiavit autem inter alia de consummatione seu consumptione perfidæ legis Agarenorum, & qualiter imminente & quasi in januis existente destructione paganorum, primò civitatem herbosam & aquis circumdatam, sic enim Damiatam appellant, populus Christianorum subjugaturus esset. Post hæc verò de duobus Regibus novis subjungit: quorum unus venturus est à partibus Occidentis, alium à partibus Orientis obviam prædicto Regi in civitatem sanctam venturum prædixit, & quod per manus Regum prædictorum Dominus abominabilem impiorum hominum legem exterminaturus esset, multis ex ipsis gladio interemptis, aliis ad fidem Christi conversis, ut intraret plenitudo Gentium, & sic omnis Israël salvus fieret, & post hæc filius perditionis, & inde judicium & finis.

Hunc prædictum Apocalypsis librum postquàm universo populo in sabulo ante Damiatam ad verbum Dei congregato causâ consolationis & recreationis ostendimus, non multo pòst tempore memoratas epistolas & rumores jocundos tam de Rege Orientali David, quàm de Imperatore Frederico audivimus, sicut in prædictis duo-

Digitized by Google

bus libris priùs audieramus. Unde populus Domini inter lobores multiplices & anguſtias quas huc uſque pro Chriſto ſuſtinuit, pluſquam dicere poſſemus gaviſus & in Chriſti ſervitio confortatus eſt. Confidimus enim in Domino quia qui cœpit perficiet, dilatabit locum territorii ſui, & longos faciet funiculos ſuos, *Et erit ſepulcrum ejus glorioſum: Et ſpiritu oris ſui interficiet impium.* Ipſe enim *mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. Ipſe pauperem facit & ditat, humiliat & ſublevat.* Ipſi honor, virtus, & gloria in ſæcula. *Iſai. 11 10. Id. 4. 1. Reg. 2. 6. Id. 6. & 7.*

Datum in exercitu Damiatæ, Octavâ Paſchæ.

JACOBI
ARAGONIÆ REGIS
Edictum Pacis & Treugæ.

Anno Chriſti 1228. *Eruit Dominus d'Heroual & commodavit.*

XIV. IN CHRISTI nomine ſit omnibus manifeſtum, quòd nos JACOBUS Dei gratiâ Rex Aragoniæ, Comes Barchinonæ, & dominus Montiſpeſſuli, volentes anteceſſorum noſtrorum veſtigia ſequi & exempla, conſilio & voluntate venerabilium patrum noſtrorum SPARAGUI Terragonenſis Epiſcopi, BERNARDI Barchinonenſis, G. Vicenſis, G. Gerundenſis, Epiſcoporum: proborum & nobilium virorum, NUNONIS SANCII, UGONIS Comitis Impuriarum, G. de Montecatano, Vicecomitis Biern. R. de Montecatano, G. de Servaria, & UGONIS de Mataplana, & R. Alamandi, & G. de Servilione, & G. de Claromonte, & aliorum multorum Militum, civium, & aliorum proborum hominum villarum Cataloniæ, paces & treugas perpetuas à Sincha uſque ad Salſas ſtatuimus in hac forma.

Ita quòd omnes Eccleſiæ & Clericorum perſonæ cujuſcumque ordinis ſint cum omnibus rebus eorum & juribus, ſub hac pace ſint conſtitutæ. Item cimiteria & ſacraria cujuſcumque Eccleſiæ in circuitu conſtituta ſint, nullus invadere aut infringere præſumat, nihilque inde abſ-

Digitized by Google

trahere attemptet. Feriendis hujus statuti temeratoribus pœnâ sacrilegii inferendâ, & ab Episcopo ejusdem loci distrigendâ. Satisfactione dupli damni, quod fecerint, ei qui passus est, præstandâ. Ecclesias quoque incastellatas sub pacis & treugæ defensione constituimus: ita tamen quòd si raptores vel fures in eisdem Ecclesiis prædam vel alia malefacta congregaverint, querimonia ad Episcopum in cujus Episcopatu commissum fuerit, & ad nos sive Bailum nostrum deferatur, & extunc nostro judicio quod commissum fuerit emendetur, vel à pace & treuga prædicta Ecclesia sequestretur.

Dominicaturas quoque terrarum Canonicorum & Monasteriorum sub eadem pacis securitate statuimus, pœnâ duplæ restitutionis imminente eis qui eos invadere præsumpserint. Clericos, Monachos, viduas, pupillos, orphanos, Sanctimoniales, cum omnibus rebus suis, sub eadem pacis defensione constitutos decrevimus: ita quòd nemo eos apprehendat, & nihil eis injuriæ inferat, nisi in maleficiis inventi fuerint. Si quis in aliquem istorum manus violentas injecerit, vel aliquid eis abstulerit, ablata in duplum restituat, & de injuria nihilominus judicio Episcopi in cujus diœcesi commissum fuerit, satisfaciat: sacrilegii verò pœna Episcopo dependatur.

Emunitates verò Templi & Hospitalis Iherusalem, nenon & aliorum locorum venerabiliun, & ipsos venerabiles Fratres Templi & Hospitalis, & aliorum locorum venerabilium, cum omnibus rebus suis sub eadem pace, defensione, & pœnæ interminatione pariter cum Clericis & Ecclesiis constituimus. Villanos Ecclesiarum & villanas, & locorum Religiosorum* & Canonicorum, & nostros, & omnes res eorum tam mobiles quàm immobiles, & se moventes, videlicet boves, oves, asinos, asinas, equos, equas, ceteráque animalia, sive sint apta ad arandum, sive non, sub pacis & treugæ securitate ita constituimus, ut nullus eos capiat vel invadat in corpore proprio, vel in rebus mobilibus vel immobilibus damnum eis inferat, nisi in maleficiis inventi fuerint, vel quando in cavalcatis cum dominis aut aliis ierint: sed postquàm ad domos

*Idest, * Monachorum.*

Digitized by Google

domos reverſi fuerint, ſub prædicta pace remaneant.

Cives verò, & burgenſes, & omnes homines noſtros & villarum noſtrarum, cum omnibus rebus eorum mobilibus & immobilibus; Judæos etiam cum omnibus rebus ſuis, pupillos, viduas & orphanos cum omnibus rebus ſuis, ſub pace noſtra cõſtituimus. Villanos & villanas militum, & eorum familiam ſub prædicta pace conſtituimus, niſi fuerint inventi cum armis in malefactis. Omnia animalia aratoria tantùm, & inſtrumenta aratoria, columbaria, palleria* abellaria*, olivaria, & molendina in prædicta pace conſtituimus. Item nullus homo animalia aratoria vel inſtrumenta arandi pro plivio* vel proprio debito vel alieno, vel proprio vel alieno delicto vel debito, vel pro delicto dominorum ſuorum pignoret, vel capiat, etiamſi ſint ſpecialiter obligata.. Ruſtici verò nec familia eorum pro debitis dominorum ſuorum, vel propriis debitis, vel fidejuſſoribus nullo modo perſonaliter capiantur, nec capti teneantur.

Forté gallinaria, * alvearia.

Gal. pleige, gage.

Item manſiones aliquis non incendat, vel aliquis ignem ſupponat ad nocendum. Si verò Barones noſtri vel Milites guerram inter ſe habuerint, & ad expugnandum caſtrum vel fortitudinem* inimicorum ſuorum venerint: & expugnando in ipſo corpore caſtri fortitudinis ignem ſubpoſuerint, non teneantur pro pace fracta. Terras in contentione poſitas nullus villanus laboret, poſtquam inde commonitus fuerit ab eo, in quo juſtitia placiti non remanſerit, niſi poſſeſſor paratus ſit directum facere & complere. Si verò commonitus laboraverit eas & propterea damnum ceperit, non requiratur pro pace fracta, ſalvâ tamen pace beſtiarum deditarum in uſu laborationis, & eorum qui eas gubernaverint vel cuſtodierint cum omnibus rebus quas ſecum duxerint. Nolumus enim quòd propter contumaciam ruſticorum animalia aratoria deprædentur, invadantur, vel diſperdantur. Vias publicas ſive caminos*, vel ſtratas in tali ſecuritate ponimus & ſtatuimus, ut nullus inibi iter agentes invadat, vel in corpore proprio ſive in rebus ſuis aliquid injuriæ vel moleſtiæ inferat, niſi fuerint milites, vel prædones, vel

* Propugnaculum. *Gal.* forterelſe.

Gal. chemins.

Digitized by Google

homines de guerra, pænâ lęsæ majestatis imminente ei qui contra fecerit, post satisfactionem dupli de maleficiis & injuria damnum passo præstitum.

Sub hac eadem pace constituimus Milites, & omnes illos qui iverint cum domna uxore Militis, nisi fuerint prædatores vel proditores manifesti, quos ab ista pace & treuga penitus ejicimus. Proditores dominorum suorum qui secundùm consuetudinem scriptam, innocentiam suam purgare noluerint, ab hac pace & securitate eos cum hominibus suis & honoribus, & eorum complices & fautores excludimus & excipimus. Salvetates quoque totius terræ nostræ, tam novas quàm antiquas constitutas, sub pace prædicta & securitate ponimus & statuimus. Fures verò & latrones, & eorum receptatores, si redigere * malum quod fecerint noluerint, vel directum facere contempserint à prædicta pace & securitate secernimus cum omnibus rebus suis mobilibus & immobilibus. Item statuimus quòd nullus homo capiat per se vel per alium, nec robet nec robari faciat aliquem hominem de genere laïcum vel clericum, nisi acundaverit ipsum ante per quindecim dies. Et hoc intelligimus de illis qui non sunt de guerra nec valitores alicujus guerræ : & qui ceperit vel interfecerit eum, sit statim proditor.

id est. *emendare, corrigere.

Ab hac autem pace excludimus hæreticos manifestos, & eorum credentes, fautores atque defensores, fures & latrones & eorum receptatores, & publicè excommunicatos, nisi voluerint se emendare ad mandatum Episcopi. Statuentes insuper firmitérque mandamus ut nullus eos defendat, immo manifestet eos, & omnibus modis devitet. Volumus præterea & mandamus, ut nullus violatores pacis manuteneat, nec raptores : nec aliquis qui sit baudator * appellatus, sit sub hac pace, nisi voluerit se purgare ad cognitionem nostræ curiæ. Si quis verò miles vel civis contra hujus pacis constitutionem commiserit, damnum emendet illi, cui malum fecerit, infra quindecim dies postquàm monitus fuerit simplum, post quindecim verò dies duplum, præstantes insuper centum viginti solidos de blencha moneta * : rustici verò quadraginta solidos Episcopo & nobis ad quos querimonia fractæ

f. * bandator, *unde* baudolarii, *gal.* baudoiseurs.

f. * argentea moneta, *gal.* monnoye blanche.

Digitized by Google

pacis & treugæ dignoſcitur contigiſſe. Si verò infra quindecim dies primos temerator pacis & treugæ ſimplum non emendaverit, poſteà ut ſuprà dictum eſt, duplum præſtet. Ita quòd medietatem ipſius dupli habeat querelam paſſus, & aliam medietatem Epiſcopus & nos, quiad hanc juſtitiam faciendam eos compulerimus. Et inſuper ſi infra* prætaxatos quindecim dies per nos, vel Epiſcopum vel nuntium aut nuntios noſtros temerator pacis & treugæ commonitus, damnum non emendaverit, exinde malefactor ipſe & complices ſui, coadjutores & conſiliatores ejus ab Epiſcopo excommunicentur, & à dicta pace & treuga ſeparati intelligantur cum omnibus rebus ſuis: Ita quòd malum quod propter hoc eis fuerit illatum non requiratur pro pace & treuga fracta. Sed ſi adjutor & adjutores ejus dicto querelanti ullum malum fecerint, emendetur pro pace fracta.

*Id eſt, * intra. paſſim hoc & alibi.*

Præterea conſtituendum eſſe & firmiter obſervandum cenſuimus ſub eadem pace & treuga dies Dominicos, & feſtivitates omnium Apoſtolorum, & etiam Adventum Domini uſque ad Octabas Epiphaniæ, & Kadrageſimam uſque ad Octabas Paſchæ, diem Aſcenſionis Domini, nec non feſtum Pentecoſtes cum Octabis ſuis, & tres feſtivitates ſanctæ MARIÆ, & feſtivitatem S. Johannis Baptiſtæ, & ſancti Michaëlis, & Omnium Sanctorum, & feſtivitates ſanctæ Eulaliæ, & S. Felicis Gerundenſis, & ſancti Martini. Violatores autem pacis teneantur ſatiſdare, & pignora mittere tenentia * in manu Vicarii noſtri in propriis perſonis. Si tamen dominus qui eos ad maleficium duxerit, vel ad guerram, voluerit ſatiſdare, & mittere pro ſe & militibus ſuis, & pro omnibus qui de domo & familia ſua fuerint, recipiantur.....*.

*Pro * tenenda.*

** Hîc deſunt tres verſus qui ſunt additi ad oram membranæ, ſed litteris ita exeſis ut legi non poſſint.*

Item ſtatuimus ac mandamus ut paces iſtæ & treugæ ſint firmæ & perperuò duraturæ. Item ſtatuimus atque jubemus, quòd Milites, & cives, & homines villarum à quatuordecim annis & ſuprà, paces iſtas jurent, ut eas teneant & defendant fideliter ſine fraude & ingenio aliquo. Quicumque autem admonitus ab Epiſcopo, vel à noſtro Vicario jurare noluerit, extunc ſit excommuni-

Digitized by Google

catus, & sit à pace & treuga ejectus. Ad majorem itaque securitatem nos JACOBUS Dei gratiâ Rex Aragoniæ, Comes Barchinonæ & dominus Montispessuli, omnia supradicta & singula juramus per Deum & hæc sancta quatuor Dei Evangelia tenere firmiter & observare, & facere observari.

Actum Barchinonæ..... Kalend. Januarii. Anno Domini MCCXXVIII.

Signum † JACOBI Dei gratiâ Regis Aragoniæ, Comitis Barchinonæ & domini Montispessuli.

Signum † UGONIS Comitis Impuriarum qui..... salvâ ratione.

Signum † G. de Montecatano, Vicecomitis Biern.
Signum † R. de Montecatano.
Signum † de Servaria.
Signum † UGONIS de Mataplana.
Signum † B. UGONIS de Serralonga.
Signum † G. de sancto Vincentio.
Signum † GAUCERANDI de Pinos.
Signum † GUIRALDI de Servilione.
Signum † R. Alamandi.
Signum † G. de Claromonte.
Signum † G. de Terratio.
Signum † DALMATII Vicecomitis de Rocabertine.
Signum † B. de sancta Eugenia.
Signum † P. BERENGARII de Rivopirarum.
Signum † B..... baulum.
Signum † R. BERENGARII Dag.
Signum † R. de Gerundella.
Signum † B. de sancto Vincentio.
Signum † G. de Banerias.
Signum † PONTII de Ulteria.
Signum † A. de Odeo molendinorum.
Signum † A. de Valleviridi.

Nos omnes prædicti & singuli præscripta omnia & singula juramus per Deum & sancta quatuor Evangelia, adimplere, servare & facere servari, ut superiùs continetur.

Digitized by Google

Signum † GUILLELMI Scribæ, qui mandato domini Regis pro Guillelmo Rabacie Notario ſuo, hæc ſcripſi, feci loco, die, & anno præfixis.

Hanc autem pacem ſuperiùs ſcriptam ego GUILLELMUS B. de ſancto Romano Canonicus Barchinonæ, tenens locum domini Regis in Epiſcopatu Elnenſi & Ceritaniæ, ſpeciali mandato domini Regis cum conſilio & auctoritate & voce B. Elnenſis Epiſcopi, & Abbatum & virorum Religioſorum, & aliorum nobilium ejuſdem diœceſis, ſalvâ juriſdictione in omnibus domini Regis feci apud Malleolas, Anno Domini MCCXLI. quinto Idus Martii.

Signum † G. Vicecomitis de Caſtronovo.
Signum † PONTII de Verneto.
Signum † B. UGONIS de Serralonga.
Signum † ADEMARI de Moſſet.
Signum † G. de Monteſquio.
Signum † P. de Caſtello.
Signum † A. de Monteſquoto.
Signum † A. de Moſſeto.
Signum † BERTRANDI de Inſula.
Signum † SEGERII de Perapertuſa.
Signum † JAUSBERNI de Inſula.
Signum † R. de Inſula.
Signum † GAUCELMI de Telero.
Signum † R. de Ardero.
Signum † B. de Orulo.
Signum † OT. de parietibus-toris.
Signum † A. de Inſula.
Signum † B. de Palaudano.
Signum † de Furcheriis.
Signum † A. de Cotaleto.
Signum † B. de Petrapertuſa.
Signum † A. Bertrandi.
Signum † B. de Turri.
Signum † A. de Monteferrario.
Signum † G. B. de Teſſera.
Signum † BERTRANDI de Turre.

Digitized by Google

Signum † GAUD. de Villa-longa.
Signum † G. de Saragossa.
Signum † G. de Clairano.
Signum † A. de Mosseto.
Signum † G. GAUCELINI de Tatone.
Signum † P. de Penna.
Signum † G. de Tatone.
Signum † B. de Tatone.
Signum † BN. de Ulmis.
Signum † GAUCERANDI de Cereto.
Signum † BN. de Palaudano.
Signum † R. de Palaudano.
Signum † P. de Monteforti.
Signum † A. G. de Barbairano.
Signum † G. de sancto J.
Signum † B. Tessera.
Signum † G. de Teleto, & aliorum plurium.

DE PAR LE ROY,

Anno Christi 1497. *Ex Ms. D. d'Herouval.*

A nos amez & feaulx nos gens des Comptes à Paris.

XV. NOs amez & feaulx, pource que voulons bien savoir la forme que ont tenu nos predecesseurs Roys à donner audience au pouvre Peuple, & mesmes comme Monsieur Sainct Loys y procedoit. Nous voulons & vous mandons que en toute dilligence faictes charcher par les registres & papiers de nostre Chambre des Comptes ce qui s'en pourra trouver, & en faictes faire un extraict, & incontinent apres le nous envoyez.

DONNE' Amboyse le vingt-deuxiéme jour de Decembre.

Signé, CHARLES.

Et plus bas, MOZELOT.

Aporté le trentiéme jour de Decembre mil quatre cens quatre-vingts dix-sept.

Digitized by Google

VITA
SANCTI MEDARDI,
EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Auctore FORTUNATO *Presbytero.*

Ex Mſſ. S. Germani à Pratis & Viri Clariſſimi D. Claudii Ioly Canon. Pariſ. & D. d'Herouval.

I. BEATISSIMI MEDARDI Antiſtitis vitam, quæ per univerſum orbem virtutum propalatur inſignibus, nequivimus ſilentio præterire; quamvis non valeamus geſtorum cuncta perſtringere. Et quia ſollemnitatis ejus diem veneratione perſpicuum omnium populorum catervas quotannis expetere depoſitionis ſuæ commemoratio principalis invitat; creſcat univerſorum pectoribus pro fidei ardore devotio, dum Sanctorum ſuorum panditur magnitudo, ut ſi in hac rarus ſit qui exiſtat imitator operis, cunctos tamen faciat ejus interceſſio potiores. Hujus ergo originem propterea primùm ſuggeſtio noſtri ſermonis inſinuat, ut nullus forſitan deſperationis obſtaculo magis culpandus oſtendat: quoniam Deum integro amore diligere non facit gentium diviſa diſcretio, ſed unita fidei plenitudo: ne divina gratia quę volentibus cunctis generalis oſtenditur, ſpecialis eſſe judicio fallente credatur.

II. Pater igitur hujus nomine NECTARDUS de forti Francorum genere non fuit infimus libertate; mater verò Romana nomine PROTAGIA abſolutis claruit ſervitute natalibus: quæ in Chriſti tabernaculis ut cenſemus pretioſo fecunda partu plus placuit, quàm ſi integritate ſervatâ, nequaquam ſe vinculis virilibus tradidiſſet. Quorum in Viromandenſi territorio & habitatio

S. Medardi patria, parentes.

Digitized by Google

fuisse dignoscitur & origo. In qua urbe cùm adolescens ad scholam recurreret, casulam * quam ei sua genitrix fecerat, per ipsum ad artificem componendam direxit, quam in itinere cæco à se invento mox præbuit. Similiter quidquid ad escam accipere deberet dum suorum parentum gregem * pasceret, si pauperem vidisset, cibos egeno porrigebat, ipse ferebat inopiam diei ducens jejunia. Nec illud est reticendum rei gestæ mysterium. Dum adhuc esset in scholis vir sanctus parvus & innocens, dicit ad Eleutherium quemdam parvulum comparem, quòd publica in actione Comitivam assumeret, & cùm xxx. annorum vitæ spatium caperet, ipsum dixit futurum summi * Dei Pontificem: qui in Tornaco civitate Pastor est datus Ecclesiæ. Ita Sanctus quod prædixit quasi Propheta divino spiritu, jam probavit.

al. * casulam.

Pia in juventute exercitia.

Aliud Mſ. addit * porcorum.

Eleutherium prædicit futurum Episcopum.

al. * Summum.

III. Deinde cùm crebriùs ad templorum Oracula* fidei monitu promulgante discurreret, & teneritatis* annos libratis patientiæ moribus temperaret, propriæ voluntatis arbitrio, dum mundi inlecebras vitando despiceret, officium Sacerdotis excepit. Pariter & animo conversus & habitu, morum caritate præcellens, confestim claruit apud urbis Pontificem conversatione præcipuus, apud cunctos mentis puritate sincerus. Nunquam se lætitiæ ubertate plus extulit; nunquam mœroris acerbitate turbavit. Fuit semper tolerans in adversis, mitis in prosperis. Cunctos sibi obedientiæ sedulitate præferens, egentibus largâ miseratione succurrens, & ex omnibus calcato vitiorum fomite angusti callis tramitem sanctæ conversationis gressu surgente conscendens, quidquid adversum est horruit, quidquid pretiosum elegit. Quid plura? ut hospes cerneretur in sæculo, etiam possessor esset in cælo. Tunc crescentibus singulis Sacerdotii honoribus interjectâ* discretione temporum Ecclesiastici moris tenorem percurrens, presbyterii officium electus excepit, probatus obtinuit, & ita se deinceps sanctis cœpit publicare virtutibns, ut Christi meritò putaretur alumnus.

Idest, * Oratoria.

f. * teneros ætatis.

Fit Sacerdos.

Ejus virtutes & miracula describuntur.

al. * crescentibus muniis singulos sanctificii honores interjecta, &c. *& melius.*

VI. Con-

Digitized by Google

IV. Contigit ergo ut autumni temporis fructus mitescente botri* succo vindemiæ* ubertas ostenderet, per quam latronis temeritas ejus gratiam publicaret. Intempestâ igitur nocte, cùm potiùs in humanis corporibus curarum diversitate seclusâ, dominante silentio, blandi soporis onus incumbit, vineam suam cupidine fraudis impulsus latro capiendus expetiit, tenendus irrupit. Tunc prædam gladio secante corripiens, ipse magis prædatus, intra patentia septa constringitur, & quod effringere violentus valuit, nequaquam evasit in posterum suo crimine captivatus: gustum habere furto non meruit, & redeundi aditum ebrius non invenit: nec amittere poterat quod præsumpserat; nec auferre fas habuit quod ambiebat. Sed cùm inibi primo diluculo rei præscius vineæ dominator occurreret, furem reperit, quem sua jam præda prævinxerat, & uterque alium mutato jure servabat. Tunc usque adeò Sancti ultio rei sævit in crimine, ut uvas propriâ manu discerpens, augmentum majus illi profusâ oblatione tribueret, & delictum objurgatione castigans, remeandi aditum indulgeret. Pari igitur meruit pœnâ percelli, vel perdurante insidiâ coërceri, qui vasa, ejus domum nocturnâ obreptione præveniens, distentâ melle furatus fuerat. Custodes deceptione callidâ fallere potuit, pecus* quod rapuerat temerarius non evasit. Castrorum habitacula sublatæ apes cum indignatione linquebant, ubique furem non casto ditantes opere, sed aculeorum sævitiâ persequentes, quousque latronis detecta confusio Sancto quod fraudaverat reddidit, & veniam prostratus invenit. Sed nec immeritò pia Sacerdotis indulgentia reum non damnabat ex crimine, quem ipsa ultrix præda torquebat.

f. * botros; al. * fructibus nitescentibus botris fuco varicante vindemiæ

Id est, * apes;

V. Accidit etiam simile sub hac proditione mysterium. Dum viator quidam juxta domum ejus agendi itineris copiâ præteriret, capiens illius callidâ fraude juvencum furti* scelere, tintinnabulum collo præripuit, atque hiatum ipsius impressi graminis fraude condemnans, nullius contemplatione deprehensus abscessit. Et cùm jam se censuit vel criminis evasisse periculum, vel sortitum compendia

f. * furtivæ

Digitized by Google

fuisse per furtum, obstaculo nullo serata ipsa dedit præda tinnitum, cupiens domini redire præsidio. Quæ quamlibet abditis penetralibus studio diligenti locata claustrorum obseratione retrusa maneret, tinniente ambitu scelus nullo modulante vulgabat, hiatu ingenti monens, auctorem criminis querela geminante confudit. Tunc latro præteriti memorans confusâ mente pericli revexit domino territus quod abstulerat, quod etiam pietatis studio non servabat. Ita demum reddito jure naturæ cœpit species inanimata celare, nec sonitu sensibili * pulsa detegere. Sanctus igitur athleta Christi absque reatu proprio pro delicto confunditur alieno, atque ideò mercedem reo pro culpa tribuit, ne inani abitione tristior remearet.

al. * se nisi.

VI. Quadam vice præcelsus CHLOTARIUS Rex in procinctu Francorum movens exercitum, cùm transisset fluvium cujus vocabulum est Sumina, omnia quæ inveniebant loca prædantes & pecora, pervenientes inter Castellum quod fertur Noviomagum, & Isaram fluvium, quidquid fuit vehiculorum carra vel sagmata trahentium, pedes affigentes de loco nullatenus moverunt per triduum. Ad villam S. Medardi, Sellentiacum quæ dicitur, occurrerunt viro Sanctissimo, & data oratione discarricantes quæ tulerant, laxati pergunt itinera. Nec illud omittendum est quod per miraculum factum est. Cùm porcarii sui in glandem porcos deducerent, & ab iniquis hominibus furto subducti fuissent, divina mox virtute soli de longa regione, nullo homine sequente, ad Sanctum virum reducti sunt. Nec hoc inter reliqua miranda signa prætereo. Quidam Tosio nomine dæmonii graviter oppressus infestatione, curari meruit expresso viri Dei signaculo.

Consecratur Episcopus.

VII. Sed cùm jam multimodis virtutum fulgeret studiis, famáque ejus per diversa orbis spatia gratiâ crescente præcelleret, defuncto Viromandensium * urbis Pontifice in ejus loco consecratur Episcopus. Ubi conversatione cælesti ter quinis annorum curriculis sanctimoniâ ipsius officii Sacerdos exstitit pretiosus; & nisi quòd per-

Sive * Augustæ Viromanduorum, & S. Quintini.

Digitized by Google

cussor corporis defuit, martyrium Confessor implevit. Sustinuit jugiter* diabolo præliante calumniam, sed prævenit victor meritis ad coronam. Tunc Pontifex Beatissimus membrorum compage protentâ longævitate defessus, spiritum requiem deprecatus amisit*, & convexa cœli Athleta triumphalis adscendit. Inter reliquos etiam asseverante ut vidit WILLACHARIO Presbytero, quando Sanctus Medardus accepit corporis transitum, ipsius horæ momento cæli protinus aperti sunt, & ante Sancti corpusculum ferè per tres horas divina luminaria cunctis videntibus adstiterunt. Mox in terra grande defluxit diluvium, ita ut plueret multùm calida aqua de nubibus. Cujus corporis solemne pignus præcellentissimi Chlotharii Principis Francorum vel * devotione, vel tempore Suessionensium urbs tanti muneris præmio dita-ta promeruit. Sed cùm omnium populorum fides solemni ambitione sacratissima feretro tradenda sepulturæ membra conveherent, & unanimitate vel amore gestandi onus leve sentirent, tunc obviam abiit Sancto damnatis aurium dudum aditibus surdus quidam occurrens, pretiosi velaminis peplum osculans, psallentiúmque ilico stupens melos audivit, & fraudati sensus usum recipere mundatus fide promeruit.

al. * igitur.

Obit S. Medardus.

Lege * emisit.

Id est, * &.

VIII. Postquàm igitur devotione fidelium maximo decore præfulta ejus tumuli urna exornata surrexit, prolixum est narrare quantis se virtutibus quantísque prodebilium clamor attollat emundatione trophæis, à quo quidquid fusis precibus expetitur, incunctanter effectibus obtinetur. Hujus igitur templi præ foribus paralyticus quidam depositus & ejectus, quem omnium membrorum debilitas diverso jure discretè damnaverat, pristinæ incolumitatis meruit augmenta suscipere, & salutis gloriam obtinere, ut singulis vigor artubus redditus*, confestim suffragante remedio adstaret inlæsus: & cujus priùs communis usum sermonis adnexa palato lingua confuderat, virtutem sancti Antistitis resolutâ oris compage laudabat. Protinus scilicet sæpe palam triumphante mysterio, quos iniqua ferrei ponderis retentacula gressibus

Miracula post ejus obitum.

Id est, * vigore artubus reddito.

Digitized by Google

negatis adstrinxerant, ad templi oraculum summus Antistes veniendi præstitit facultatem, & robustam metalli naturam exsuperans, vasta compedum vincula confregit*. Multos igitur promiscui sexus, quos membrorum debilitas miseranda contraxerat, usibus restitutis virtus medica indiscretè solvebat. Crebriùs etiam oculorum captis lumine, purgatis tenebris, præsidium contemplationis indulsit, & redivivæ lucis compendia desertis habitaculis restauravit. Multa quoque & innumera virtutum suarum insignia quæ diebus singulis ex more concrescunt, relatio nostra præteriit, ut nec lateret silentio magnitudo operis, nec diei consumeret spatium tanta prolixitas dictionis. Hujus* ergo piam majestatem fusis indesinenter precibus exoremus, ut clementissimi THEODEBERTI Regis nostri felicitatem crebris successibus dilatatam, vel in externis gentibus justo dominandi jure procul extensam pro sua pietate longævet, & clementissimo SIGIBERTO quondam Regi sempiternam requiem præstare dignetur. Quatinus qui templi ejus spatia devotus extendens ad excelsa fastigii tegmina sumptuoso decore perduxit, eodem intercedente, servato culmine Regii diadematis protendantur sceptra Regiæ potestatis, ac perinde medelam populis pacemque tribuat universis. Conferat etiam pro delictorum indulgentia cunctis generale præsidium, qui speciale solemnitatis suæ hodie mundo præstitit ornamentum. Cui est honor & gloria, laus & imperium per omnia sæcula sæculorum, Amen.

* Gregorius cap. 19. l. 4. Hist. *Ad cujus* (Medardi) *sepulcrum vidimus vinctorum compedes ac catenas disruptas confractasque jacere, quæ usque hodie in testimonium virtutis ejus ad ipsum B. sepulcrum reservantur.*

* Dei.

Mss. Codex V. C. D. d'Herouval sic definit:

Explicit Vita S. MEDARDI Episcopi à FORTUNATO Presbytero composita.

Finis hujus vitæ ita habetur in Mss. Codicibus Corbeiensis & Resbacensis Monasteriorum.

Hujus ergo piam Majestatem fusis indesinenter precibus exoremus, ut conferat pro delictorum indulgentia cunctis generale præsidium, qui speciale solemnitatis suæ hodie mundo præstitit ornamentum. Quæ cuncta præco-

Digitized by Google

nia sunt non modò ejus qui accepit ut dignus pro nobis suffragator adsistat ; sed potiùs Sanctæ & inseparabilis Trinitatis, cui honor & potestas, virtus & imperium, laus & jubilatio in omni gente, loco & tempore, & per infinita sæculorum sæcula.

INCIPIVNT ACTVS

MEDARDI,

Ex Cod. Mſ. Resbacensis Monaſt.

PRÆSVLIS ALMI.

Præfatio Auctoris.

I. FORTUNATUS natione Italus Presbyter Ravennensis, suo tempore eruditissimus, ex Ravenna progrediens Galliarum fines peregrè adiens, Pictavensi rure commodam sibi delegit habere stationem. Ea tempestate CHLOTHARIUS CHLODOVEI magni quondam Francorum Principis * filius, paternam monarchiam post mortem fratrum suę ditioni subactam potenti moderamine regalíque sceptro regebat. Per idem quoque tempus inter Gallicanos Præsules GREGORIUS Historicus sermone & actu Turonis habebatur insignis. Hic compertâ jam dicti famâ viri, affectuosè eum diligebat, germanæ caritatis obtentu. Erat enim summo ingenii acumine præditus. Conferebant denique frequentius seria quæque de scripturis, modò verbis, nunc scriptis, alterna vicissitudine differentes. Denique rogatus ab eodem venerabili Pontifice, edidit perplura Opuscula, maximè metro ludens de vita & virtutibus Sanctorum. Inter quæ & vitam glorioſi, & cum omni reverentia nominandi domini nostri MEDARDI, succinctè quidem tam prosâ quàm versibus, sed tamen luculento stylo perstrinxit.

* *Alii Fortunatum Sigeberto Regè in Galliam veniſſe volunt.*

Fortunatus Gregorio Turonensi Episcop. familiaris.

Scripsit Vitam S. Medardi.

II. Hæc quorsum tali petita principio? Ut noverit quis non eum visa, sed tantùm audita, & hæc procul & in extera regione positum narrasse. Possent equidem de iis quæ

Digitized by Google

à puero ipſe glorioſus geſſit, plura confici volumina, ſi quis curioſus ac ſollers hæc perſcrutari & indagare hæc & paginis mandare decreviſſet. Omnium perſpecta ſerie temporum perſpicuum eſt per idem tempus ſtudia liberalia tepuiſſe, quia & rudis Chriſtianæ legis cultus in his Galliarum partibus adhuc pubeſcebat, & idololatriæ vana ſuperſtitio necdum ex toto obſoleverat. Liquet itaque eatenus collapſa fuiſſe litterarum ſtudia, ut pretioſi admodum haberentur earum ſectatores; quandoquidem exteræ nationis vir, tantáque regionum intercapedine ſemotus, ad ejus acta ſcribenda tam ſuccinctus breviator ſe ſe admoverit. Fuêre namque ea quæ per eum vis divina operata eſt, magna valde & ammiranda, quæ relatio prædicti Auctoris, ut ipſe fatetur, præteriit. Feruntur hodiéque multa de eo, quibus nec omnimodis derogandum eſt, nec ſanæ fidei ejus repugnandum. Quibus omiſſis, ne fabuloſa magis quàm vera ſcripſiſſe criminarer, duo tantùm quæ ab honeſtioribus viris fideliter narrata comperi, licet iners vili ſchedula vulgaríque ſermone mandare æuſum duxi. Ea quoque quæ jam dictus hiſtoricus elegiaco intexuit metro, ut manifeſtiora legentibus forent, proſâ expreſſi.

Actus quidam S. Medradi.

III. Igitur Beatus MEDARDUS in lege Domini ab ipſo tenero ungue meditabatur nocte ac nocte, hanc meditatione concipiens, lingua revolvens, opere complens, juxta illud Pſalmiſtæ: *In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui.* Et quia nihil imbecillius eo qui à carne ſuperatur, contendebat, ut bonus athleta, certare ut vinceret, ne vinceretur, carnis illecebras reſecans, perfectum vitæ gradum ſubire certabat. Conſentiebat in eo inceſſus, ſermo, & habitus, humilem ſe in proſperis, mitem exhibens in adverſis: obedientiæ bono cunctis imitabilis, frugalitate laudabilis, & univerſa morum probitate habebatur inſignis. Erat ei ſtudium recreare pauperes, alere egentes, & quicquid ex paterna ſubſtantia percipere poterat, eorum uſibus ſedulè impendebat. Operæ pretium duxi unum è pluribus pietatis ac miſericordiæ opus quod puerulus geſſit, narrare; ut qualis quantúſve à pue-

Pſal. 118. 13.

Digitized by Google

ro in juventute adoleverit, dehinc ab adolescentia in senectutem quàm maturus excreverit, cognoscat qui imitari desiderat.

IV. Unâ dierum Nectardus vir glorioſiſſimus, genitor ejus ab itinere remeans, domum cum ſuis revertitur. Aberant tunc fortuitu famuli domus, nec fuit in promptu qui equos defatigatos paſtum minaret cuſtodiendos. Injungit pater dilecto ſibi filio eos ad paſtum ducere, & ad horam cuſtodire: quos ille ſuſcipiens minavit quò juſſus fuerat, omnem ſollerter adhibens diligentiam. Interea dum his intentus habebatur, contemplatur eminus viatorem equeſtrem ſellam, loráque in ea dependentia à tergo geſtantem. Quem advocans ſciſcitatur quiſnam eſſet, quò pergeret, cur taliter onuſtus abiret: At ille rei ordinem pandit. Profitetur ſe ignotum hominem, equum quo vehebatur leto periiſſe, quo ſternebatur ſecum vehere, & longius iter habere. Tunc ſanctiſſimus puer neceſſitudini ejus compaſſus, unum è pluribus equum capiens: Sume, inquit, & ſterne tibi, quò libuerit pergens. Et ille: Non eſt, inquit, tui juris, nec datu tuo ejus liberè poſſum potiri ſervitio. Cui puer: Accipe ſecurus, iter carpens tutum; & ſi quis te impetierit, me auctorem dati incunctanter habebis. Hæc viator audiens, jubenti libenter obtemperat, cornipedem ſternit, & qui eatenus pedeſter triſtis advenerat, equeſter hinc & alacer cupito pergit itinere. Inter hæc convivium itinere feſſis inſtruitur; jámque prandio imminente, ad accerſendum venerabilem puerum it unus ex numero: ipſe autem ſeceſſerat ſub quadam arbore, quia dies pluvius erat. Is itaque qui ad exhibendum eum fuerat directus, dum cum eo colloquitur, ſurſum intentus conſpicit aquilam expanſis alarum remigiis omníque diſtenro corpore tam congruenti latebra puerum confovere, ut in nullo penitus contingeretur ab imbre. Hoc diu miratus, commonet eum domum regredi, paternóque convivio intereſſe. Id ille recuſans: Rogo, inquit, rediens domum habeto me excuſatum. Reor, ob hoc remorari cupiens, quò jam dictus eques in hac moroſitate longiùs protraheretur, qua-

Miracula.

Equum donat pauperi.

Digitized by Google

tinus si à quoquam insecutus fuisset, minimè reperiretur.

Perlata sunt patri ab inquilino quæ viderat atque audierat à filio. Super quæ plurimum miratus, dilato prandio sumptis sociis ipse pergit ad locum, oromatis hujus ipse gestiens contemplari auspicium. At ubi illò ventũ est, intuetur diligentiùs, & quod relatu didicerat, visu probat, prudentérq; perlegit interiùs quod gerebatur exteriùs. Inter hæc collegæ recensent sonipedes, damnũ reperiunt, unum deesse cognoscunt: Denique blanditiis parvulum mulcent, quatenus si facti esset conscius fateretur: Erat siquidem aliquantula de hac re in eo suspicio, quia jam latè patebat, pietatis eum affectu erga indigentes festina largitione munificum fore. Itaque prodit patri piè admissum facinus: & licet dispendium passus * congratulatur tamen de felici provectu gratissimæ prolis.

* Med. rdis *scilicet* pater Medardi.

Interea famuli curiosiùs iterum iterúmque recensitis equis, eorum summam subitò redintegratam reperiunt, & damnum quod caritate cogente pia admissum fuerat fraude, nihilominus caritate largiente mirabiliter restauratum inveniunt. Magno itaque pater cum omnibus attonitus gaudio, non tam de recuperatione damni, quàm de incremento beatarum virtutum in filio; & dans ei manum, ducit ad domum. Amplexatur mater filium, convivantésque pariter jocundantur admirantes gratiam Dei tam evidenti obumbrationis indicio in eo esse diffusam. Dehinc genitor postquàm affatim exhilaratus est; Care, inquit, nate, utere ut libet rebus à Deo nobis concessis: refove ex his indigentes, ea æqualitate dumtaxat, ne cùm alii refrigerantur, nobis sit tribulatio; sed ut nostra abundantia, aliorum sit supplementum. Devotum, ut cœpisti, Christo famulatum impendens, erige nobis in statione paradisiacæ amœnitatis tabernaculum, ubi tecum quiescamus sine fine mansuri.

Numerus equorum in pascuis reperitur, licet unum dederit.

V. Dum adhuc puerulus sub tutela parentum domi moraretur, contigit inter propinquos ejus de terminis agri cujusdam disceptatio. Cúmque ex communi consensu statuta die ad videnda agrorum exissent confinia, contigit affuisse cum eis & hunc de quo fabula est venerabilem

Limitem terræ designat Medardus; unde lis mota sopitur.

Digitized by Google

rabilem puerum. Ubi verò ventum est ad locum de quo sermo habebatur, videt comminus lapidem terræ fixum, uti fieri assolet in terminis agrorum, super quem pedem injiciens: Hic est, inquit, limes & confinium horum jugerum. Ad cujus levissimum tactum lapis ille ita subsedit, veluti cera à facie candentis ferri liquescit. Apparet equidem stigma plantæ pedis ejus in eadem caute adeò subtiliter expressum, ut à nullo artificum expressiùs exsculpi aut signari possit. Ita contentione sedatâ, rerum omnium arbitrum Dominum, qui magna operatur in minimis, glorificantes redierunt in sua. Exstat usque in hodiernum idem lapis in Monasterio sancti Medardi, magníque penditur, ac veneratione habetur à multis. Hæc duo tantùm de ejus pueritia dixisse sufficiat: nunc ad ejus transitum stilum vertamus.

VI. Tempore quo præcellentissimus CHLOTHARIUS Rex Francorum reversus est à Britannia, exusto filio suo CHRANNO cum uxore ac filiabus, glorioſus Confessor Domini MEDARDUS, evocante se Domini gratiâ, apud Noviomagum castellum, caput jam lectulo deposuerat. Ad quem visendum cùm introisset Rex, Optimatum sibi obsequentium fulcitus catervâ ultimum ei vale faciens, benedictionem devotissimè poscit & accipit. Cùm itaque in hac Regia visitatione de loco sepulturæ ejus sermo haberetur, Sacerdos beatissimus sua se Sede censuit cespiti commendandum. Econtrà Rex Suessionis eum deferendum, ibíque tumulandum disposuit, asserens se super eum basilicam constructurum, Cœnobiúmque ædificaturum. Cessit igitur dilectus Dei Regiæ voluntati, sícque plenus virtutibns, plenus & gratiâ migravit ad Dominum. Ad cujus transitum, sicut in libro de vita ejus à FORTUNATO inscribitur, divina luminaria, cunctis præsentibus micuerunt. Fama volans tanti luctus præ-nuncia, totius orbis populos ad ejus exequias advocat. Conditur aromatibus corpus sanctissimum, insignitur pretiosis vestibus, auro textis involvitur linteis, componitur feretro: cumulantur desuper margaritis crispantibus aurea pepla: fit luctus ingens populorum, gaudium

S. Medardi obitus.

« Fortunati verba quæ « supra habentur, « pag. 395. «

Digitized by Google

evidens Angelorum : concurrunt hinc inde chori psallentium, augetur numerositas Clericorum : hi psalmodiam personant, illi lectiones congeminant. Vigiliis sacræ devotionis nox omnis expeditur, & inter luctus & gaudia venitur ad diei exordia. Episcopi & Primates qui tum fortuitu defuêre palatio, certatim conveniunt, concurrit catervatim numerositas populorum. Plangendi docta proruunt ex villis & viculis promiscua egenorum examina.

S. Medardi corpus transfertur ad Suessionum civitatem.

VII. Instructo itaque itinere procedit Rex ad Ecclesiam, in qua cælestis servabatur thesaurus, stipatus hinc inde stolatis Christicolis ac primoribus chlamydatis. Venitur ad Sancti corpus : aguntur quæ Dei sunt. Post hæc mitis Sicamber ulnas primus subponit, dehinc Episcopi, exin primi nobilium, quibuslibet fuit accessus. Sustollitur sursum per oscula cælestibus gazis digniſſimum nomisma. Sentiunt onus leve, inoffenso gradientes itinere. Fit clamor confusus, istis psallentibus, illis flentibus, & inter choros psallentium & agmina lugentium, voces tonant per nubila. Quid memorem ? Diem hanc gaudii dixerim, an mæroris, aut mæroris simul & gaudii ? Unum sine altero fateri minùs oportet ad tanti diei qualitatem exaggerandam. Restat ergo ut dies ipsa, & gaudii dicatur & mœroris. Cui enim non erat mærendum de ejus absentia corporali, præsertim destitutis pastore ovibus, quibus post transitum nec gleba corporis celabatur* ? Quibusque non erat gaudendum de ejus tam evidenti gloria, cui cæli patebant, luminaria obsequebantur divina, & Regalis famulabatur potentia ? Insistunt igitur cœpto operi regio gradientes itinere. Confluit undique palatina cohors, gestientes ferre pignus nobile. Interea cæcus quidam inter turmas properantium veniens, substratus loculo, fugatis mox tenebris, videndi recepit usum virtute sancti Antistitis. Hinc cumulantur gaudia, laudantur Sancti præconia.

* *Lege* cedebatur,

VIII. Properant aggressum iter conficere, confluentibus passim populorum catervis, perveniúntque Adtipiacum villam. Ibi Axona amne transmisso, flectunt gressum

Digitized by Google

ad urbem Suessonicam. Ruit obviam civitas omnis Suessio, duce prævio venerabili magnarúmque virtutum viro BANDARIDO ejusdem tunc urbis Pontifice, cum crucibus, ceroferalibus, ac thymiamateriis*. Stipat undique illud cæleste margaritum numerositas Sacerdotum, turba canora totius ordinis Clericorum, immensitas populorum, omnigenis vocibus unà Deo canentium. Mutuatis vicibus unus post alterum certatim se ingerentes, colla supponunt. Propulsatur alter ab altero, his recedentibus, illis succedere cupientibus. Magno se censu remuneratum credidit, cui etsi non gestandi, saltem vel tangendi loculum copia fuit. Excipit tandem sollemniter tanti muneris nobilitata præmio urbs Suessionica sacratissimum pignus corporis beatissimi MEDARDI, amplectitur festivè patronum, extunc proprium habitura tutorem patriæ, universalis Ecclesiæ lumen inexstinguibile. Inter hæc obviam fit Sancto quidam multatis aurium aditibus, diutina surditate adtonitus: qui ut peplum quo sacrum tegebatur corpus fide ignitus manu attigit osculatúsque est, fraudati sensus usum ilico recipere à Sancti virtute promeruit. Gratulatur admodum Rex, congaudent Sacerdotes cum Primatibus, exsultant populi, fit gaudium in cælis ob magni meritum Confessoris.

* pro thymiamatibus.

Retransmeant fluvium, properántque in prædium secus litus jamdicti amnis, prope quod tumulandus erat, ubi hodiéque est stips lapidea*, habens desuper vexillum sanctæ Crucis sculptum, cum nomine Sacerdotis. Ibidem lecticam sacri funeris deponentes, moras paulisper nectunt fortuitu, vel quia Rex necdum venerat, vel quia in his quæ ad jus sepulcri congruebant, aliquid imperfectionis inerat, quod in hac morositate perficiendum foret. Erat autem illud rus quo hæc agebantur ex ditione regalis fisci, cui Croviacus* vocabulum est, ex antiquo profano idolorum cultui mancipatum. Nam & usque hæc Danorum tempora bifrons lapideus magnæ latitudinis ante fores sacræ ædis in eodem loco perstitit. Eruderato itaque agro, & in planum redacto, construitur nobile mausoleum, receptui tanti hospitis digniſſimum. Encæ-

* *f.* Stipes lapideus

* Croüy.

Digitized by Google

niatur locus, in quo ſacrum Chriſti ovium famoſiſſimum toto orbe erat alveare futurum.

IX. Igitur adveniente Rege coadunantur cohortes nobilium, plebeïa multitudo populorum apponunt manus ad feretrum, laturi ſanctum corpus ad tumulum, nituntur certatim attollere. Sed quod eſt dictu mirabile, adeò manet immobile, ut penitus moveri poſſet à nemine. Succedunt alii poſt alios, fruſtra robur impendentes. Hæret Baſileus* eventu tantæ rei attonitus; ſtupor in commune poſſidet omnes. Tandem ſagaci animo conjiciens quid res prętenderet, facta ex medietate jamdicti fiſci traditione, accito Commentarienſe, jubet conſcribi tomum annulo proprio roborandum. Exin ſpe meliori fidentiores, applicant iteratò ulnas ad loculum. Geminatur virtus miraculi, panditur devotio Sancti. Attollitur ſurſum parte quidem ex una abſque ullius gravedine ponderis; manet parte alterâ tantâ fixum immobilitate, ut putaretur plumbea immenſæ molis ſpecies, non humani corporis eſſe materies. Tunc Rex liberaliſſima erga Sanctum affluens benignitate, reaccerſito Commentarienſe, factáque more ſollemni donatione, fiſcum cum omni integritate conſcriptum, ac impreſſione proprii annuli ſignatum, delegavit Sancto perennibus unquam ſæculis poſſidendum. Dehinc ſpe certiſſima ſubnixi, extollunt ſuper ulnas beatiſſimi funeris ſarcinam adeò levigatam, ut putares pro æris gravedine ſtipulæ acceſſiſſe levitatem. Fiunt populatim lacrimoſa gaudia, pſalmodiáque perſonante pergunt ad tumulum ditiſſimè refertum.

* Rex.

X. Dum hoc iter agitur, adeſt inter permiſcuos properantium cuneos homo quidam vaſtis catenarum compedibus ferreis brachia ſuráſque pervinctus, adeò ut ei in gradiendo difficilis eſſet libertas. Hic dum ſolatio ſuſtentatus alieno ante Sanctum fuiſſet expoſitus, ilico ut manu peplum tetigit, contrito chalybe, diſruptíſque catenarum repagulis ac ſolo tenus delapſis, redditur virtute ſancti Antiſtitis abſolutus & liber, pergens cum reliquis fide ſubnixus ad munerarii ſui tumulum lætus & alacer.

Itaque ubi ventum eſt ad locum, commendatur tumulo

Digitized by Google

beatissimi Sacerdotis pretiosissima corporis glæba plena virtutis ac gloriæ, præclaris mox indiciis evidentissimè propalata. Nam cùm ejus sacratissima membra tumulo clauderentur, cælum apertum est, & duæ columbæ visæ sunt descendisse quasi nubes, & de ore ejus egressa est columba candida sicut nix. Post tanti officii inferias pronâ Regis munificētiâ festivè celebratas, erigitur super Sancti tumbam pro temporis opportunitate parvum tugurium exili vimine constructum, quousque, ut Regia decreverat dignitas, cōacervatis in opus expensis aula famosissima perito fabricaretur studio. Hanc quidem ejus ardentissimam devotionem pedissequa protinus est efficacia comitata.

XI. Deinde cumulatis abundè in opus sumptibus, qui non Regio solùm, sed & fidelium sunt quorumcumq; munere prompta devotione exhibiti, orditur venerabile Dei templum mira latomorum peritia, essétque in brevi manu celeri consummandum, si ejus* conatui mors ex improviso non obstitisset. Nam Turonis pergens ad beatissimi Martini tumulum, diutissimè oravit, plurimáque ibi munera contulit. Per plurimas quoque Sanctorum basilicas multa dona largitus est. Inde regressus dum in Cotiæ saltu venatum exercet, valida febre corripitur, & Compendio palatio rediens, ingravescente incommodo, lecto sternitur; sícque commune mortalibus debitum solvens, finem regno & vitæ dedit. Hinc mæror Gallias occupat, Francigena gens induitur luctu, lacrimis opprimitur, singultibus præpeditur. Inde Suessionis evectus, in ipsa quam cœperat necdúmque finierat, basilica, quámque & villarum reditibus plurimis ditavit, & muneribus maximis cumulavit, ante glorioſi Pontificis tumulum honestam meritò obtinuit sepulturam.

* Regis

Moritur Rex Chlotharius.

XII. Postquam filius ejus SIGEBERTus non minori quàm pater erga Sanctum fervens devotione, opus quod morte patris interdiu dilatum fuerat, fine tenus consummavit, intrinsecùs varietate diversarum specierum adornavit, extrinsecùs agrorum reditibus ampliavit. Nec multò pòst & ipse cùm fratrem suum CHILPERICUM apud Tornacum

In Monasterio nuper condito sepelitur ante tumulum S. Medardi.

Digitized by Google

civitatem obsidere disponeret, versutiis FREDEGUNDÆ uxoris suæ Victoriaco villa à duobus Tarvennensibus latera gladiis transverberatus, mortem quam fratri suo paraverat, sibi ipse concivit; luctum ingentem suis contulit. Hinc à fratre Lambris perlatus & sepultus, exinde postea Suessionis relatus, in ipsam quam operosè construxit basilicam lateri patris sui junctus honorificè depositus ac sepultus est. Nemo sanè autumet hanc esse basilicam quæ olim à CHLUDOVICO Cæsare* cœpta, nuper est à Marcomagnis* exusta. Verùm illa prior à SIGEBERTO Rege patrata, ob frequentiam populorum propter omnigenûm virtutum insignia ad memoriam egregii Martyris Sebastiani confluentium, à RODOINO tunc Præposito ejusdem Cœnobii Augusta præceptione, cooperante semper bonæ memoriæ HILDUINO Archicapellano Abbatéque jamdicti Monasterii funditùs destructa, & in maximo ambitu augustiùs est restaurata. Hîc nostra intermittentes, quid GREGORIUS historicus de hujus sanctissimi Pontificis virtutibus referat, huic Opusculo innectendum ratum duximus.

Interficitur Sigibertus Rex, & in eodem Monasterio tumulatur.

* Ludovico Pio Imperatore.

* Marcomannis, *id est*, Nortmannis,

Greg. Turon. de glor. Conf. c. 95. & hist. Franc. lib. 4. cap. 19.

„ XIII. MEDARDUS, inquiens, glorioſus Confeſſor juxta
„ urbem Sueſſionis quieſcit, ad cujus ſepulcrum ſæpe com-
„ pedes miſerorum confractas adſpeximus. Poſt ſcriptum
„ de miraculis ejus librum, mulier manu debilis devotè ex-
„ petiit beati præſidia Sacerdotis. Denique cum reliquis vi-
„ gilias fide integra celebrat, confiſa ab ejus virtute manus
„ humore ligatas poſſe diſſolvi, qui infelicium catenas po-
„ tentiâ virtutis eximeret. Factum eſt autem, dum Miſſæ
„ celebrarentur, reſolutis nervorum arentibus ligaturis,
„ gratias Confeſſori referens, ad ſanctum accedens altare,
„ gratiam benedictionis accepit incolumis. Et quia priuſ-
„ quàm templum ædificaretur, erat ſuper ſepulcrum Sancti
„ cellula minutis contexta virgultis, & dedicato templo
„ fuit amota, dignum eſt ut de ipſius ligni tenuitate ma-
„ gnum aliquid proferamus. Nam ſæpè de eo haſtulæ factæ
„ parumper auctæ, dolori dentium remedia contulerunt.
„ Hæc audiens CHARIMERUS qui tunc Referendarius
„ CHILDEBERTI Regis habebatur, dum de hoc dolore la-

Mulier manu debilis curatur meritis S. Medardi.

Dolores dentium mitigantur.

Digitized by Google

boraret, basilicam Sancti expetiit, ut sumpturus ex ligno, à virtute Sancti medicinam merererur accipere. Sed veniens ostium reperit obseratum. Confisus ergo quia virtus Beati ubique sit præsens, extracto cultro assulam extulit ab ostio, statímque ut dentes attigit noxius dolor abscessit. Habetur apud nos & baculus ejus, de quo plerumque infirmi medicamina sunt experti.

XIV. Hactenus extra propositum aliorsùm digressi, nostra quodam postliminio reposcentes, & quæ cœpimus exequamur. Homo quidam ligneis catenarum loris insolubiliter artatus, famosa toto orbe glorioſi Confessoris Christi expetiit suffragia, securæ libertati se reddi supplex expostulans. Ut ergo sacræ ædis limina fide afflatus attigit, repentino fragore uno eodémque momento & cælum intonuit, & vasta compedum vincula dirupta longè dissiliunt, & homo peroptatæ redditus libertati, stupore attonitus, solo prosternitur. Dehinc timore posthabito, pergit levigatis jam artubus ante sacro-sanctum tumulum, laudes Domino & gratias Confessori referens pro libertate recepta. Fit cunctis ammirationi tam cita & efficax divinæ virtutis operatio, quam Dominus in Sancto suo gloriosè triumphans, ob ejus meritum suis fidelibus dilucidandum, mirabili omnipotentiæ suæ instinctu mirabiliter patrare dignatus est.

Dissolvuntur catenæ.

XV. Muliercula quædam annosa supervivens cadaverísve*, cui omnem salutis spem ipse genuinæ nativitatis exortus ademerat, inter præpeditos diversarum calamitatum incommodis promiscui sexus cuneos, ad experta toto orbe beatissimi Sacerdotis præsidia se se raptim conferentes, magnæ fidei devotione subnixa se contulit. Erat enim ei à primis vagitibus manus arida, omni humoris valitudine exhausta, perplexis* volæ digitis summo tenus brachio res quasi aliena dependens. Hæc ut se ante memoriam beati Confessoris summisse expositit, afficit protinus per Sancti meritum divinitatis suffragium. Restauratur in ea, quod vitio naturæ defraudatum fuerat ob peccatum, reparatur membrorum naturalis integritas, & quod minùs habuit ex utero, Sancti

Mulieris manus arida sanatur.

f. * suo supervivens cadaveri.

Id est, * implexis.

Digitized by Google

remisit è tumulo. Revirescit juvenilis manus in senili brachio ; & quæ priùs stipem ostiatim quæritabat, quia impos laboris exstiterat, pòst docilis nendi facta, cœpit commodiùs suis jam stipendiis vivere. Itaque sospes effecta gaudet, lætatur, gloriatur, exsultat, sanctum magnificat sacerdotem, glorificat, veneratur, adorat, laudes debitas Domino, gratias votivas suo rependens munerario.

Miserè interiit Episcopus qui bona Monasterii diripiebat. *Supple* * in. *Vitæ cap.* 40. *& seqq. vitæ S. Medardi quæ Fortunato perperam adscribitur.*

XVI. Processu temporum, cùm jam locus ipse haberetur insignis, exstitit quidam WARINBERTUS nomine ; * aula Regia frequens, & inter Regis domesticos plurimùm valens. Hic post excessum AUBERTI venerabilis viri, qui idem Cœnobium strenuè rexerat, Regia præceptione successit ; dignitate quidem, ut pòst patuit, non merito, qua per aliquot potitur annos : decedente vitâ DRAUSIONE Suessionicæ urbis Episcopo, loco ejus substituitur. Denique nactus Cathedram Pontificalem, sategit maximâ summâ, ne prioris dignitatis privaretur honore ; quod licet difficulter, obtinuit tamen. Itaque voti sui compos effectus, cœpit commendatum sibi locum neglectui habere, quia erat plus justo tenax ; cœcáque cupidine illectus, reditus atque fiscalia quę qui ibidem Domino militabant, accipere soliti erant, suis suorúmque usibus malè sibi providus delegabat ; immemórque pastoralis officii, suimet curam gerens, creditum sibi gregem negligens, pascua dominicarum ovium lupino dente carpebat. Erat denique in pago Cinomannico rus nobile, tam magnitudine præstans quàm censu, quod SIGIBERTUS quondam Rex, cujus suprà meminimus, ob amorem beatissimi Medardi quem impensè dilexerat, Monasterio ipsius contulerat, cui ex duabus linguis, latina videlicet atque Britannica, quoniam eidem genti finitimum erat, nomen ex antiquo Matvallis inditum fuit.

Matvallis ergo, id est bona vallis fundus ipse vocatus est : quia, sicut fati sumus, & confinio lati cespitis erat præstans, & censu plurimo ampla marsupia complens. Sed quoniam difficile erat ipsius fundi annuales & uberes fructus devehi posse ad idem Cœnobium, distrahebantur annuatim, & in aliis speciebus quibus vehendi

&

Digitized by Google

& deferendi facilior copia videbatur, eorum pretia expendebantur in melle ac sale, aliisque speciebus; & sic annis singulis plurima plaustra onusta ad jamdictum deducebantur Monasterium. Sed ea jamdictus Episcopus ad suum diverti faciebat Episcopium suis usibus expendenda. Hoc compendio mercabatur præsentis vitæ letale mox futurum exitium, & æternæ gehennæ inevitabile detrimentum. Talibus eo instante fraudibus, Dei famuli tristabantur, insistendo precibus continuabant jejunia, inlacrimantes ante sepulcrum Sancti profunda trahebant suspiria.

XVII. Igitur quâdam vice dum advenirent solitò onerata carpenta, penum Episcopii repletura, contigit Episcopum casu fortuito defuisse. Itaque servi Dei nactâ occasione de ejus absentia, pergunt obviam, plaustra perducunt ad Sancti Basilicam', reponunt in suis promptuariis quæ fuerant allata in plaustris. Veniunt ad notitiam Episcopi quæ fuerant patrata à Clericis*. Ilico furore accenditur, ignescit irâ, perturbatur maniâ; minatur se adventurum, & de ipsis se vindicaturum. Interea milites Domini formidantes promissum sibi exitium, concurrunt ad aulam, per triduum Domini implorant clementiam, altaria discooperiunt, pharos* exstingunt, universa ostia obstruunt, & per illud triduum nec campanæ in ea quatiuntur, nec divinæ in publico horæ canuntur. Regreditur ad urbem furibundus Episcopus, compertóque quæ agebantur, efferveſcit iteratâ insaniâ, reaccenditur irâ repetitâ, consurgénsque maturè transit flumen, accelerat iter ad Monasterium quasi vindictam actorus ex Clero, ignarus properans ad sibi imminentem perniciem. Itaque cùm perveniſſet invectus furiâ ante Sancti Basilicam, & non solùm neminem se præstolantem inveniret, sed & omnia ostia munita cerneret, cœpêre sui inreverenter valvas sancti templi concutere, & conclamare ut aperirent. At hi qui intro habebantur, adtentiùs Sancti flagitabant auxilium. Iterum iterúmque qui extrà erant, pulsant januas. Interiùs remorantes moras nectunt. Quid pluris immoror? Ipse non jam Sacerdos sed hostis sævus,

* *Sic tum Monachos vocabant, ita passim Gregor. Turon. Ut deinde observavit Hadrianus Valesius in lib. 17, Rerum Franc. pag. 516. Fuisse verò in cap. 6. Disceptat. de Basilic. Id est* * lucernas & cereos.

Digitized by Google

quo plus fervebat insaniâ, eo ampliùs concutit ostia. Tandem aperiuntur ab uno Ædituo Regiæ: qui mox Ædem sacram ingressus, ut vidit Clericum qui ei ingredienti aditum præbuerat, stantem, baculo quem tunc manu gestabat, caput ejus allisit tam valide, ut totus cruentaretur sanguine. At ille ut erat mærens, imprecatus est ex animo, quod mox patuit in facto. Pergit, heu miser! non jam Episcopus, sed vir sanguinarius cothurnoso gressu ante Sancti tumulum cruentis manibus oraturus, sed mox horribiliter moriturus. Nam ut genua ante Sancti tumulum flexit, extemplò per alvi secreta ejus proruperunt vitalia, cujus corpus in cimiterio ejusdem Cœnobii honore sibi congruo depositum ac sepultum est.

XVIII. Vos, vos, inquam, qui dicimini Pastores, Abbates, Rectoréque Ecclesiarum, vos hæc fabula, non fabula, sed res veraciter gesta respicit, vos instruit, vos ammonet. Videte ne abusivè, aut nomine tenus tantùm horum nominum dignitatem sortiti sitis. Pascite fideliter commissum vobis gregem. Quid est fideliter? id est, sine fraude. Fraus namque dicitur fracta fides. Nam Anania ac Saphira quia fidem fregerunt, Deóque mentiti sunt, temporali morte plexi sunt. Cavete ne fraudem faciatis sponsæ Christi, id est Ecclesiæ ejus, ne mercenarii ejus, vel quod deformiùs est, lupi veraciùs vocemini, & mortem quam Pastores illi, & iste de quo sermo texitur, in corpore pertulerunt, vos in anima patiamini. Expendite & considerate, si is de quo loquimur aliquos habuerit ante se simili mortis exitu consimiles. Intuemini Judam traditorem, & Arium hæresiarcham considerate, quorum unus humanitatem Christi, alter Divinitatem exstinguere nisi, ambo sicut sensu inanes vixerunt, ita quoque ventre vacui perierunt.

Digitized by Google

CHRONICON

NICOLAI TRIVETTI* DOMINICANI,

Vulgò, * de Treveth.

Ab Anno MCXXXVI. ad Annum MCCCVII.

ATHENIENSIUM Romanorúmque res geſtas certiſſimus auctor Saluſtius ad invicem conferens, has virorum illuſtrium præſtantiori virtute adminiſtratas, illas vivacium ingeniorum ſtudiosâ diligentiâ magnificatas, famâ effulſiſſe aſſerit clariori. Laudis nempe & gloriæ avida nimis Græca facundia inſignes bellorum ſuorum triumphos, veritate hiſtoricâ ad poſteros non contenta tranſmittere, verùm Poëtarum auctos figmentis quibus Orbe toto erat fecundior fabulosâ delectatione in admirationem extulit & ſtuporem. Hos æmulata quoque plurimùm Latina ambitio quæ exercitio militari ut mundus clamat ſubjectus, venuſtatéque dicendi ſuorum decreto facilè magiſtros tranſcenderit, à quibus utriuſque exercitii leges & præcepta in cultum rei ſuæ publicæ contraxit: gentis tamen Achææ gloriâ inferior viſa eſt, quòd eam diſertorum copia Scriptorum, qui victorioſorũ memoriam titulorum perpetuarent, nullatenus adæquavit. Ceteris autem terrarum nationibus licet tam inclyta ſcribendi materia & tam multiplex non affuerit, propagandi tamen nominis ſollicita minimè defuit diligentia, quâ antiquitatis ſuæ geſta memorabilia ad novellæ ſuccedentis generationis notitiam detractâ temporum injuriâ pervenirent.

Hunc ex ea caritate morem innatum quia proprii ze-

Digitized by Google

lum honoris ſingulorum mentibus impreſſit natura, in Anglicana obſervatum gente uſque ad JOHANNIS Regis primordia, omiſſum cernimus ſeu invaleſcente deſidiâ, quæ laboris cujuſcumque refugit exercitium, ſeu vitio quo populus in Principum ſuorum degenerans odium, plus in eorum vituperiis quàm laudibus delectatur. Quo factum eſt, ut annorum centum viginti & ampliùs hiſtoria vix tenui chronographorum excerptâ diligentiâ in modernorum confabulationibus probroſis Regum præcedentium detractionibus (dum aliena ad cælum extolluntur) turpiter obfuſcetur. Itaque cùm aliquando in ſtudio moraremur Pariſienſi, geſta Francorum Northmannorúmque cum aliis ſtudioſè perlegimus, & quidquid nationem tangebat Anglicanam fideliter excerpſimus. Ex quibus cum his quæ in chronicis Anglicanis vidimus, adjectis nonnullis quæ vel propriâ notitiâ collegimus, vel fide dignorum relatu didicimus, ut omiſſa ſeu neglecta aliqualiter ſuppleri valeant, eorum in inſequenti Opere Regum geſta, qui per lineam maſculinam ab Andegavenſibus Comitibus ſuam traxerunt originem, quorum primus erat HENRICUS ſecundus, juxta ſucceſſionem temporum ad noſtram ætatem curavimus annotare. Quamquam autem circa res Anglicanæ gentis principaliter noſtra verſetur intentio, Romanorum tamen Pontificum ac Imperatorum, Regúmque Francorum, quorumdámque aliorum præfatis contemporaneorum Regibus acta memorabilia quæ ad noſtram pervenerunt notitiam annectere non omiſimus, communi intendentes per hoc utilitati ampliùs deſervire.

Pariſiis Auctor ſtudiis operam dedit.

Quatuor autem in ſupremo Operis margine ponimus titulos. Quorum primus eſt Domini noſtri JESU-CHRISTI, ſecundus Romanorum ante cujus principium ſcribitur littera P. deſignans Pontifices; poſt finem verò littera R. deſignans Reges, tertius titulus eſt Francorum, quartus Anglorum, quibus correſpondent quinque numerorum ſeries, quæ ſingulis præmittuntur capitulis, ita utſecundo duæ ſeries, una Pontificum & alia Regum reſpondeant. Sub reliquis verò ſingulæ ponuntur numerorum

Digitized by Google

ſeries, quarum prima Anno Domini noſtri JESU-CHRISTI, quarta Francorum, quinta Anglorum Regum temporibus coaptantur. Cùm autem in ſerie Regum Romanorum duo numeri ſignentur, ſuperior annos deſignat Imperii, inferior verò Regni. Annum verò juxta morem Romani Calendarii à principio Januarii exordimur.

ANNI DOM.	PAPÆ	IMP.	FRANC.	ANGL.
MCXXXVI.	INNOCENTII II. VI.	LOTHARII IV. X.	LUDO. VI. XXVII.	STEPHANI I.

UT autem juxta noſtram intentionem commodiùs Regum geſta, qui à Comitibus Andegavenſibus per lineam maſculinam deſcenderunt proſequamur, prælibandum videtur quomodò ad illos jus regni Anglicani fuerit devolutum. Altiùs igitur repetentes dicimus, quòd cùm HENRICUS primus Willelmi qui conquiſitor erat filius (in quo WILLELMUS Malmeſburienſis ſuam terminat hiſtoriam, quam diffusè proſecutus eſt de Regibus Anglicis & Normannis) prole maſculinâ orbatus eſſet, filii ejus WILLELMO & RICHARDO in redeundo de Normannia verſus Angliam in egreſſu portus de Depa, nautis inexpertis periculo ſæviſſimo marinis abſorptis fluctibus unicam filiam MATHILDEM nomine regni ſui reliquit heredem. Quam quamvis eſſet admodùm juvencula, anno gratiæ milleſimo centeſimo decimo uxorem duxit Imperator HENRICUS quintus, quem quidam quartum dicunt non numerantes HENRICUM primum, eo quòd benedictionem Imperialem fuerit minimè aſſecutus. Huic MATHILDI vivente adhuc marito, pater ejus Henricus anno regni ſui triceſimo ab omnibus Prælatis, Comitibus, & Baronibus terræ Anglicanæ fidelitatis fecit juramentum præſtari.

Quo modò ad Comites Andegavenſes jus Regni Anglie. devolutum eſt.

Defuncto autem Imperatore ſine liberis anno gratiæ milleſimo centeſimo decimo ſexto, Imperatrix in Angliam ad patrem revertitur. Anno verò gratiæ milleſimo centeſimo vigeſimo nono Imperatrix annuente patre Comiti Andegavenſi GALFRIDO, qui cognominatus eſt Plantegenet, nupſit viro, in rebus militaribus ſtrenuo & famoſo; qui de ea genuit tres filios HENRICUM, GAL-

Digitized by Google

FRIDUM atque WILLELMUM. Anno autem gratiæ milleſimo centeſimo trigeſimo ſexto, cùm defuncto Henrico primo patre Imperatricis jus regni Angliæ ad ipſam vel ejus filium primogenitum HENRICUM ſpectaret, STEPHANUS filius Comitis Bleſenſis, præfati Regis Henrici ex ſorore nepos, regnum ipſum Primoribus ſibi quibuſdam faventibus uſurpavit. Cujus uſurpatio injuſta quomodò ad heredes ejus non tranſierit, quomodóque ab eo ad juſtum heredem reverſio exorta, ut pleniùs appareat, geſta ejus primitus proſequemur, de ejus origine & promotione per Regem Henricum primum aliqua præmittendo. Stephanus ſiquidem Bleſenſis Comes Mathildem * filiam Willelmi Regis Conquiſitoris, ſororem Henrici Regis primi uxorem accepit, de qua filios quatuor procreavit. Quorum patre in partibus Orientis defuncto, mater mirabilis providentiæ, primogenito eo quòd eſſet remiſſioris ingenii amoto, ſecundum filium Theobaldum ad hereditatis paternæ plenitudinem ſublimavit. Tertium verò filium Stephanum nomine adhuc impuberem germano ſuo Henrico Regi Angliæ educandum ac promovendum tamquam nepotem patruo commendavit. Quartum verò Henricum nomine, ne ſoli ſæculo videretur liberos genuiſſe, apud Monaſterium Cluniacenſe tonſoravit. Proceſſu verò temporis Henricus Anglorum Rex Comitatum Mertonii ſeu Conſtancienſem in Normannia nepoti ſuo Stephano contulit, unicámque Comitis Bolonienſis filiam ad quam plenè devolvenda erat hereditas paterna, eidem connubio copulavit. Henricum verò Fratrem ejuſdem à Cluniaco evocatum Glaſtonienſem Abbatem conſtituit, cui & poſtea Wintonienſis Eccleſiæ contulit præſulatum, qui utriuſque ſimul functus officio poſſeſſiones ampliſſimas utriuſque retinuit Romano cum eo Pontifice diſpenſante. Stephanus igitur, ut præfatum eſt, ſubtracto de medio avunculo regnum Angliæ invadens, à Willelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo annuente Sareſburienſe Roge-

* Adelam alii.

Digitized by Google

rio in præsentia Prælatorum & Procerum, nonobstante juramento quod olim Imperatrici vivente patre præstiterant, solemniter coronatur. Sedit ea tempestate Romæ Innocentius secundus, imperante Lothario quarto, & regnante in Francia Ludovico.

DOMINI MCXXXVI.	INNOCENTII II. VI.	LOTHARII IV. X	LUDOVICI VI XXVII.	STEPH. I. I.

STEPHANUS initia visus est habere fausta dum DAVID Scotorum Regem Imperatricis avunculum, & pro vita ejus zelantem, terrámque Northhumbriam invadentem trans fluvium Tynam magnis repulit viribus, & ejus exercitum in manu potenti contrivit. BALDEVINVM etiam de Roveriis rebellantem expugnavit, & in exsilium relegavit, Normanniámq; occupans, omnia in ea gerenda felici fortunâ disposuit: mare Anglicanum terminos suos egressum partem magnam Flandriæ cum habitatoribus ejusdem submersit. Guillelmus Dux Aquitaniæ, qui & Comes Pictaviæ dictus est, ad S. Jacobum peregrè proficiscens, in die Parascevæ obiit, sepultúsque est in Ecclesia sancti Jacobi coram altari. Hic duas reliquit filias, quarum primogenitam Alianordem in hereditate integra sibi statuit successuram, suósque instante morte adjuravit Proceres ut dictam Alianordem juniori Regi Francorum Lodovico cum pleno Ducatu traderent maritandam.

Guillelmus Aquitaniæ Dux obiit cùm sepulchrum S. Jacobi visitaret, atque inibi sepultus est.

MCXXX-VII.	INNOCENTII VII.	LOTHARII IV. XI.	LUDOV. VI. XXVIII.	STEPH. I. II.

LODOVICUS Francorum Rex audita morte WILLELMI Ducis Aquitaniæ, filium suum LODOVICUM jam coronatum in Regem misit Burdegalam, ut cum Ducatu Aquitaniæ ALIANORDEM acciperet in uxorem filiam dicti Ducis. Infra verò mensem nuptias sequentem moritur Rex Francorum senior LUDOVICUS. Per idem tempus in Galliis à Martio usque ad Septembrem fuit siccitas inaudita: fontes namque & putei, fluvii etiam quamplurimi siccabantur.

Ludovicus Regis filius uxorem ducit filiam Guillelm. Ducis. Moritur Rex Franc.

Digitized by Google

Et Lotharius Imperator.

LOTARIUS Romanorum Imperator ſecundam in Italiam profectionem faciens, dum rediret in patriam ſuam ſubactâ Apuliâ de medio ſubſtractus eſt. Cui ſucHuic ſucceſſit Conradus. ceſſit CONRADUS Henrici Imperatoris ex ſorore nepos. Hoc anno cœperunt plurimi à Rege Stephano deficere, quorum Capitaneus erat ROBERTUS Comes Gloverniæ Imperatricis germanus, quamvis ex illegitimo toro natus. Dúmque Rex in partibus auſtralibus contra iſtos bella gereret caſlóque labore ſudaret, Scottorum Rex DAVID cum ſuis Northhumbriam depopulando ſubegit.

MCXXX-VIII. | INNOCENTII II. VIII. | CONRADI II. I. | LUDOVVICI VII. I. | STEPHANI III.

PETRUS Leonis qui per ſchiſma Papatum invaſerat annis octo, divino judicio percuſſus interiit. INNOCENTIUS Papa ordinatos ab eo degradavit, & ne ultrà ad ordines promoverentur decrevit. Scotti amne Tyna tranſmiſſo uſque ad Theſis fluvium debacchantur, putScoti in Angliam ingreſſi repelluntur. tantes ſe in brevi Deirorum provinciam cum civitate Eboracenſi ſpe non dubiâ poſſeſſuros. Provinciales verò à Rege STEPHANO & Trans-Humbrana gente deſperantes auxilium, monitis THURSTINI Archiepiſcopi animati, unanimiter conglobati contra Scottorum multitudinem immanitate terribilem in campo non longè à flumine Theſa menſe Auguſto viriliter perſtiterunt. Denique Scotti incenſis mane caſtris Anglorum paucitatem habuerunt deriſui, ſed cùm liviter armati confodientia eminus jacula ſenſiſſent, hoſtibus terga dantes inſequentibus Anglicis victoriam conceſſerunt. Fugit Rex DAVID raro ſtipatus milite, plurimíſque de ſuis cadentibus vix evaſit.

Illuſtres viri Malachias Epiſc. Gilbertus Porretanus. Clarebant his temporibus viri illuſtres MALACHIAS Epiſcopus, qui mortuum dicitur ſuſcitaſſe; GILBERTUS Poretanus in Galliis tam liberalium artium quàm divinarum ſcripturarum ſcientiâ eruditus ad plenum. Hic libros Boëtii de Trinitate, & de hebdomadibus commentavit. Scripſit etiam, ut fertur, librum ſex principiorum; & de

Digitized by Google

& de Canone ſancto nonnullos libros ſua expoſitione illuſtrans, poſt Magiſtrum ANSELMUM ſuper Pſalterium & ſuper Epiſtolas Pauli ex dictis ſanctorum Patrum compactam edidit gloſaturam. Florebat etiam his temporibus BERNARDUS Clarevallenſis Abbas, multa poſt ſe ſanctitatis & ſcientiæ monumenta relinquens. Eodem anno ALBERICUS Oſtienſis Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis Legatus Concilium Londoniis celebravit, ubi & THEOBALDUS Beccenſis Abbas Rege Stephano annuente in Cantuarienſis Eccleſiæ cathedram ſublimatur.

Bernardus Clarevallenſis Abbas.

Albericus S. A. Legatus Londoniæ Concil. celebrat.

REX STEPHANUS Oxoniæ conſtitutus ROGERIUM Sareſberienſem & ALEXANDRUM Lincolnienſem, inter Epiſcopos Angliæ potentiſſimos velut injuriarum reos atrocium captos incluſit, artatóſque pecuniis nudavit & caſtris. ROGERUS enim per Henricum Regem primum promotus factúſque in adminiſtratione regni ab eo, priùs duo nobilia caſtra Scireburne & Diviſas opere ſumptuoſo conſtruxit, Alexandróque nepoti Lincolnienſem favore regio obtinuit Præſulatum. Hic latiſſimi cordis exiſtens, avunculum in caſtris conſtruendis adæquavit expenſis. Conſiderans tamen poſteà hujuſmodi ædificia Epiſcopalem minùs decere honeſtatem, ad hujuſmodi reatus abolendam maculam, totidem Monaſteria pluribus dotata prædiis ad Dei honorem fundavit, Religioſis in eiſdem Collegiis inſtitutis. ROGERUS autem Sareſberienſis de fidelitate Imperatrici ſervanda vivente ejuſdem patre non ſolùm primus juravit, ſed ceteris omnibus Prælatis & Proceribus diſtinctè ad nutum regium impoſuit & propoſuit juramentum. Ipſe tamen poſtea ut Stephanum eodem juramento aſtrictum ſibi alliceret, perjurium non eſt veritus incurrere, ſed aliis pejerandi inſigne præſtruxit exemplum. In quem ipſe Stephanus ultor ordinatus divinitus tanquam exi-

Epiſcopos Sareſberienſ. & Lincol. carceri tradit Stephanus.

Digitized by Google

gui hominem momenti primò carcerali cuſtodiæ, poſtmodùm etiam cibi inopiâ, nepotíque ejus Alexandro, qui tunc regius Cancellarius erat, intentato ſupplicio ſic coartavit, ut Regi duo dicta præclara caſtra, in quibus erant theſauri ejus repoſiti reſignaverit. Denique grandævus Epiſcopus vi doloris, ut fertur, abſorptus vitam longo tempore ſplendiſſimam fine infelici concluſit. Alexander verò Lincolnienſis munitiones ſuas modo non diſſimili reſignans, ægrè relaxatus eſt, ut diſcat divina judicia venerari, & ſaniora de cetero meditetur. Obiit Johannes de Temporibus, completis, ut fertur, ætatis ſuæ annis trecentis ſexaginta & uno, qui & Caroli Magni dicitur ſcutifer exſtitiſſe.

MXL. | INNOCENTII II. X. | CONRADI II. III. | LUDOVICI VII. III. | STEPHANI I. V.

Turbat Regnum Angliæ Mathildis Imperat. filia Regis Henrici I.

MATHILDIS Imperatrix filia Regis Henrici primi cum germano ſuo ROBERTO Glouceſtriæ Comite circa feſtum ſancti Michaëlis venit in Angliam, contemplatione juramenti olim ſibi præſtiti corda multorum commovens contra Regem. Regnum in ſe dividitur, & juxta verbum veritatis per hoſtiles incurſus paſſim rapinas exercentes & incendia deſolatur. Interim GALFRIDUS Andegavenſis Comes Normanniam pervagatur cum exercitu, totámque in brevi uxoris & filiis nomine redegit in ſuam poteſtatem, nemine qui ejus valeret ſuſtinere impetum reſiſtente.

Hugo & Ricardus de S. Victore.

Deceſſit hoc anno HUGO de ſancto Victore, qui de Opere ſex dierum, & de Sacramentis, de Arca etiam aliáque utilia multa ſcripſit. Floruit autem eo tempore RICARDUS de ſancto Victore, qui de Trinitate & Unitate libellum brevem ſcripſit, principiúmque & finem Ezechielis expoſitione hiſtorica illuſtravit.

Digitized by Google

An. Dom.	Papæ	Imp.	Franc.	Angl.
MCXLI.	Innocentii II. XI.	Conradi II. IV.	Ludov. VII. IV.	Stephani I. VI.

STephanus Rex castrum Lincolniæ, quod Comes Cestriæ Ranulphus dolo, ut fertur, intraverat, & suis defendendum commiserat, instauratum obsedit, protractáque obsidione à Natali usque ad Hypapantem Domini Comes Ranulphus socero suo Roberto Glovernienſi Comite aliisque partem Imperatricis foventibus regni, ammoveret obsidione* bellum cominus intentavit. Quo non cedente, sed excercitum potiùs congregatis undique copiis augente gravissimum consertum est prælium, in quo devicto exercitu Regio licet numero præstantior & apparatu videretur, ipse Rex captus est. Ceteris profligatis Comites cum suis civitatem ovantes ingressi omnia more hostili diripiunt, Regémque captivum Imperatrici reddentes, mulieris animum insigni victoriâ incitabant ad ampliora sperandum. Cives Londonenses Regii casus infelicitate fracti Imperatricem quæ Regem apud Bristollum custodiæ mancipaverat, favorabiliter susceperunt undecimo Kal. Maii, quæ & ab omni pænè gente Anglorum, Cantianis exceptis, est Domina proclamata: sed irritata fortuna fastu femineo pendulos Optimatum animos & corda civium tenero adhuc affectu hærentia pervertit, ut de amicis subitò converterentur in hostes. Igitur in die Nativitatis Præcursoris Domini obsessâ turri fugatur Imperatrix de Londonio, turrim tamen Galfridus de Magnavilla potenter defendit, & egressu facto Robertum civitatis Episcopum partis adversæ fautorem cepit apud manſum suum de Fulletum.

f. ut amoveret obsidem.

Capitur Rex Angl. & Imperattici traditur.

Carceri mancipatur.

Eâdem tempestate Imperatrix cum avunculo suo David Rege Scottorum, & germano suo Roberto Comite Gloverniæ turrem Wintonienſis Episcopi obsidens experta est gloriæ prioris jacturam. Idem namque Episcopus Regis Stephani Germanus, vir multæ in regno potentiæ, callidus admodùm pecunioſúsque, nec non in Anglia Apostolicæ Sedis Legatus ad solvendam

Digitized by Google

obsidionem ex Cantia quam solam casus non flexerat regius, GUILLELMUM Iprensem cum Regina*, & ex aliis provinciis quamplurimos acquisivit. Cúmque jam immensas contraxisset copias, per dies aliquot uterque exercitus excubabat in castris, & præter eos qui de castris egressi pro virium exercebantur ostentatione, ab actu vacare bellico videbatur. Verùm advenientes magnæ ex Londonienſibus copiæ, in tantum augebatur adversantium Imperatrici exercitus, ut ipsa jam impar ad pugnam, relictâ Wintonienſi civitate direptioníque exposita suæ per fugam saluti consulere cogeretur. Captus est in illa fuga ROBERTUS Gloverniæ Comes cum aliis pluribus Militibus & scutiferis diversi generis & honoris. Porrò Rex DAVID ne in manus incideret hostium, quibusdam eum cautè deducentibus multo metu & periculo ad propria remeavit. Sanè insignium captivorum, Regis videlicet & Comitis facta est commutatio, & perseverantibus inimicitiis uterque pro altero sibi redditus est & suis.

f. qui erat cum Regina.

Liberatur Rex

ROGERUS de Sicilia filius Roberti GUISCARDI Normanni, qui Apuliæ & Calabriæ Pincipatum tenuit, à Papa Innocentio, propter investituras Ecclesiarum quas sibi usurpavit, anathematis sententiâ innodatur. Qui pòst ipsum Papam in bello cepit, & cum eo factâ pace obtinuit ut in Regem coronaretur Siciliæ. Sícque primus de genere Normannorum nomen Regis usurpans, postea pænè totam Africam adquisivit.

G. Rogerus capto Innocentio Papa Rex consecratur.

REX STEPHANUS apud Wiltonam munitionem construēs repentinâ hostium irruptione fugatus est plurimis suorum amissis, captus est ibidem Regis Dapifer. WILLELMUS cognomento Marcellus*, qui pro redemptione corporis sui Schireburnense Castellum nobile resignavit. Eodē anno fortunâ retrogradâ Rex Imperatricem in Oxonia per menses aliquot obsidione concluſit. Quæ

* Martellus.

Obsessa Imperatrix à Rege evasit.

Digitized by Google

diutinæ obsidionis angustiæ impatiens, ex temporis qualitate occasionem fugæ nacta, noctis & nivis beneficio in veste alba Thamesem fluvium crassâ glacie transiit superstratum. Sícque periculum evadens in loca se transtulit tutiora. Rex oppido capto, successúque factus hilarior, priorum visus est eventuum aliqualiter dedecus deterssisse.

Constantinopolitanus Imperator EMMANUEL obsessa aliquandiu Antiochia, pace factâ cum Principe, civitatem intravit. Multis deinde captis præsidiis dum venationi insisteret, arcúmque vehementer tenderet, à semetipso sagittâ vulneratus toxicatâ in manu sinistra; defungitur relicto filio EMMANUEL successore.

Dissensio inter Papam Regémque Francorum exorta est, quia quemdam PETRUM nomine sine assensu regio Bituricensem Archiepiscopum ordinavit, quem sedem suam adeuntem Rex exclusit. Receptus tamen est à Comite Campaniæ THEOBALDO: propter quod Rex Comiti offensus, ipsum plurimùm molestabat.

Petrus Bituric. Archiep. sine assensu Regis ordinatus excluditur.

MCXLIII. | INNOCENTII II. XIII. | CONRADI II. VI. | LUDOVICI VII. VI. | STEPHANI I. VIII.

HENRICUS Wintonienſis Episcopus Apostolicæ sedis Legatus pro quiete & prærogativa Ordinis clericalis Concilium Londonienſe celebravit, cui benignè interfuit Rex STEPHANUS, & favoris Regii suffragium non negavit. Statutum est in hoc Concilio, ut quicumque in Clericum vel Monachum manus injecerit violentas, solemniter denunciaretur excommunicatus, & ad Romanum absolvendus Pontificem mitteretur. Cantuarienſis Archiepiscopus THEOBALDUS super Wintonienſem Episcopum ordinariam gerens potestatem, & Wintonienſis Episcopus super Cantuarienſem Legationis indultæ potestatem exercens, dum mutuo invicem gladio colliduntur, Romanum adeunt Pontificem, & quæstionem tanto gratiorem quanto ponderosiorem Romanorum auribus intulerunt.

Concilium Londonienſe coactum.

Decreta Concilii.

Digitized by Google

Galfridus de Magnavilla custodiæ traditur à Rege.

Rex STEPHANUS non immemor illati sibi olim dedecoris à GALFRIDO de Magna villa arcis Londonienſis occupatore, nec quid deceret regiam honeſtatem, ſed quid ultioni competeret conſiderans, ipſum in curia ſua apud ſanctum Albanum nihil talium meditantem comprehendi juſſit, & artiori cuſtodiâ detineri. Siquidem Rex Stephanus ante annos aliquot CONSTANTIAM Ludovici Regis Francorum ſororem EUSTACHIO filio ſuo deſponderat, intẽdens affinitate tanti Principis contra Andegavenſem Comitem virum Imperatricis liberóſque eorumdem ſucceſſurum ſibi filium roborare. Erátque nurus hæc Londoniis cum ſocru ſua Regina, quæ dum ad locum alium migrare voluiſſet, à Galfrido paſſa reſiſtentiam, coacta eſt in manu ejuſdem nurum relinquere; poſteà tamen Regi prædictam repoſcenti reſtituit licèt ęgrè. Cùm hæc oblivioni tradita viderentur, inter alios Proceres qui edicto publico apud ſanctum Albanum convenerant, apparuit hic GALFRIDUS, quem Rex illico indignationis loris adſtrictum, non antè dimiſit liberum quàm Londonienſem turrem reliquáſque quas tenuit munitiones ſatellitibus Regiis reſignaret. Liber autem factus, ingentia metiens animo, collecta improborum manu in Monaſterium Rameſienſe invaſit, & expulſis Monachis de Eccleſia caſtrum faciens, percrebis irruptionibus vicinam infeſtavit provinciam, ac ex ſucceſſu demum conceptâ fiduciâ progrediens longiùs, Regem ipſum exterruit, & acerrimis inſultando excurſionibus fatigavit.

Rex Francorum contra Comitem Campaniæ THEOBALDUM ducens exercitum Vitriacum cepit, cujus ſuccensâ Eccleſiâ plurimi in ea conſumpti ſunt igne. Rex autem caſtrum illud nepoti Comitis quem patruus aliàs patrimonio privaverat, contulit.

Innocentius Papa moritur.

INNOCENTIO Papâ hoc anno defuncto, ſepultóque in Eccleſia Lateranenſi in concha porfirica opere miro ſculpta, CÆLESTINUS ſecundus ſucceſſit, qui Regem Ludovicum ad pacem concordiámque reduxit. Fulco Rex Hie-

Digitized by Google

rusalem venando equo lapsus interiit : cui filius ejus BALDEWINUS succesſit.

MCLXIV | CÆLESTINI II. I. | CONRADI II. VII. | LUDOVICI VII. VII. | STEPHANI I. IX.

CÆLESTINUS Papa cùm sediſſet menſibus quinque, diebus XIII. obiit, & in Lateranenſi Eccleſia ſepultus eſt. Cui Lucius ſecundus ſucceſſit. Hic natione Bononienſis, cùm eſſet Preſbyter Cardinalis tituli ſanctæ Crucis, totam illam Eccleſiam renovavit à fundo.

Cæleſtinus II. Papa paucis menſibus ſedit : cui ſucceſſit Lucius II.

STEPHANUS Rex caſtrum Lincolniæ quod Comes Ceſtriæ tenuit, ſecundò obſedit, ubi dum munitionem exſtrueret, operariis ſubitâ hoſtium irruptione præfocatis, Rex confuſus ipſe abſceſſit. Apud Norwicum immenſum perpetratum eſt facinus à Judæis, qui in opprobrium Chriſtianæ fidei & Salvatoris noſtri blaſphemiam puerum cujuſdam Catholici immani crudelitate crucis affixerunt patibulo. GALFRIDUS de Magnavilla in obſidione caſtri hoſtilis à quodam pedite ſagittâ percuſſus in capite, poſt dies aliquot exſpiravit. Similis factionis homo Robertus Marmyun invaſor Monaſterii Conventrenſis Monachis excluſis, cùm contra Ceſtrenſem Comitem cum ingentibus copiis adventantem exercitum paraſſet, in proſpectúque omnium ſpumante veheretur in equo contra hoſtes, in foveam incidit, & dum fracto femore emergere non valeret, à quodam partis adverſæ ſatellite capite plexus prælio finem dedit.

Galfridus de Magnavilla, & Robertus Marmyun miſerè interierunt.

Rex Francorum Comitem Campaniæ ad pacem mediante BERNARDO Clarevallenſi Abbate recepit. Quidam Italicus ARNALDUS de Brixia artiſſimam vitam ducens, multos peſtiferâ doctrinâ ſeduxit, qui dum Romæ Clericorum divitias & ſuperfluitates redargueret, à quibuſdam captus ſuſpenditur & crematur. De quo Beatus BERNARDUS in quadam Epiſtola iſta ſcripſit : Erat homo in epulis neque manducans neque bibens, ſed cum ſolo diabolo eſuriens & ſitiens ſanguinem animarum. Cujus

Arnaldus de Brixia hæreticus ſuſpenditur & crematur.

« Epiſt. 195.

« Epiſt. 196 «

Digitized by Google

» conversatio mel, & doctrina venenum, cui caput colum-
» bæ, cauda scorpionis erat, quem Brixia evomuit, Roma
» exhorruit, Francia repulit, Germania abominata est.

MCXLV. | LUCII II. I. | CONRADI II. VIII. | LUDOVVICI VII. VIII. | STEPHANI I. X.

Obit Lucius Papa.

LUCIUS Papa Senatores Romanorum contra Ecclesiam erectos, in Capitolio inclusos obsedit, sed non multò post obiit, cùm sedisset mensibus undecim, diebus septem. Sepultúsque est in Ecclesia Lateranensi.

Rex Stephanus cùm Comes Glovernienſis ceteríque partis adverſę munitionem apud Farendone quantum sibi utilem, tantum Regiæ parti constructissent nocivam, cum militia sua & Londonienſibus advolans, per diésque aliquot eam fortiter oppugnans, tandem obtinuit eam non sine tædio & labore.

Edissa civitas à Paganis capta Episcopus interficitur.

Mense Maïo in Occidentali parte cæli apparuit stella comata. Edissa civitas Mesopotamiæ ubi quieverunt corpora Apostolorum Thomæ & Thadæi, quæ à primo tempore susceptæ Christianitatis*, à Paganis capitur, & Episcopo civitatis decollato plurimísque occisis reliqui captivantur.

* *Desunt hoc aliqua.*

Eugenius III. fit Summus Pontifex.

Lucio Papæ succeſſit EUGENIUS natione Pisanus, qui cùm esset primus Abbas Monasterii sancti Anastasii Martyris quod Innocentius secundus fundavit apud aquas Salvias, in Ecclesia sancti Cæsarii est electus. Sed propter Senatores qui contra voluntatem prædecessoris sui à populo electi fuerant, ab urbe discedens, in civitate quadam vicina convocatis illuc Cardinalibus & Prælatis munus consecrationis accepit, invitatú sque à Rege Francorum Ludovico non multò pòst profectus est in Franciam.

REX

Digitized by Google

Anni Domini	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCXLVI.	EUGENII III. I.	CONRADI II. IX.	LUDOVICI VII. IX.	STEPHANI I. XI.

REX STEPHANUS RANULFUM Comitem Ceſtriæ nuper ſibi confœderatum & devotum effectum, qui etiam profuſis ipſum apud Wallingfordiam expenſis juverat, venientem confidenter & pacificè ad Curiam ſuam Northamtonam comprehendi juſſit hoſtiliter, fidei propriæ immemor & honoris. Comes captivus caſtrum Lincolnienſe, & alia quæ uſurpaſſe videbatur, ſub obtentu liberationis ſuæ reſignavit Regiæ voluntati. Relaxatus autem, poſtmodùm à Rege recedens, eidem factus eſt perpetuus inimicus. Cúmque jam Regiæ potentiæ omnis vigor deperiſſet, cœperunt Potentes regni prout quiſque poterat munitiones conſtruere, ut ſuos tutarentur fines, vel ut pervaderent alienos.

Viri ſanctitate illuſtres in Anglia.

Claruerunt his temporibus in Anglia viri ſanctitate illuſtres THRUSTINUS Eboracenſis Archiepiſcopus, & GILBERTUS Ordinis qui dicitur de Symplingham Inſtitutor, quorum primus literarum ſcientiâ præditus poſt laudabilem officii paſtoralis adminiſtrationem annis plurimis exercitam, præclaráque pietatis opera, cùm jam ferè expletum militiæ ſuæ tempus ſentiret, reſignato honore, & excuſans ſe ab onere apud Pontem fractum inter Cluniacenſis ordinis Monachos ultimos vitæ dies exegit. Alter verò GILBERTUS eximiæ vir religionis infeminarum cuſtodia gratiæ ſingularis ab adoleſcentia, ut fertur, propriâ non contentus ſalute, lucrandarum in Deo animarum zelo ignitus, infirmiorem ſexum cœpit propenſiùs æmulari omni æmulationis piæ auſu ſumpto ex ſupernæ gratiæ fiducia, & conſcientia propriæ caſtitatis. Cúmque cœptis ejus favor videretur arridere divinus, veritus nè fortè in vacuum curreret aut cucurriſſet, ſi erumpentem zelum moderatrix ſcientia non condiret, Clarevallenſem Abbatem beatum Bernardum adeundum cenſuit, cujus ſalubri informatus conſilio, & in propoſito roboratus, tantò ferventiùs quantò confidentiùs piis cœptis inſiſtere non ceſſavit. Proſperatus autem eſt

Is fortè Gilbertus Sempringham, de quo Titſeus de illuſtr. Angl. Script. ad an. 1189.

Digitized by Google

in his quæ gerebat magnúſque vehementer effectus eſt tam in multitudine copioſa ad Omnipotentis Dei ſervitium congregata, quàm in rerum temporalium ad neceſſaria vitæ ſubſidia corporalis. Denique ſervorum Dei duo, & ancillarum Dei octo, non ignobilia conſtruxit Monaſteria, quæ & numeroſis implevit collegiis, & juxta datam ſibi à Deo ſapientiam ornavit regularibus inſtitutis.

Thurſtino cedente Pontificatum Eborac. ſuſcepit Willelmus.

WILLELMUS Eboracenſis Eccleſiæ Theſaurarius cedente Thurſtino Pontificatum ſuſcepit, vir planè & ſecundùm carnem nobilis, & morum ingenuâ amabilis lenitate. Qui cùm pro petendo pallio reſponſales idoneos Romam miſiſſet, emergentibus adverſariis & contra eum multa proponentibus negatum eſt, juſſúſque eſt in propria perſona ad ſedem ipſam accedere, & pro ſemetipſo tamquam ætatem habens his reſpondere objectis. Cauſis tamen ingraveſcentibus, Papáque Eugenio contra eum implacabiliter irritato deponitur, reverſúſque in Angliam ſeceſſit Wintoniam; ubi à ſuo conſecratore Henrico ſuſceptus eſt honorificè, & ſplendidè exhibitus per decennium ferè, vel caſus vel exceſſus ſuos deplorans temporúmque mutationem patienter exſpectans. Eo amoto cathedram Eboracenſis Eccleſiæ Abbas Fontanenſis HENRICUS aſcendit annitente Papâ EUGENIO, cujus apud Clarevallem ſub patre Bernardo fuerat conſodalis. Quem in Angliam reverſum Rex STHEPHANUS renuit admittere, niſi eidem de fidelitate ſervanda juratoriâ præſtitâ cautione. Excluſum à favore Regio Cives Eboracenſes refutant, ſtudia in depoſitum Præſulem propenſiora habentes. Interdictâ propter hanc pervicaciam civitate, & ſuſpenſis Eccleſiæ organis, Euſtachius filius Regis adveniens divina præcepit celebrari officia, & prætentis terroribus non cedentes ab urbe extruſit; propinqui etiam Præſulis depoſiti tam proprio furore quàm Regio favore feroces cunctis qui depoſitioni ejus putabantur conſenſiſſe, moleſti

Ipſo amoto cathedram aſcendit Henricus, quem Rex admittere renuit

Quam ob cauſam.

Henricus graves patitur perſecutiones.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

erant in tantum, ut seniorem Archidiaconum, qui fortè in manus eorum inciderat, abscidere minimè vererentur. Verùm post annos aliquot placato Rege, cives Eboracenses suum Antistitem cum gaudio susceperunt.

Rex Francorum multíque Principes alii in terram sanctam à Papa Eugenio apud Verzelliacum crucis charactere sunt signati. Ecclesia Tornacensis quæ per annos circiter sexcentos, à tempore videlicet sancti Medardi, sub Episcopo Noviomensi sine proprio steterat Sacerdote, cœpit hoc anno proprium habere Episcopum. His temporibus sancta HILDEGARDIS, cujus mirabiles narrantur visiones & prophetiæ, in partibus Teutoniæ habebatur insignis.

Cruce signatur Rex Franc. &c.

Ecclesiæ Tornacensi proprius Episcopus datur.

S. Hildegardis claret.

MCXL. VII.	EUGENII III. II.	CONRADI II. X	LUDOV. VII X.	STEPH. I. XII.

CONRADUS Romanorum Rex apud Francheſordiam cum multis Principibus ab Abbate BERNARDO Claravallensi crucis signum accepit in Purificatione Virginis glorioſæ. Navalis Dei exercitus ex Anglia, Flandria, aliisque partibus maritimis collectus pridie Idus Aprilis de portu quodam Anglicano cum ducentis ferè navibus profectus quarto Kal. Julii Ulixi-bonam applicuit Hiſpaniæ civitatem, quam protelatâ in decem menſes obſidione ceperunt, & de Saracenis multitudinem plurimam occiderunt, traditáque in manu Chriſtianorum urbe, Clericos in ea poſuerunt, & eiſdem Epiſcopum præfecerunt. CONRADUS Romanorum, LUDOVICúsque Francorum poſt dies aliquot Pannoniam ingreſſi, gentíſque illius Rege placato, ne victualia deeſſent exercitui, Danubium tranſierunt: Inde per Thracias ſuppetente commeatûs copiâ prosperè uſque Conſtantinopolim pervenerunt. Fixis autem extra urbem tentoriis, per dies aliquot exercitum recreârunt. Pactis tandem cum ejuſdem urbis Imperatore initis, anguſtum illud fretum quod brachium ſancti Georgii dicitur tranſmeantes minorem ingreſſi ſunt Aſiam, cujus pars quædam Conſtan-

Imperator Crucis ſignum à S. Bernardo accipit.

Exercitus Chriſtianorum in Terram ſanctam proficiſcitur.

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGL.

tinopolitanæ ditionis est ; Soldanus verò Iconii reliquam partem tenet. Ibi perfidiâ Imperatoris Græci duorum maximorum exercituum parte longè majori casibus variis cladibúsque profligatâ, cum parte residua duo illi magni Principes Hierosolymam accesserunt, nullâque re memorabili ibi gestâ inglorii redierunt.

Regnum Angliæ variis seditionibus concutitur.

Interea Anglia intestinis malis exanguis & saucia tabescebat. Et primò quidem videbatur regnum in duo divisum, quibusdam Regi, & quibusdam Imperatrici faventibus, inter partésque diu multúmque certatum est alternante fortunâ. Processu verò temporis provinciales discordantium motus distribuêre, Castella quippe studio partium per singulas provincias surrexerant crebra: erántque in Anglia tot quodammodo Reges vel potius tyranni, quot castellorum domini, habentes singuli percussuram proprii numismatis & potestatem dicendi subditis regio more jura.

MCXL-VIII.	EUGENII III.	CONRADI II.	LUDOV. VII.	STEPH. I.
	III.	XI.	XI.	XIII.

Concilium Remense.

EUGENIUS Papa Remis Concilium celebravit, in quo GILBERTUS Porretanus per Abbatem BERNARDUM de doctrina convictus minùs sanâ, suum revocavit errorem. HENRICUS filius Comitis Andegavensis suadente matre Imperatrice ad Regem Scottorum DAVID avunculum suum missus, militaribus in urbe Carleoli armis accingitur ab eodem.

MCXLIX.	EUGENII III.	CONRADI II.	LUDOVICI VII.	STEPHANI I.
	IV.	XII.	XII.	XIV.

EUGENIUS Papa de partibus GALLIARUM reversus est in Italiam. ROGERUS Siciliæ Rex Africam ingressus, civitatem quandam cepit Africam appellatam. CONRADUS Romanorum & EMMANUEL Græcorum Imperatores confœderati cùm contra Rogerum Siciliæ Re-

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGL.

gem exercitum duxiſſent; multitudine, fame & intemperie afflicti, nihil proficere potuerunt.

Sanctus MALACHIAS Epiſcopus Hiberniæ apud Claramvallem defungitur, cujus vitam virtutibus inclytam beatus ſcripſit Bernardus.

MCL.	EUGENII III. V.	CONRADI II. XIII.	LUDOVICI VII. XIII.	STEPHANI I. XV.

LODOVICUS Francorum Rex ab Oriente repatrians, à Græcorum navibus capitur, Græcorúmque Imperatori præſentatur captivus; ſed induſtriâ ROGERI Regis Siciliæ ereptus, & ad præſentiam Papæ Eugenii conductus ſecurus ad propria remeavit. RAYMUNDUS Princeps Antiochiæ bello decertans cum Turcis, perimitur. Milites Templi Gazam Paleſtinæ urbem reædificantes Aſcalonitas graviter moleſtabant.

Rex Franciæ ab Imperatore Græc. captus, ſed ereptus in Galliam redit.

MCLI.	EUGENII III VI.	CONRADI II. XIV.	LUDOVICI VII. XIV.	STEPHANI I. XVI.

GALFRIDUS Comes Andegavenſis capto caſtro Monaſteriolo ſuper GIFARDUM Belloii deceſſit, & Cenomanis in Eccleſia ſancti Juliani ſepultus quieſcit. Succeſſit ei in utroque Comitatu Cenomanenſi & Andegavenſi, ac in Ducatu Normanniæ HENRICUS filius ejus ex Imperatrice Mathilde juvenis, præclaram prudentiæ & fortitudinis præferens indolem, militariſque gloriæ non tepidus æmulator.

MCLII.	EUGENII III. VII.	CONRADI II. XV.	LUDOVICI VII. XV.	STEPHANI I. XVII.

INTER Regem Francorum & uxorem ALIANORDEM probatâ conſanguinitate celebratur divortium; & eodem anno HENRICUS Dux Normanniæ Andegavenſiſque Comes eamdem duxit Alianordem, integrum Aquitaniæ Ducatum accipiens cum eadem. EUGENIUS Papa pace factâ cum Romanis urbem ingreditur, mo-

Alienordem à Rege repudiatam uxorem ducit Henric. Dux Norman.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Reg ANGLIÆ

Comite Viromandiæ mortuo ad Philippum Flandriæ Comitatus devolvitur.

ram in ea faciens uno anno. Comes Viromandensis moritur, cujus ad Comitem Flandriæ PHILIPPUM devolvitur Comitatus. Decessit hoc anno CONRADUS Romanorum Rex, Imperialem benedictionem minimè assecutus. Succeſſit eidem FREDERICUS primus nepos ejus, Saxoniæ Dux existens. HENRICUS Comes Northumbrorum, Regis Scottorum filius obiit relictis filiis, quorum primogenitum MALCOLMUM avus sibi succeſſurum constituit: secundò verò genitum WILLELMUM, fecit Comitem Northumbrorum.

Fredericus I. Imperator succedit Conrado.

MCLIII.	EUGENII III. VIII.	FREDERICI I. I.	LUDOVICI VII. XVI.	STEPHANI I. XVIII.

Henricus Normanniæ Dux Regnum Angliæ occupare nititur.

HENRICUS Normanniæ Dux Imperatricis filius ad regnum Angliæ, quod sibi materno jure debebatur, anhelans occupatorem ejus Regem STEPHANUM in manu potenti statuit expugnare. Immunitam tamen nolens relinquere Normanniam, eo quòd Regem Francorum habebat suspectum (sororem namque ejusdem EUSTACHIUS STEPHANI Regis filius uxorem duxerat) cum exercitu tantùm centum quadraginta militum & tribus millibus peditum, se in Angliam transtulit. Confluentibus tamen ad eum militibus Angliæ, qui justitiæ ejus zelum gerebant, de die in diem ejus exercitus augebatur. Obsedit autem primò munitionem Malmesbiriæ, ubi Regis STEPHANI erat præsidium. Cui Rex cum suo exercitu superveniens nec Ducem ad apertum prælii congressum evocare, nec obsidionem potuit amovere: quinimmo contra castra hostilia excubias prolixiores facere crescente potestate adversâ tutum minimè reputans, dum discederet, obsessa munitio in obsidentis transiit potestatem. Jamque incrementis virium & felicitate successuum Ducis gloria adversarii nomen regium adumbravit. Dux inde cum exercitu instructo Stanfordiam adit, quâ celeriter expugnatâ munitionem ejus cepit Regio ejecto præsidio. Audiens autem villam Gipewici, quæ ad Du-

Digitized by Google

cis se partes transtulerat, obsideri à Rege, illuc properat; sed nuntiatâ ei loci deditione divertit usque Notingham, quâ mox expugnatâ vacuatáque opibus, munitioni ejus naturâ loci inexpugnabili obsidendæ vel capiendæ inanem impendere operam recusavit. Dum hæc agerentur, obiit filius Regis EUSTACHIUS, magnam reformandæ inter Principes pacis suâ morte occasionem relinquens. Pater enim ad bellicos operatus segnior movebatur, & suadentium pacem sermones patientiùs audiebat. Tandémque mediantibus amicis pax inter Principes & cautè reformata, & in solidum est firmata. Decretum namque est assensu Principum, ut Stephanus deinceps tanquam Princeps legitimus integrè regnaret cum gloria & honore, cui tanquam heres legitimus succederet Dux HENRICUS. Hanc pacis formam uterque videlicet Rex & Dux tanquam utilem admittentes multis præ gaudio lacrymantibus in mutuos se dederunt amplexus. Dux acceptâ licentiâ feliciter in Normanniam transfretavit. Ante cujus reditum Rex Francorum Lodovicus castrum Vernonem in Normannia occupavit.

Eustachius Regis Angliæ filius defungitur.

Initur pax inter Angl. Principes.

Defuncto hoc anno Papa EUGENIO successit ANASTASIUS IV. natione Romanus. Abbas etiam Claravallensis BERNARDUS religione & sanctitate insignis, fundatis ordinis sui centum sexaginta Monasteriis, beato fine quievit, plurima sapientiæ suæ ad utilitatem aliorum monumenta relinquens.

Anastasius IV. Papa in locum Eugenii sufficitur. Obit S. Bernardus.

BALDEWINUS Rex Jerosolymorum Ascalonem cepit Metropolin Palæstinæ. Floruit Magister PETRUS Lombardus his temporibus Episcopus Parisiensis, qui librum Sententiarum conscripsit, & super Psalterium & Epistolas Pauli edidit novas glossas.

Floret Petrus Lombardus.

Digitized by Google

Anni Dom. MCLIV.	Papæ ANASTASII IV. I.	Imp. FREDERICI I. II.	Franc. LUDO. VII. XVII.	Angl. STEPHANI XIX.

STEPHANUS Philippum quemdam de Coleville nolentem munitionem quamdam quam fecerat in provincia Eboracensi destruere expugnando cõegit finaliter obedire. ROGERUS Cantuariensis Archidiaconus in Eboracensem Archiepiscopum electus, ab Archipræsule Cantuariensi munus consecrationis accepit, sed pro pallio obtinendo ad Romanam Curiam in propria persona iter arripuit. Obiit ROGERUS Rex Siciliæ filium suum WILLELMUM successorem relinquens. Defunctus est etiam Papa ANASTASIUS quartus, Rex etiam STEPHANUS in Cantia infirmitate decumbens octo Kal. Novembris decessit. Sepultus est in Ecclesia Monachorum de Faversham. Quorum Monasterium uxor ejusdem Stephani Regina MATHILDIS fundaverat, & prædiis magnis plurimisque dotarat.

Rogerus Eborac. Archiep. in Ecclesia Cantuar. consecratur.

Moritur Anastasius Papa. Et Rex Anglorum.

Expliciunt gesta STEPHANI *Regis Anglorum.*

INCIPIUNT

Digitized by Google

INCIPIUNT GESTA HENRICI SECVNDI REGIS ANGLIÆ,

AN. DOMI MCLIV.

Qui primus erat eorum Regum, qui à Comitibus Andegavensibus duxerunt originem secundùm lineam masculinam.

HENRICUS filius GALFRIDI cognomento Plantegeneth Andegavensis Comitis, ex Imperatrice Mathilde filia Regis Anglorum, cùm defuncto patre Andegaviæ & Cenomanniæ Comitatus, ex concessioné-que matris, Normanniæ, & per Alianoram uxorem Aquitaniæ jam obtineret Ducatus, certificatus de morte Regis Angliæ Stephani, jubente matre Imperatrice de assensu Episcoporum & Optimatum Normanniæ in Angliam tranfretans, anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo quarto, septimo Idus Decembris à Clero excipitur & populo cum gaudio maximo & honore. Henricus Comes Andegavens. Angliam petit Regnum adepturus.

Decimo sexto Kal. Januarii electus est in Papam Nicolaus Episcopus Albanensis, vocatus ADRIANUS quartus: hic natione Anglicus de urbe sancti Albani oriundus, cùm esset Abbas Canonicorum Regularium sancti Rufi in Provincia, ob eximiam religionem ab Eugenio Papa factus est sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, qui legatione functus in Sarmatiam pro verbi Dei prædicatione, gentem illam barbaram in lege divina diligenter instruxit: Romámque reversus sublimatur in Papam. Hadrianus Papa IV. eligitur.

Dominicâ verò ante Nativitatem Domini quæ fuit decimo quarto Kal. Januarii apud Vestmonasterium

Digitized by Google

Inungitur Rex Henricus à Theobaldo Cantuar. Archiep.

à Cantuariensi Archiepiscopo THEBALDO HENRICUS Dux in Regem inungitur, & præsentibus Archiepiscopo HUGONE Rotomagensi cum tribus Suffraganeis, ROGERO Eboracensi cum ceteris Episcopis Angliæ, ac THEODORICO Comite Flandrensi cum Comitibus & Proceribus Anglicani Regni solemniter coronatur: ætatis autem suæ annum vicesimum secundum agebat: cujus formæ elegantiam, morémque compositum PETRUS Blesensis Bathonienſis Archidiaconus, in Epistola quadam ad WALTERUM Panormitanum Archiepiscopum sic describit: De David legitur ad commendationem decoris ejus quoniam rufus erat. Vos autem dominum Regem subrufum hactenus extitisse noveritis, nisi quia colorem hunc venerabilis senectus & superveniens canities aliquantulum alteravit. Statura ejus mediocris est, ut nec inter parvos magnus appareat, nec inter majores minimus videatur. Caput ejus sphæricum est tamquam sapientiæ magnæ sedes & alti consilii speciale sacrarium: ea verò est capitis quantitas; ut collo & toti corpori proportionali moderatione respondeat. Oculi ejus orbiculati sunt, dum placati est animi, columbini & simplices; sed in ira & conturbatione cordis quasi scintillantes ignem, & impetu fulminantes. Cæsaries ejus damna calvitii non veretur. Superveniente autem artifici capillorum tonsurâ leonina facies quasi in quadrangulum se dilatat. Eminentia naris ad totius corporis venustatem naturali est moderatione propensa. Arcuati pedes, equestres tibiæ, thorax extensior, lacerti pugiles, virum fortem, agilem & audacem denuntiant. In quodam tamen articulo pedis ejus pars unguis innascitur carni, atque in contumeliam totius pedis vehementer increscit. Manus ejus quadam grossitie sua hominis incuriam protestantur. Earum enim cultum prorsus negligit, nec umquam nisi aves deferat utitur chirothecis.

Gesta illius describit Petrus Blesensis Epist. 66. post initium.

Singulis diebus in Missis, in consiliis, & aliis publicis actionibus regni semper à mane usque ad vesperam stat

Digitized by Google

in pedes. Et licèt tibias habeat frequenti percussione calcitrantium equorum enormiter vulneratas & lividas, nisi cùm equitet aut comedat nunquam sedet. Unâ die si opus est quatuor aut quinque dietas excurrit, & sic inimicorum machinamenta præveniens, malitias eorum frequenter opportuna subtractione * delusit. Ocreis sine plica, pileis sine fastu, & vestibus utitur expeditis. Vehemens amator nemorum, dum cessat à præliis, in avibus & canibus se exercet. Caro siquidem ejus se mole pinguedinis enormiter oneraret, nisi quia ventris insolentiam jejuniis & exercitio domat; atque in ascendendo equum & excurrendo levitatem adolescentiæ servans, potentissimos ad laborem singulis ferè diebus itinerando fatigat. Non enim sicut alii Reges in palatio suo jacet, sed per provincias currens explorat facta omnium, illos potissimè judicans quos constituit Judices aliorum. Nemo est argutior in consilis, in eloquio torrentiór, securior in periculis, in prosperis timidior, constantior in adversis. Quem semel dilexit, vix dediligit; quem verò semel odio habuit, vix in gratiam familiaritatis admittit.

Semper in manibus sunt arcus, enses, venabula & sagittæ, nisi sit in consiliis aut in libris. Quotiens enim potest à curis & sollicitudinibus respirare, secretâ se occupat lectione, aut in cuneo Clericorum aliquem nodum quæstionis laborat evolvere. Nam cùm Rex vester bene *litteras* noverit, Rex noster longè litteratior est. Ego enim in litterali scientia facultates utriusque cognovi. Scitis quòd Rex Siciliæ per annum discipulus meus fuit: & qui à vobis versificatoriæ atque litteratoriæ artis primitias habuerat, per industriam & sollicitudinem meam *beneficium* scientiæ plenioris obtinuit. Quàm citò autem egressus sum regnum, ipse libris abjectis ad otium se contulit palatinum. Verumtamen apud dominum Regem Anglorum quotidiana ejus schola est litteratissimorum conversatio jugis, & discussio quæstionum. Nullus Rege nostro est honestior in loquendo, in comedendo urba-

* *al.* subitatione.

Digitized by Google

» nior, nullus munificentior in eleëmosynis, ideóque
» quasi unguentum effusum est nomen ejus, & *Eleëmosynas*
» *illius narrat omnis Ecclesia Sanctorum.*

» Rex noster pacificus, victoriosus in bellis, glorioſus
» in pace, super omnia desiderabilia hujus mundi zelatur
Quæ in parenthesi videntur desunt in editionibus. » & procurat pacem populi sui. (Ad pacem populi perti-
» net quicquid cogitat, quicquid loquitur, quicquid agit:
» ut quiescat populus suus, labores anxios & enormes in-
» cessanter assumit. Ad pacem populi spectat quòd Concilia
» vocat, quòd firmat fœdera, quòd amicitias jungit, &
» superbos humiliat, quòd prælia minatur, quòd Principibus
» terrores immittit). Ad pacem populi spectat immensitas
» illa pecuniarum quam donat, quam recipit, quam congre-
» gat, quam dispergit. In muris, in propugnaculis, in muni-
» tionibus, in fossatis, in clausuris ferarum & piscium, & in
» palatiorum ædificiis nullus subtilior, nullúsque magnifi-
» centior invenitur. Pater ejus potentissimus Comes & nobi-
» lissimus fines suos amplissimè dilatavit; sed iste patris fa-
» cultatibus superaddens in fortitudine manus suæ Ducatum
» Normanniæ, Ducatum Aquitaniæ, Ducatum Britanniæ,
» Regnum Angliæ, Regnum Scotiæ, Regnum Hiberniæ,
» Regnum Walliæ, paternæ magnificentiæ titulos inęsti-
» mabiliter ampliavit.

» Nullus mansuetior est afflictis, nullus affabilior pau-
» peribus, nullus importabilior est superbis. Quâdam
» enim divinitatis imagine semper ambivit opprimere fa-
» stuosos, oppressos erigere, & adversus superbiæ tumo-
» rem continuas persecutiones & exitiales molestias susci-
» tare. Cùm autem juxta regni consuetudinem in electio-
» nibus faciendis potissimas & potentissimas habeat partes,
» habuit semper manus ab omni venalitate innoxias &
» immunes. Has & alias tam animi quàm corporis sui dotes
» quibus ipsum natura egregiè præ ceteris insignivit tango
» summotenus, non describo. Meam enim profiteor in-
Hucusque Petrus Blesensis. » sufficientiam, crederémque sub tanta sudare materia
» Tullium aut Maronem.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

Adeptus itaque HENRICUS iſte qui ſecundus dicitur Regnum, mores & actus Henrici Regis primi avi ſui ferè in omnibus ſequebatur. LUDOVICUS Francorum Rex Conſtantiam Hiſpaniæ Imperatoris filiam uxorem accepit.

MCLV.	HADRIANI IV. I.	FREDERICI I III.	LUDOVVICI VII. XVIII.	HENRICI II. I.

HENRICUS Rex Angliæ cœpit in jus proprium revocare urbes & caſtella villáſque quæ ad Regis dominica pertinebant, caſtella noviter facta deſtruendo, & Flandrenſes expellendo de Regno qui magnam partem ejus occupaverant, quorum nonnullos ad Marchiam tranſtulit Walliæ occidentalis, depoſuit & quoſdam imaginarios & pſeudo-Comites, quibus Rex Stephanus omnia pæne ad fiſcum pertinentia diſtribuerat minus cautè.

Quintodecimo Kal. Martii, terræ motu horribili facto in Burgundia abſorptum eſt Caſtellum quoddam juxta Cluniacum, & locus Caſtelli repletus eſt aquâ inæſtimabilis profunditatis.

HENRICUS Anglorum Rex exheredavit Willelmum Peverel de Notyngham causâ veneficii quod fuerat propinatum Ranulfo Comiti Ceſtriæ. Quarto verò Idus Aprilis fecit Rex Optimates Anglicani Regni jurare fidelitatem Willelmo filio ſuo apud Wallingeforde: & ſi puer inmaturâ morte in fata decederet, HENRICO fratri ſuo, qui pridie Kal. Martii natus fuerat anno iſto. HUGO de Mortuo-mari cùm caſtra ſua muniſſet contra Regem, Rex ea obſidens, caſtrum quod Cleuburi dicitur, poſt aliquantulum temporis captum deſtruxit. Idem Hugo citò pòſt pacificatus eſt cum Rege, redditis eidem caſtris de Wigemore & de Bruges. Sopita eſt etiam diſcordia, quæ ſuborta fuerat inter Regem & ROGERUM filium Milonis de Glovernia Comitem Herfordiæ propter turrim Gloverniæ. Quo mortuo, ſucceſſit ei WATERUS frater ejus in paterna hereditate tantùm, Rege

Optimates Angliæ fidelitatem filiis Henrici Regis præſtant.

Digitized by Google

comitatum Herfordiæ & urbem Gloverniæ in manu propria retinente.

Imperialem benedictionem Frederico impertit Papa.

FREDERICUS Rex Almanniæ Romam veniens renitentibus Romanis à Papa Adriano Imperialem benedictionem obtinuit. Dum verò ad ſtationem ſuam quæ erat in prato Neronis exiviſſet, Romani armatâ manu familiam ſequentes, in porta ſancti Angeli crudeliter invaſerunt, uſque ad Imperatoris tentorium proſequendo. Sed invaleſcente clamore Teutonici adunati Romanos atrociter repulerunt. Adeò quòd proſtratis multis & captivatis, vix captivi magnis domini Papæ precibus reſtituerentur. Cùm verò Imperator propoſuiſſet tranſire in Apuliam, ut regnum Apuliæ Regémque ejus WILLELMUM peſſumdaret, mutatâ ſubitò voluntate in propria eſt reverſus. Nec tamen Regi WILLELMO bellum defuit, ROBERTO Comite de Baſevilla cognato ſuo per totum regnum graviter debacchante.

Epiſtola Adriani Papæ Henrico Regi Anglorum.

» ADRIANUS ſervus ſervorum Dei. Cariſſimo in Chriſto
» filio illuſtri Regi Angliæ HENRICO ſalutem & Apo-
» ſtolicam benedictionem. Laudabiliter & ſatis fructuosè
» de glorioſo nomine in terris, & æternæ felicitatis præmio
» in cælis tua magnificentia cogitat, dum ad dilatandos
» Eccleſiæ terminos, ad declarandam in doctis & rudibus
» Chriſtianæ fidei veritatem, & vitiorum plantaria de agro
» Dominico exſtirpanda ſicut Catholicus Princeps inten-
» dis; & ad id convenientiùs exſequendum conſilium Apo-
» ſtolicæ ſedis exigis & favorem. In quo facto quantò altio-
» ri conſilio & majori diſcretione procedis, tantò felicio-
» rem progreſſum te præſente Domino confidimus habi-
» turum. Eò quòd ad bonum exitum ſemper & finem va-
» leant pertingere, quæ de ardore fidei & religionis amore
» principium acceperunt.

Hiberniam conquirere cupit Rex

» Sanè Hiberniam & omnes Inſulas, quibus ſol juſtitiæ
» Chriſtus illuxit, & documenta fidei Chriſtianę percepe-
» runt, ad jus beati Petri Apoſtoli & ſacro-ſanctæ Roma-

Digitized by Google

næ Eccleſiæ, quod tua nobilitas recognoſcit, non eſt dubium pertinere. Unde tantò in eis libentiùs plantationem fidei verę & germen Deo gratum inſerimus, quantò nobis in noſtro examine diſtrictiùs proſpicimus exigendum. Significaſti ſiquidem nobis, fili in Chriſto Cariſſime, te Hiberniæ Inſulam, ad ſubdendum illum populum legibus, & vitiorum plantaria inde exſtirpanda velle intrare, & de ſingulis domibus annuatim unius denarii beato Petro velle ſolvere penſionem, & jura Eccleſiarum illius terræ illibata & integra conſervare. « ut in eo floreat Religio Chriſtiana.

Nos itaque pium & laudabile deſiderium favore cõgruo proſequentes, & petitioni tuæ benignè impendẽtes aſſenſum, gratum & acceptum habemus, ut pro dilatandis Eccleſiæ terminis, pro vitiorum reſtringenda parte, & corrigendis moribus, & virtutibus inſerendis, & pro Chriſtianæ religionis augmento Inſulam illam ingrediens ea quę ad honorem Dei & ſalutem illius ſpectaverint exſequaris, & illius terrę populus honorificè te ſuſcipiat, & ſicut dominum veneretur, jure nimirum Eccleſiarũ illibato & integro permanente, & ſalvâ beato Petro Apoſtolo & ſacro-ſanctę Eccleſiæ Romanæ de ſingulis domibus annuatim unius denarii penſione. Si ergo quod animo concepiſti, affectu duxeris proſequente cõplendum, ſtude gentem illã bonis moribus informare, & cogites tam per te quàm per illos quos ad hoc fide, verbo idoneos & vitâ eſſe proſpexeris, ut decoretur ibi Eccleſia, plantetur, & creſcat fidei Chriſtianæ religio, & quæ ad honorem Dei & ſalutem pertinent animarum taliter ordinentur, ut à Deo ſempiternæ mercedis fructum conſequi merearis, vel in terris glorioſum nomen valeas in ſæcula obtinere.

Rex igitur HENRICUS circa feſtum ſancti Michaëlis habito Wintoniæ parliamento, de conquirenda Hibernia cum ſuis Optimatibus tractavit. Quod quia matri ejus Imperatrici non placuit, ad tempus aliud dilata eſt illa expeditio. HENRICUS Wintonienſis Epiſcopus, germanus quondam Regis Stephani, præmiſſo latenter

Digitized by Google

thesauro suo per Abbatem Cluniacensem, absque Regis licentia ab Anglia clam discessit ; propter quod Rex Henricus pessumdedit omnia castra ejus.

MCLVI. | HADRIANI IV. II. | FREDERICII I. IV. | LUDOVICI VII. XIX. | HENRICI II. II.

REX HENRICUS in Normanniam transfretavit, ad quem cùm esset Rothomagi, venit TERRICUS Comes Flandriæ cum uxore sua Regis amita, ut eidem GALFRIDUM Fratrem suum, qui & tunc illuc advenerat, reconciliarent. Sed Galfrido non suscipiente quæ offerebantur à Rege, negotio infecto ab invicem discesserunt.

Hoc anno factâ inundatione Tyberis non modicâ Romæ, in quadam insula ejusdem fluminis, in Ecclesiola antiqua inventum est in quodam sarcophago corpus beati Bartholomæi Apostoli totum, excepto corio integrum, quod Beneventi dicitur remansisse, quando Imperator OTTO secundus captâ eadem civitate corpus prædicti Apostoli transtulit Romam, sicut duæ tabulæ æreæ demonstrant scriptæ litteris græcis & latinis, quæ repertæ cum eodem corpore fuerant. Repertum est etiam in eadem Ecclesia corpus beati Paulini Nolani Episcopi.

GALFRIDUS germanus Regis Angliæ Comite Britanniæ HOELO expulso, cepit consentientibus civibus Nanneticam civitatem. WILLELMUS Rex Siciliæ civitatem Barum funditus evertit, præter Ecclesiam sancti Nicolai, quia cives illius faventes Græcis, nequiter conspiraverunt contra ipsum, Græcos etiam terrâ & mari superans, civitates & castella quæ perdiderat in jus proprium revocavit. Exheredavit etiam Comitem ROBERTUM de Basevilla cognatum suum, quia ab ipso Græcis favendo desciverat. Reconciliatur etiam Papæ Adriano, qui ipsum tanquam rebellem Ecclesiæ excommunicaverat, faciendo eidem Papæ homagium, & ab ipso suscipiens terram suam.

In

Digitized by Google

In Pago Parisiacensi Capa Salvatoris nostri in Monasterio Argentolii revelatione divinâ reperta est, inconsutilis & subrufi coloris, quam gloriosa mater ejus fecit ei cùm adhuc puer esset, prout repertæ cum ea litteræ indicabant. Tunica Salvatoris reperta in Monasterio Argentolii.

Obiit WILLELMUS Regis primogenitus, & Redingiæ est sepultus. HENRICUS Rex cepit post longam obsidionem castra Mirabellum & Chinonem, quæ Galfridus frater ejus tenuerat. Reformatâ verò pace inter Regem & Galfridum, ità quòd Rex annuatim eidem daret mille libras Anglicanæ monetæ & duo millia librarum Andegavensium, castrum tertium ei redditum est Lobdunum. Circa medium mensis Augusti cœperunt fieri pluviæ insolitæ, quæ impediebant collectionem messium, & subsequenter seminum sparsionem, quarum inundationibus quia diu durabant, multæ turres & Ecclesiæ antiquæ materiæ in Normannia & Anglia corruerunt. Guillelmus Regis primogenitus moritur.

FREDERICUS Imperator duxit filiam Willelmi Matisconensis, accipiens cum ea urbem Vesentionem & multas alias civitates. CONANUS Comes Richemundiæ de Anglia in Britanniam veniens, cepit urbem Redonensem, expulso EUDONE qui nutritus suus erat, quem non multò pòst tota ferè Britannia in suum Ducem admisit. Obiit ADALULFUS Episcopus primus Carleoli. Imperator uxorem ducit filiam Comitis Matiscon.

MCLVII. | HADRIANI IV. III. | FREDERICI I. V. | LUDOVICI VII XX. | HENRICI II. III.

REx Siciliæ WILLELMUS navali expeditione cepit per Admiralios suos civitatem Sibillam sitam inter Africam & Babylonem. Est autem eadem civitas caput regni Insulæ Gerp, in quam idem Rex habitatores Christianos immisit, & Archiepiscopum eis præfecit. Sabbato infra Octavas Paschæ in villa quadam pagi Abrincarum, qui est in Normannia, contra meridiem emersit quasi turbo quidam de terra, quæque proxima rapiens & involvens, ad ultimum quasi quædam columna rubei & Civitatem Sibillam captam à Guillelmo Rege Siciliæ inhabitant Christiani.

Digitized by Google

cærulei coloris ſtetit, ſub turbine verò aſcendente in ſublime etiam videbantur audiebantúrque quaſi lanceæ & ſagittæ in ipſa columna configi, quamvis quis agitaret eas minimè appareret. In turbine verò qui ſtabat ſuper columnas, quaſi diverſæ ſpecies volucrum in eodem volitantium videbantur. Subſecuta eſt ilico in eadem villa mortalitas hominum maxima, ac deinde per totam Normanniam regionéſq; proximas eſt graſſata. HENRICUS Rex transfretans in Angliam à MALCOLINO Rege Scotorum recepit civitatem Carlioli, villámque Novicaſtri ſuper Tynam, caſtrúmque Bamburgiæ cum territorio adjacente, & ipſe idem reſtituit Huntingdoniæ Comitatum. WILLELMUS etiam filius Regis Stephani Regi reddidit caſtra de Penveneſie & Northwich, villas & munitiones omnes ad dominica Regis pertinentes; & Rex ei eam terram reſtituit, quam pater ſuus Stephanus tenuit vivente avo ſuo Rege Henrico.

Comes Fland. it Jeroſolymam.

TERRICUS Comes Flandriæ cum uxore ſua iter Jeroſolymitanum arripiens, Philippum filium ſuum cum tota terra in manu Regis Anglorum Henrici dimiſit. Circa feſtum ſancti Johannis Baptiſtæ, Rex præparatâ expeditione Wallenſium inſurgentium tumultum compreſſit, firmavítque in finibus Walliæ duo caſtra, Rovelenc & Baſingwerc, & inter illa conſtruxit Templi Militibus domum unam. Menſe Septembri natus eſt Regi filius, quem RICARDUM vocavit. Hoc anno THOMAS Londonienſis Cancellarius Regis efficitur. Saraceni Hiſpaniam ingreſſi ceperunt Almariam civitatem, fugato Rege ALFONSO quinto, qui citò poſt obiit ex fugæ ſuæ verecundia & dolore. Eodem anno ruptis induciis quæ erant inter Baldewinum Regem Jeruſalem & Regem Halapiæ propter prædam quam Rex BALDEWINUS à Saracenis ceperat inconſultè, obſeſſa eſt civitas Abelina, quæ olim dicta fuit Cæſarea Philippi, & à Saracenis capta & deſtructa totaliter præter ejus munitionem principalem. Rex Baldewinus inſidiis circumventus vix evaſit, illatáque eſt ſtrages maxima Chriſtianis.

Filius Ricardus Regi naſcitur.

Thomas fit Cancellarius.

Digitized by Google

An. Dom.	Papæ	Imp.	Franc.	Angl.
MCLVIII.	HADRIANI IV. IV.	FREDERICI I. III. VI.	LUDOV. VII. XXI.	HENRICI II. IV.

FREDERICUS Imperator Alpes post Pascha transiens, obsedit Mediolanum, & post longam obsidionem redditâ urbe acceptísque obsidibus, dispósuit ad oppressionem WILLELMI Regis procedere, prout ipse & EMMANUEL Imperator Constantinopolitanus inter se condixerant. Mortuo Galfrido fratre Regis Angliæ, qui Comes Nannetensis erat, CONANUS Dux Britanniæ civitatem Nanneticam occupavit. Mediolanum capit Imperator.

HENRICUS Rex Anglorum mense Augusto transfretavit in Normanniam, collocutúsque est cum Rege Francorum super fluvium Etham de pace & matrimonio contrahendo inter filium suum HENRICUM & MARGARETAM filiam Regis Francorum, præstitísque hinc inde super hoc sacramentis, Rex Angliæ venit Argentomagum, ubi convocans exercitum, dispósuit invadere Conanum Ducem Britanniæ, pro invasione Nanneticæ civitatis. Interim verò per Regem Francorum evocatus, cum paucis venit Parisius, & inæstimabili honore à Rege LODOWICO & CONSTANTIA Regina regníque Proceribus est exceptus. Rediens autem, filiam Regis Francorum secum duxit, Robertóque de Novoburgo viro nobili & fideli tradidit nutriendam. Mense verò Septembri nono Kal. Octobris natus est Regi filius, quem vocavit GALFRIDUM. In festo verò Michaëlis sequentis, veniens CONANUS ad Regem Angliæ apud Abrincas existentem, reddidit ei civitatem Nanneticam, & totum pariter Comitatum. Rex Henricus receptâ urbe Nannetensi castrum Toarci obsedit & cepit. Post aliquantulum verò temporis perrexit obviam Lodowico Regi Francorum venienti orationis gratiâ ad Montem S. Michaëlis de periculo maris: quem deducens & reducens, quamdiu erat infra Ducatum Normanniæ impensis propriis procuravit. Tractant Reges Franciæ & Angliæ de matrimonio filii & filiæ eorum ineundo.

Mense Decembri THEOBALDUS Comes Blesensis concordatus est cum Rege Henrico, redditis ei duobus castris, Ambazia scilicet & Fractavalle. ROTROCUS etiam.

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGL.

Comes Perticensis reddidit eidem Regi duo castra, scilicet Molinac & Boun, quæ pater ejus tempore Regis Stephani occupaverat, & ad dominica Ducis Normanniæ pertinebant. Rex autem Henricus eidem Rotroco concessit castrum Belismum, recipiens pro eo homagium ab eodem.

Inventa tria Magorum corpora.

Hoc anno inventa sunt tria Magorum corpora in quadam veteri Capella juxta urbem Mediolanum, & in civitate reposita. BALDEWINUS Rex Jerusalem Cæsaream Palæstinæ haud procul sitam ab Antiochia cepit, & castrum quod vocatur Harenc. In partibus Saxoniæ

Elizabeth Sanctimonialis.

sanctimonialis quædam ELIZABETH mirabiles visiones de Conceptione, Nativitate & Assumptione Beatæ Virginis vidit, & de gloria undecim millium Virginum.

MCLIX.	HADRIANI IV. V.	FREDERICI I. IV. VII.	LUDOVICI VII. XXII.	HENRICI II. V.

Amicitiam inierunt Rex Angliæ & Comes Barchinonæ.

HENRICUS Rex Angliæ & Raimundus Comes Barchinonæ apud castrum Blaviam amicitię fœdus inierunt: hoc pacto, quòd RICARDUS filius Regis filiam ejusdem Raimundi duceret tempore opportuno, & Rex Angliæ eidem Ricardo concederet Ducatum Aquitaniæ & Pictaviæ Comitatum. Duxerat hic Raimundus filiam & heredem Regis Aragoniæ. Nam ut altiùs repetamus; SANCTIUS Rex Aragonum tres habuit filios, qui sibi successerunt vicissim in regno, videlicet Sanctionem, Anforcium & Romelium*. Primis duobus decedentibus sine liberis, Romelius qui Monachus fuerat, de monasterio extractus, & Rex factus, duxit uxorem MATHILDEM matrem WILLELMI Comitis Toarti, ex qua filiam unicam genuit, uxorem præfati Raimundi, de qua ipse filium genuit, qui postea fuit Rex Aragonum, & filiam nomine BERENGARIAM, quam fuerat ducturus filius Regis RICARDUS.

Idest, * Alfonsum & Ramirum.

Romelius ex Monacho Rex factus.

Hoc anno Imperator FREDERICUS urbem Mediola-

Digitized by Google

num quæ rebellaverat iteratò obsedit. Dejecit etiam turres Papiæ & Placentiæ, & sibi Lombardiam omnem subjecit. Rex Angliæ circa mediam Quadragesimam coadunavit exercitum magnum contra RAYMUNDUM Comitem S. Ægidii, pro civitate Tolosana, quam uxori suæ jure hereditario vindicavit. ROBERTUS namque Comes Meritonii frater Willelmi qui Angliam conquisivit, unum filium habuit Willelmum, & tres filias quarum unam duxit Comes Tolosanus, germanus Raymundi Comitis S. Ægidii, & ex ea filiam unicam procreavit, quam postea duxit Willelmus Dux Aquitaniæ, & Comes Pictaviæ, accipiens cum ea hereditatem paternam. Iste autem GUILLEMUS pro pecunia habenda in expeditionem terræ sanctæ, civitatem Tolosam quam cum uxore sua acceperat, impignoravit Raymundo Comiti S. Ægidii patruo uxoris suæ. Quo mortuo, tenuit eamdem civitatem Amfortius* filius ejus, qui S. Ægidii Comes fuit. Willelmus autem Dux Aquitaniæ, qui Tolosam impignoravit, genuit Willelmum ex filia & herede Comitis Tolosani, qui Vuillelmus paternæ & maternæ hereditatis successor, pater erat Alianoræ Reginæ Angliæ, ad quam tanquam heredem debuit hereditas paterna devolvi. Rex igitur Henricus Tolosanam civitatem per avum uxoris suæ invadiatam vindicans, in exercitu magno partes Tolosanas ingressus, civitatem Caturcensem & magnam partem Comitatus Tolosani sibi subjecit. Ad hanc expeditionem venit MALCOLINUS Rex Scotiæ, & ab Henrico Rege Anglorum cingulo militiæ est accinctus. Audiens autem Rex Angliæ Regem Ludowicum civitatem Tolosam munisse, & eam velle pro Raymundo fratrio suo contra Regem Angliæ defendere, obsidionem Tolosæ eâ vice dimisit.

Tolosam quæ uxori suæ competebat, obsedit Rex Angliæ.

* Alfonsus.

Magister PETRUS Lombardus qui Sententiarum librum compilavit, & Psalterium ac Epistolas Pauli glossavit, hoc anno factus est Episcopus Parisiensis. In vigilia S. Bartholomæi obiit ADRIANUS Papa, cùm sedisset

Petrus Lombard. Episc. Paris. est consecratus. Defungitur Adrianus Papa.

Digitized by Google

annis quatuor, menſibus octo & diebus novem, & vacavit ſedes diebus novem: Sepultúſque eſt in Vaticano juxta corpus Eugenii Papæ. Hic caſtrum contra lacum ſanctæ Chriſtinæ & multas poſſeſſiones à Comitibus comparavit. Kal. Septembris ROLANDUS Cancellarius tituli S. Marci Preſbyter Cardinalis, natione Tuſcus, patriâ Senenſis in Papam eligitur, & vocatus eſt Alexander III. Electus eſt ab aliquibus Cardinalibus Octavianus tituli S. Mariæ in Coſmedin Preſbyter Cardinalis, qui ſe vocari fecit Victorem tertium, & poteſtate parentum invaſit Papatum, ſuſcitavítque ſchiſma.

Alexander III. ſuccedit.

Victor III. Antipapa.

TERRICUS Comes Flandriæ rediit de Jeruſalem, cujus uxor invito marito remanſit cum Abbatiſſa S. Lazari in Bethania. Menſe Octobri HENRICUS Rex Angliæ munita civitate Caturcorum & commendata Thomæ Cancellario ſuo, & diſpoſitis cuſtodibus auxiliiſque in locis oportunis, in Normanniam eſt reverſus. Progrediens inde in pagum Belvacenſem villas multas combuſſit, caſtellúmque munitiſſimum Guerberay deſtruxit, exceptâ quâdam firmitate quam ne caperent homines Regis ignis prohibuit atque fumus. SIMON Comes Ebroïcenſis tradidit Henrico Regi Angliæ firmitates ſuas, quas habebat in Francia, videlicet Rupem fortem, Eſperlionem & munitiones alias: quod magno detrimento fuit Regi Francorum, eo quòd non potuit liberè procedere de Pariſius Aurelianis vel Stampis, propter Normannos quos poſuerat Rex Angliæ in cuſtodiis Comitis Ebroïcenſis, propter quod acceptæ ſunt treugæ inter Reges à menſe Decembri uſque ad feſtum Trinitatis anni ſequentis.

Plures urbes & caſtra cepit Henricus Rex Angliæ.

MENSE Maïo reformata eſt pax inter LUDOWICUM Francorum & HENRICUM. Anglorum Reges, revolutis prioribus pactis & confirmatis, pacificatíſque

Fœdera renovant Reges Angliæ & Franc.

Digitized by Google

qui utrorumque partes juverant. MATTHÆUS filius Comitis Flandriæ inaudito exemplo duxit Abbatiſſam de Romeſcia Filiam Stephani quondam Regis Anglorum, & cum ea Bolonienſem habuit Comitatum. Menſe Junii HENRICUS cõadunavit Prælatos Normanniæ apud Novum Mercatum tractaturos de receptione Papæ Alexandri & refutatione Victoris, & reprobato Victore conſenſerunt omnes unanimiter Alexandro. Mortuâ CONSTANTIA Reginâ Franciæ, LUDOWICUS Rex duxit filiam COMITIS Bleſenſis Theobaldi, nec multò pòſt HENRICUS filius Regis Angliæ MARGARETAM Regis Franciæ filiam deſponſavit. Statímque Henricus Rex Anglorum tria caſtella communitiſſima, ſcilicet Giſortium, Neafliam & Novum caſtrum ſita ſuper Etam fluvium in confinio Normanniæ & Franciæ occupavit.. Pepigerant enim inter ſe Reges, quòd iſto matrimonio conſummato, Henricus Rex illas munitiones haberet, quas conſtat ad Ducatum Normanniæ pertinere. Rex tamen Francorum captionem caſtellorum graviter valde tulit. Obſedit etiam caſtrum Calvi montis, quod Comes Bleſenſis cum aliis Regis Francorum fautoribus in nocumentum Regis Angliæ munierat, & capto caſtro cepit in eo milites triginta quinque, & viginti quatuor ſervientes. Munitionem autem ſibi redditam tradidit Henricus Rex HUGONI de Ambazia adverſario Comitis Bleſenſis THEOBALDI, quia in carcere eiuſdem Comitis SULPICIUS ipſius Hugonis pater nequiter fuerat interemptus. Rex autem Henricus munitis turribus Ambaziæ & Fractæ-vallis, diſpoſitíſque cuſtodibus, cum Regina Alianora egit feſtum Natalis Domini Cenomannis. WALTERUS Ceſtrenſis & ROBERTUS Exonienſis vir religioſus & timens Deum, Epiſcopi obierunt. Circa idem tempus beatæ MARIÆ de Rupe amatoris miracula incœperunt.

Alexandrum Papam refutato Victore fatentur Angli.

Rex Franc. filiam Comitis Bleſenſ. ducit uxorem: & Henricus filius Regis Angl. filiam Franci Regis deſponſat.

Digitized by Google

Anni Dom. MCLXI.	Papæ Alexandri III. II.	Imp. Frederici I. VI. IX.	Franc. Ludo. VII. XXIV.	Angl. Henrici II. VII.

REx Anglorum caſtra & manſiones regias ubique per Angliam & alias terras ſuas meliorari fecit, & in locis nonnullis palatia nova conſtruxit. Caſtellum etiam in villa quæ dicitur Amandi-villa ſuper flumine Wyræ firmavit, feriâ ſecundâ Paſchæ obiit Cantuarienſis Archiepiſcopus Theobaldus. Poſt Paſcha verò Ludowicus Francorum & Henricus Anglorum Reges concitante eos ad diſcordiam Theobaldo Comite Bleſenſi, coadunatis exercitibus cùm primò in Wulcaſino poſtea in Dunenſi pago eſſent in procinctu congrediendi cominus, tandem acceptis induciis ad propria diſceſſerunt. Poſt feſtum verò S. Johannis Baptiſtæ Rex Henricus in Aquitaniam pergens, caſtrum munitiſſimum Caſtellionem juxta urbem Agenni ſitum obſedit, & mirantibus Vaſconibus infra ſeptimanam ad redditionem cõegit. Obiit Magiſter Petrus Pariſienſis Epiſcopus, & apud S. Marcellum juxta Pariſius ſepelitur. Bartolomæus Exonienſis, & Ricardus Ceſtrenſis Archidiaconi, Epiſcopi in Eccleſiis ſuis fiunt.

MCLXII.	Alexandri III. III.	Frederici I. VII. X.	Ludovici VII. XXV.	Henrici II. VIII.

GAlfridus de Meduana reddit Henrico Regi Anglorum tria caſtella, quæ pater ejus tenuerat poſt mortem Henrici primi quondam Regis Angliæ, ſcilicet Goram, Amberias, & Novum-caſtrum ſuper fluvium Colunc. Comes Robertus de Baſevilla adverſus Willelmum Siciliæ Regem rebellans in Apulia multos habens cõadjutores, majorem partem maritimarum ſibi conciliat civitatum. Imperator Fredericus civitatem Mediolanum quam triennio obſederat, neceſſitate famis afflictam cepit & reſervatis Matrice Eccleſiâ aliiſque quibuſdam, deſtruxit. Diſcordiâ inter Imperatorem & Alexandrum Papam durante propter ſchiſma Octaviani, quem Fredericus fovens ſecum habebat: Alexander Papa de

Diſcordia inter Papam & Imperatorem.

Regibus

Digitized by Google

Regibus Francorum & Anglorum confidens, marinâ expeditione ad Ciſmontanos circa Paſcha pervenit, & apud Peſſulanum montem in Provincia honorificentiâ debitâ eſt ſuſceptus. Ciſmontani & maximè Aquitani mortalitate affliguntur & fame. RAINALDUS de Caſtellione Princeps Antiochiæ dum incautè terras Agarenorum intrat, captus eſt ab eis, multis de his qui cum eo erant occiſis. Privignus etiam Raynaldi Boamundus tertius fit Princeps Antiochiæ, vitrico ſuo adhuc in captivitate detento.

THOMAS Regis Anglorum Cancellarius fit Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui poſt ſuſceptum paſtoris officium ſuper humanam æſtimationem factus eſt Deo devotus. Conſecratus enim cilicium clam induit, femoralibus etiam uſus eſt uſque ad poplites cilicinis, & ſub veſtis clericalis honeſtate habitum celans Monachalem, Deo ſtuduit omnium virtutum exercitio placere. Menſe Julio in Britannia majori ſcilicet in Retello pluit ſanguis, & de rivis cujuſdam fontis ibidem effluxit.

Thomas Cancellarius in Archiepiſcopum Cantuarienſem electus.

WILLELMUS Rex Siciliæ tranſiens de Sicilia in Apuliam cum magno exercitu, fugato Comite Roberto de Baſevilla cum complicibus ſuis, civitates quæ à ſe defecerant recuperat & caſtella. FREDERICUS Imperator & LUDOWICUS Francorum Rex cùm debuiſſent juxta flumen Sagonam convenire de pace tractaturi, repentè mutato animo propter ſchiſma Octaviani cujus partes fovebat Imperator, infecto negotio ad propria redierunt. Exinde parvo temporis ſpatio interjecto LUDOWICUS Francorum & HENRICUS Anglorum Reges ſuper Ligerim apud Toratum* convenientes, ALEXANDRUM Papam Romanum honore congruo ſuſceperunt, & uſi ſtratoris officio pedites dextrâ lævâque frænum equi ipſius tenentes, eum uſque ad papilionem proprium deduxerunt. Quo mediante, favente Deo, inter Reges pax & concordia reformatur. Hoc anno HENRICUS filius Regis Anglorum ſeptennis priùs in Normannia & poſtea in Anglia homagia & fidelitates Baronum Militúmque

* Toratum. Quanto cum honore Summum Pontificem exceperunt Reges Franciæ & Angliæ.

Digitized by Google

suscepit. WILLELMUS Dalfinus & Forojulienſis Comites fraude civitatem Lugdunenſem Archiepiſcopo abſtulerunt, quam cùm idem Archiepiſcopus per Regem Francorum rehabere non poſſet, ad Imperatorem ſe tranſtulit, qui eidem prædictam civitatem reſtituit. Et extunc Archiepiſcopus civitatem de Imperatore tenuit, quamvis citra Rodanum ſita, videatur ad Regem Franciæ pertinere.

Ablatam Lugdunenſem civitatem Archiepiſcopo reſtituit Imperator.

MENSE Januario HENRICUS Rex in Angliam transfretavit. ROBERTUS de Monteforti, & HENRICUS de Eſſexia duello decertârunt pro fuga prælii contra Gualenſes, in quo idem Henricus deficiens exheredatus eſt, & Radingiæ in Monachum tonſoratus. Walenſes Regi pro libitu ſubjunguntur. MALCOLINUS Scotorum Rex fecit homagium Henrico Regis Angliæ filio, & dedit Regi obſides, ſcilicet David fratrem ſuum minorem, & quoſdam de filiis Baronum ſuorum pro pace tenenda, & de caſtellis ſuis quæ Rex volebat habere. Menſe Martio obiit Rex Jeruſalem BALDEWINUS tertius, & ſucceſſit ALMARICUS germanus ejuſdem. Huic Baldevuino à ſuperna clementia conceſſum erat, ut Aſcalonem caperet, & Agarenos expelleret, & divino ſervitio manciparet: quod nulli umquam Regum antiquorum fuit permiſſum.

Almaricus ſuccedit Balduino Regi Jeroſol.

In octava Pentecoſtes ALEXANDER Papa Turonis Concilium tenuit, in quo excommunicavit Octavianum cum aliis ſchiſmaticis & complicibus ſuis. In illo Concilio duo Epiſcopi, quorum unum conſecraverat Teraconenſis Archiepiſcopus Metropolitanus ejus, alium Archiepiſcopus Toletanus, totius Hiſpaniæ Primas, de Pampilone Eccleſia ſunt expulſi, ad cujus titulum ambo fuerant conſecrati, & tertio ſubrogato, conceſſum eſt eis, ut ſi vacantes Eccleſiæ eos vocarent, earum fierent Præſules. Mortuo RICARDO Epiſcopo Londonienſi, GILBERTUS

Conc. Turonenſe Alexandro Papâ præſideate.

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

Herfordenſis Epiſcopus ad eandem ſedem transfertur, & ſucceſſit ei in ſedem Herfordenſem Magiſter ROBERTUS de Maledonia Anglicus natione. Defuncto etiam JOHANNE Wigornienſi, electus eſt in loco ejus & confirmatus ROGERUS Comitis Gloverniæ filius.

MCLXIV.	ALEXANDRI III V.	FREDERICI I. IX. XII.	LUDOVICI VII. XXVII.	HENRICI II. X.

TERRICUS Comes Flandrenſis vadit Jeruſalem tertiò, & filius ejus primogenitus PHILIPPUS ei ſuccedens, duxit filiam RADULFI Comitis Viromandenſis, cum qua defuncto patre & fratre elephantiâ percuſſo, duos ſcilicet Viromandenſem & Montis-deſiderii obtinuit Comitatus.

Philippus Flandriæ Comes cum filia Comitis Viromand. conjugio copulatur.

RAINALDUS Colonienſis electus, Frederici Imperatoris Cancellarius, trium Magorum corpora de Mediolano Coloniam tranſtulit. Quorum corpora integra exteriùs quantum ad cutem & capillos apparent. Quantúmque ex eorum adſpectu conjici poteſt, unus annorum quindecim, alius triginta, tertius ſexaginta eſſe videtur. Beatus autem EUSTORGIUS dono cujuſdam Imperatoris de Conſtantinopoli ad Mediolanum tranſtulerat, cum quadam menſa ſuperpoſita erant in quodam vehiculo parvo, quod duæ vaccæ divinâ virtute & voluntate trahebant. Tranſtulit etiam præfatus Rainaldus exinde corpora beatæ Valerię Martyris, ſanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii, & caput Naboris Martyris.

Trium Magorum corpora inventa.

HENRICUS Anglorum Rex Eccleſiam beatæ MARIÆ de Redinga dedicari fecit, & Conventum Monachorum ſollemniter procuravit, datâ eidem Eccleſiæ dote non parvâ. HAMELINUS frater naturalis Regis Henrici duxit Comitiſſam de Varenna, relictam Willelmi quondam Comitis Meritonii filii Regis Stephani. Hanc Comitiſſam genuerat Willelmus tertius Comes de Varenna, qui cum Rege Lodowico perrexerat Jeruſalem, & ibidem obiit, relictâ iſtâ Comitiſſâ unicâ filiâ & herede. OCTA-

Digitized by Google

VIANUS ſchiſmaticus apud Lucam civitatem obiit, cui in eodem errore ſucceſſit Guido Tremenſis, dictus Paſchalis tertius.

Comes Carnotenſis THEOBALDUS duxit filiam Ludowici Regis Francorum, & ideò conceſſit ei Rex Dapiferatum Franciæ, quem Comites Andegavenſes antiquitus habere ſolebant. Poſtquàm FREDERICUS Imperator Lumbardiam ſibi ſubdiderat, fiſcúmque regium in eodem regno ad quinquaginta milia marcarum reparaſſet, & tam indigenis quàm peregrinis pacem ibidem reformaſſet, iterum Verona & civitates quædam aliæ contra eum incipiunt rebellare. Gualenſes à fide regia deſciſcẽtes terras proximas latrociniis infeſtabant, agente Principe eorum Reſo cum ſuo avunculo Oweno vocato. Defuncto Waltero Giffard Comite de Boxyngham ſine herede, in manum regiam devolvitur Comitatus. AMALRICUS Rex Jeruſalem conductus ab Amiralio Babylonico, cum exercitu in adjutorium ejus perrexit, & captâ civitate Barbaſtâ quam Salegori Seneſcallus Noradini fraude ceperat, multi liberantur captivi, tributum ejuſdem Amiralii duplicatur. Sed dum hæc aguntur, Noradinus cepit caſtrum Harenc, quod Chriſtianorum fuerat, & cepit etiam Boamundum juniorem Antiochiæ Principem, & multis interfectis à Saracenis pervaſum caſtrum, quod dicitur Abelina.

Thomas Cantuar. Archiepiſc. in Galliam transfretavit.

Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus jura Eccleſiæ quæ publica poteſtas uſurpaverat, in ſtatum conatus eſt debitum revocare, propter quod innumeris laceſſitus eſt injuriis. Tandem autem ſibi morte intemptatâ cedendum cenſuit eſſe malitiæ, ſpontaneúmque ſubiens exſilium à domino Papa Alexandro Senonis honorificè ſuſceptus eſt, & in Monaſterio Pontiniacenſi ſtudiosè commendatus.

Digitized by Google

Anni Domini	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCLXV.	Alexand. III VI.	Erederici I. X. XIII	Ludovici VII. XXVIII.	Henrici II. XI.

HENRICUS Rex Angliæ tempore Quadrageſimali transfretavit Normanniam, progrediénſque uſque Giſortium in Octavis Paſchæ, cum Rege Franciæ contulit de diverſis. Quo reverſo in Normanniam, venerunt Nuntii Imperatoris ad Regem petẽtes unam filiarum Regis filii ſui ad opus, & aliam ad opus Henrici Ducis Saxoniæ. Annuit petitionibus Rex pactionéſque ſuper his hinc inde ſacramentis præſtitis confirmantur. Regina ALIANORA evocata à Rege venit in Normanniam, adducens ſecum filium ſuum Richardum, filiámque Mathildem. Henricus Rex remanente Reginâ in Normannia, in Angliam tranſiens cum multo apparatu bellico Wallenſes inſurgentes repreſſit.

Duæ filiæ Regis Angliæ filiæ deſponſantur, Imperatori una, Duci Saxoniæ altera.

Alexander Papa relinquens Senonem, ubi jam duobus fuerat annis, ad Montem Peſſullanum contendit, indéque navali expeditione perrexit ad terram Regis Siciliæ Willelmi, cui nec in mari per piratas Imperatoris inſidiæ defuerunt. Ludowico Francorum Regi filius naſcitur menſe Auguſto PHILIPPUS vocatus. Moritur MALCOLINUS Scotorum Rex juvenis religioſæ indolis, cui ſucceſſit WILLELMUS germanus ejuſdem.

HENRICUS Rex Angliæ directis comminatoriis litteris ad Ciſtercienſe Capitulum, beatum Thomam à Pontiniaco exturbare curavit. Ipſe verò timens viris ſanctis, ſponte receſſit. Sed antequàm inde progrederetur, confortatus eſt oſtenſo ſibi cælitus indicio, quòd ad Eccleſiam ſuam rediturus eſſet cum gloria, & per martyrii palmam migraturus ad Dominum. Tranſivit igitur ad ſanctam Columbam, Rege Francorum eum humaniter tractante, & in neceſſariis exhibente, cui etiam ſucceſſoribúſque ſuis in Eccleſia Lugdunenſi præbendam perpetuam aſſignavit.

Digitized by Google

Anni Domini	Papæ	Imp.	Franc.	Angl.
MCLXVI.	Alexandri III. VII.	Frederici I. XI. XIV.	Ludovici VII. XXIX.	Henrici II. XII.

Reges Franc. & Angl. pecunias colligi jubent in subsidium Christianorum Terræ sanctæ.

Henricus Anglorum Rex dispositis rebus in Anglia, munitisque confinibus Walliæ, Quadragesimali tempore in Normanniam transfretavit. Audito etiam quòd Rex Francorum statuisset de thesauris suis & reditibus, similiter & hominum omnium tam Clericorum quàm Laïcorum, qui in sua ditione erant, singulis annis usque ad quinquennium de singulis viginti solidis singulos denarios mittere usque Jerusalem ad defensionem Christianitatis: Rex Anglorum magnanimus in tota potestate sua idem statuit, censum duplicans primo anno. Obiit Willelmus Rex Siciliæ, cujus filius ei Willelmus successit. Willelmus Talvatius Comes Sagiensis de assensu filiorum atque nepotum Regi Henrico reddidit castra Alemcem * & Rothrum Labarie cum omnibus quæ pertinent ad ipsa castella. Quia verò Optimates Comitatus Cenomannici & Britanniæ regionis antequàm Rex transfretaret minùs obtemperaverant præceptis Reginæ, proponentes ut dicebatur rebellare: Rex ad libitum suum eos & eorum castella tractavit, & adunato exercitu obsedit castrum Fulgeriarum, & cepit funditúsque delevit, pacto deinde connubio inter Galfridum filium suum & Constantiam unicam filiam Conani Comitis Britanniæ, excepto Comitatu Guniguamp, qui sibi acciderat per Comitem Stephanum avum suum. Rex verò Britanniam ingressus, perambulavit terram, considerans civitates, urbes & castella, recipiénsque homagium fidelitatésque Baronum & Militum. Obiit Robertus Episcopus Bathonienſis.

* *Alençon.*

Britannia *sive* Armorica Regi Angliæ subjicitur.

MCLXVII.	Alexandri III. VIII.	Frederici I XII. XV.	Ludovici VII. XXX.	Henrici II. XIII.

Henricus filius Regis Anglorum de Anglia profectus, ad patrem venit Pictavis commorantem. Pater verò post Pascha cum exercitu Alvernensem pagum ingressus, vastavit terras Willelmi Comitis Alver-

Digitized by Google

niæ, quia datâ fide quòd staret justitiæ Regis Anglorum, super eo quòd nepotem suum Comitem juniorem exhereditaverat, postea irritâ fide ad Regem Francorum se transtulerat, discordiam seminans inter Reges, quam auxit vindicatio pecuniæ deferendæ Jerusalem collectæ in Turonia. Volebat enim Rex Francorum eam per suos mittere, quia Ecclesia Turonensis sua erat, favitque in hoc Regi Francorum Archiepiscopus Jocius. Rex Anglorum volebat eam mittere per suos, tanquam in suo Comitatu collectam.

Discordia inter Reges Franc. & Angliæ.

Amalricus Rex Jerusalem evocatus ab Amiralio Babyloniæ cui confœderatus erat, obsedit cum eo Alexandriam, quæ caput est Ægypti, & captam reddidit Amiralio, recipiens ab eodem præter annuum tributum quinquaginta milia bisantiorum, præter quinquaginta septem milia quæ priùs de Babylone recepit. Circa Pentecostem Fredericus Imperator missis exercitibus suis multos Romanorum occidit, à quibus similia passus est. Circa mensem Julium Leoninam obsedit & cepit, porticúmque & alia nonnulla juxta Ecclesiam beati Petri destruxit; Antipapam etiam Guidonem Romam adduxit, & per manum ejus fecit uxorem suam Imperatricem sollemniter coronari; nec defuit ultio divina quâ grassante mortalitate feruntur mortui de exercitu ejus xxv. milia. Inter quos fuerunt consobrinus Imp. Carolus filius Conradi Imperatoris & Rainaldus Colonienſis Archiepisc. cujus, ut dicebatur, consilio mala plurima faciebat. Civitates Lumbardiæ Mediolanum reædificantes ab Imperatore deficiunt omnes, Papiâ & Vercellis exceptis.

Romani ab Imperatore multa patiuntur.

Antipapa Guido Romæ coronam Imperatrici imponit.

In Octavis Pentecostes Francorum & Anglorum Reges convenientes in Wlcasino cœperunt de pace tractare, sed nihil proficientes, collectis exercitibus uterque terras alterius devastavit usque ad mensem Augustum, in quo acceptæ sunt inter eos usque ad proximum Pascha treugæ. Deinde Rex Henricus Britanniam ingressus Leonenses sibi subdidit, Cumhumario

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGLIÆ

Vicecomite eorum se submittente, & obsides Regi dante.

Imperatrix Mathild. moritur atque in Monasterio Bec. sepelitur.

MATHILDIS Imperatrix mater Regis Anglorum decessit Rotomagi 4. Idus Sept. Rege Henrico adhuc in Britannia commorante, quæ in Monasterio Beccensi sepulta est, filio ejus plurimos pro ea distribuente thesauros Ecclesiis, Monasteriis, & in usus pauperum diversorum. Fuit Imperatrix multùm Deo devota, plurimáq; in Normannia Monasteria Religiosorum fundavit. Regi Anglorum reconciliatur Jocius Archiepiscopus Turonensis.

Regina Angliæ filium Johannem peperit.

Regina ALIANORA in Angliam transiens, filium peperit quem JOHANNEM vocavit, in vigilia Nativitatis Dominicæ: in qua apparuerunt in Occidente duæ stellæ ignei coloris, una magna & altera parva, primò coujunctæ, sed postmodùm ab invicem longo spatio sunt distinctæ. ROBERTUS Herefordensis & Robertus Lincolniensis obierunt.

MCLXVIII.	ALEXANDRI III. IX.	FREDERICI I. XIII. XVI.	LUDOVICI VII. XXXI.	HENRICI II. XIV.

Duci Saxon. nubit Mathildis filia Regis Angliæ.

HENRICUS Dux Saxoniæ MATILDAM filiam Regis Anglorum, uxorem accepit. Fuit hic Henricus Imperatoris Lotharii filius, qui etiam super Sclavos & Wandalicos tantum terræ adquisivit, ut in tres diœceses quibus tres sunt deputati Episcopi partiretur.

Philippus Comes Fland. Patri succedit.

Obiit TERRICUS Comes Flandriæ, cui filius ejus PHILIPPUS successit qui Comitatum rexerat, dum pater iter Jerusalem frequentabat. In Cenomannia juxta castrum quod Freternay dicitur, fluvius Sartæ equis nisi natando immeabilis, ita siccatus est, ut calceati siccis pedibus possent transire, quod Londoniis de flumine Tamesi tempore Henrici primi Regis Anglorum dicitur accidisse. Terræ motus factus est tertio-decimo Kal. Martii, & globus igneus visus est per aëra discurrere.

Insurgunt in Regem Angl. Comes Engolis. & alii Regi Franc. fœderati.

Comes Engolismensium AYMERICUS de Lizeneyo, Robertus & Hugo frater ejus de Sylleyo, & alii multi Aquitaniorum Pictavensium contra Regem Anglorum insurgentes, rapinis & incendiis incumbebant.

Digitized by Google

bant. Quorum vesaniæ obsistens Rex Henricus, castrum Lizeneyum cepit, & ipsum muniens, villas destruxit & municipia prædictorum. In Octavis autem Paschæ munitis castellis viris militaribus qui ea custodirent, relictis ibi Reginâ & Patricio Saresberiensi Comite, Rex Henricus Normanniam accessit inter Paceyum & Medantum locuturus cum Rege Francorum, & de illatis injuriis conquesturus. Siquidem Pictavenses ad Regem Francorum venerant, & ei obsides dederant, confœderati contra dominum suum Regem Anglorum. Cùm autem hinc inde altercatio fieret, nec Rex Francorum obsides quos acceperat reddere voluisset, datæ sunt induciæ usque ad octavam S. Johannis Baptistæ: circa Octavam verò Paschę Patricius Comes Saresberiensis dolo Pictavensium occisus apud S. Hilarium est sepultus, cui in Comitatu successit filius ejus WILLELMUS.

Britanni etiam conspirantes contra Regem, venire in ejus adjutorium renuerunt, contra quos Rex profectus, à capite incipiens, terras GUIDONIS Vicecomitis de Broërech, castellûmque, quod præcipuum habebat destruxit. Comitatum etiam de Broërech eidem abstulit & civitatem Venetensium, quæ caput ejus honoris est, Rex in manu sua retinuit. Cujus portum Julius Cæsar mirificè extollendo laudat in libro quem de Gallico bello scripsit. Abstulit nihilominus Rex dimidium Cornubiæ eidem Eudoni: obsedit insuper castrum ejus de Abrahi, & captum munivit. Vastata verò terra Eudonis, ad terras OLIVERI & ROLANDI Dinanensis se convertit, eísque depopulatis castra quæ Heddei & Betherlum dicuntur, per obsidionem reddita communivit. In Octavis sancti Iohannis Baptistæ convenientes Reges ad firmitatem Bernardi, cùm cœpissent tractare de pace, infecto negotio ab invicem discesserunt. Multi autem de Britannia & Pictavia Regi Francorum adhæserant, & datis obsidibus ab eodem fidem acceperant, quòd sine ipsis pacem non faceret cum Rege Anglorum.

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

Igitur usque ad Adventum Domini uterque terras alterius infestabat. Obiit GUIDO Antipapa Romæ, & successit ei in schismate quidam Pseudo-Clericus, se faciens Calixtum vocari. Lumbardi ædificaverunt civitatem non longè à Vercellis, quam in honorem Papæ Alexandri vocaverunt Alexandriam.

MCLXIX.	ALEXANDRI III. X.	FREDERICI I. XIV. XVII.	LUDOVICI VII. XXXII.	HENRICI II. XV.

Pacem feriunt Reges Franciæ & Angliæ.

IN Epiphania Domini concordati sunt Francorum Anglorúmque Reges. HENRICUS filius Henrici Angliæ Regis, Regi Francorum fecit homagium pro Andegaviæ Comitatu, & concessit ei Rex, ut esset Senescallus Franciæ, quod ad Andegavensem Comitatum noscitur pertinere. Hanc Senescalliam, vel ut antiquitus dicebatur, Majoratum domûs regiæ ROBERTUS Rex Franciæ dedit GALFRIDO Grisagonella Comiti Andegavensi propter adjutorium quod ei impendit contra Imperatorem Othonem. Dedit etiam quicquid habebatur in Episcopatu Andegavensi. Postea verò cùm GALFRIDUS Perticensis & DAVID Cenomanensis Comites contra eundem Regem Robertum rebellarent, eodem Comite Andegavense adjuvante obsedit Rex castrum Meritonię, quod erat Comitis Perticensis & cepit; & quia David Cenomanensis evocatus ad Regem Franciæ venire contempsit, dedit Rex præfato Comiti Andegavensi homagium illius, & ipsam civitatem, & quidquid habebat in Cenomanensi Episcopatu. HENRICUS etiam filius Regis Anglorum fecit homagium PHILIPPO filio Ludowici Regis Francorum, & GALFRIDUS filius Regis Angliæ, jubente patre, fecit homagium Henrico fratri suo de Ducatu Britanniæ.

Vasconenses domat Angliæ Rex.

Rex HENRICUS in Vasconiam profectus, destructis multis castellis, quæ contra eum munita erant, Comites Engolismensium & de Marchia, multósque alios ad pacem venire coëgit. GALFRIDUS filius Regis Angliæ in

Digitized by Google

Britanniam veniens, Redonis honorificè susceptus, recepit ibidem homagia & fidelitates Baronum & Militum Britannorum. Rex HENRICUS fecit fossata alta & lata inter Franciam & Normanniam ad prædones arcendos. In pago etiam Andegavensi super Ligerim ad arcendam aquam quæ messes perdebat & prata, fecit quædam retinacula, quæ torcias* vocant per triginta miliaria, ædificare faciens mansiones hominum, qui torcias tenerent, quos fecit liberos de exercitu & aliis que pertinebant ad fiscum.

* *Vulgò dicuntur hodiéque* les turcies de la Loire.

Catina civitas Siciliæ terræ motu concussa & prostrata est, ita quòd in ea plurimi perierunt.

Rex HENRICUS pacificatis rebus Vasconiæ, reversus in Normanniam, fecit castrum munitissimum Burgumgrande juxta haiam de Malafee, quod *Beauver* vocatur: fecit & molendina & piscarias Andegavis in flumine Meduanæ. Cùm WILLELMUS Goieth abiisset in itinere Jerosolimitano, & Comes Perticensis vellet occupare Montem mirabilem & alias firmitates ejusdem Willelmi, & HENRICUS de Iven qui de eisdem firmitatibus saisitus fuerat, quia filiam ejusdem duxerat, non posset resistere Comiti THEOBALDO Rege Francorum adjuvante partes ejus, dictus Henricus sub certis pactionibus easdem firmitates tradidit Regi Anglorum, propter quod resuscitata est discordia inter Reges & Comitem Theobaldum. HILARIUS Cicestrensis & NIGELLUS Eliensis Episcopi obierunt.

MARE circa æquinoctium vernale limites suos excedens, messes quæ propè erant absorbuit: alluvionéque ejus ossa cujusdam gigantis in Anglia detecta sunt, cujus, ut ferunt, quinquaginta pedum erat corporis longitudo. Rex HENRICUS in Angliam transfretans, graviter punivit. Vicecomites qui populum afflixerant exactioni-

Digitized by Google

bus & rapinis. Post Pentecosten Rex Angliæ vocato filio suo HENRICO in Angliam, fecit eum cùm jam quindecim annos complesset, per ROGERUM Eboracensem Archiepiscopum (THOMA Cantuariensi adhuc in partibus Gallicanis commorante) in Regem ungi & sollemniter coronari. Interfuerunt autem coronationi Gilbertus Londoniensis, Gocelinus Saresberiensis, Walterus Roffensis, Ricardus Cestrensis, Bartholomæus Exoniensis, Hugo Dunelmensis. Rogerus verò Wigornensis in Normannia morabatur. Henricus Wintoniensis & Willelmus Norwicensis non affuerunt ægritudine impediti. Ceteræ autem sex sedes Episcopales in Anglia adhuc vacabant, videlicet Herefordensis, Bathoniensis, Lincolniensis, Ciceſtrensis, Elyensis, Carleolensis, cujus vacationis jam annus decimus sextus agebatur. Uxor autem junioris Regis Margareta, Regis Francorum filia non est coronata cum eo, quia adhuc in Normannia morabatur.

Henrico Regi Anglorum filio corona imponitur ab Archiepiscopo Eboracensi.

In die Apostolorum Petri & Pauli terræ motus horribilis in transmarinis partibus factus est, quo civitas Tripolis multæque civitates aliæ tam Christianorum quàm Agarenorum sunt concussæ.

Rex HENRICUS senior transfretans in Normanniam pacem fecit inter Comitem THEOBALDUM & HERVEUM de Iven, qui ut dictum est, sibi tradiderat castra sua. ALIANORA filia Regis ejusdem Alfonso Regi Hispaniæ desponsatur. RICARDUS Comes de Strogoil Marescallus Angliæ terris suis omnibus propter quamdam offensam in manu Regis acceptis exsul in Hibernia commoratur. Hunc Ricardum Anglici ob præcipuam fortitudinem Strangebowe cognominabant, cujus brachia tam producta fuisse dicuntur, ut erectus stans palmas manuum genibus applicaret.

B. Thomas agentibus Papâ & Rege Franc. redit in Angliam.

Miseratus summus Pontifex Anglicanæ desolationi Ecclesiæ ex absentia Metropolitani sui, qui jam sex annis in Galliis exsulaverat, propositis Regi comminatoriis

Digitized by Google

vix tandem extorsit, ut pax Eccl. redderetur. Beatus igitur THOMAS reconciliatus Regi Angl. per mediationē Regis Franc. in Angl. transfretavit, quem post dies paucos damnis & injuriis affectū cùm audiret Rex juxta Baïocas Natale Domini agens inflexibilem à suo esse proposito, nec velle omisso jure Ecclesiæ suæ cedere regiæ voluntati, irâ commotus planxit, neminem esse qui suam vicem doleret. Verbum ex ore Regis quatuor milites Anglici maleficiis famosi, Ricardus Britto, Hugo de Morvilla, Willelmus Traci & Reginaldus filius Ursi rapiunt, & continuò egressi irrequisito Rege versùs Angliam dirigunt iter suum. Quorum audito recessu, licèt ad revocandum eos Rex nuntios miserit, tantâ tamen celeritate pervenerunt ad mare, & tam prospero vento transierunt in Angliam, quòd attingi non potuerunt ante facinus perpetratum. Quinto itaque die post Natale Domini Cantuariam venientes, Pontificem verbis contumeliosis aggrediuntur, & ingressum Ecclesiam, coram altari Beati Dionysii se & Ecclesiæ suæ causam Domino commendantem occidunt. Interficitur inscio Rege.

MCLXXI. | ALEXANDRI III. XII. | FREDERICI I XVI. XIX. | LUDOVICI VII. XXXIV. | HENRICI II. XVII.

MORITUR hoc anno CONANUS Dux Britanniæ, cujus Ducatum cum Comitatu Richemundiæ & honore Gebewici, GALFRIDUS filius Regis Anglorum obtinuit, spe futurarum nuptiarum cum CONSTANTIA ejusdem Conani filia & herede. Britanniæ Ducatum Galfridus filius Regis Angliæ obtinet.

Judæi Blesenses in solemnitate Paschali ad opprobrium Christianorum, puerum quemdam crucifixerunt, & mortuum in sacco positum, in flumine Ligeris projecerunt, cujus sceleris convicti, omnes à Theobaldo Comite Carnotensi traduntur igni, exceptis illis qui fidem Christianam recipere voluerunt. Simile scelus à Judæis tempore hujus Henrici Regis, apud Gloverniam in Anglia dicitur perpetratum.

Rex HENRICUS senior fecit per Normannos investi-

Digitized by Google

gari terras, de quibus Henricus Rex avus ejus fuit saisitus die quâ obiit; & quas terras, quásque silvas, & quæ alia dominica Proceres Normanniæ occupaverant post mortem ejusdem, & sic Ducatûs Normanniæ reditus duplicavit. Resus Wallensium Princeps cum avunculo suo Ouveno, pacificatus est cum Rege Anglorum mense Julio. Rex apud Argentomagum Barones suos convocat de profectione sua in Hiberniam, (cujus conquisitionem concesserat ei dominus Papa, salvis Ecclesiarum juribus, denarióque uno qui dicitur Petri, per domos singulas reddendo Romanæ Ecclesiæ) tractaturus. Supervenerunt autem huic colloquio Nuntii Comitis Ricardi de Strogoil Maresealli Angliæ, offerentes Regi ex parte ejus civitatem Dublimæ & urbem Waterfordiæ, & omnes alias firmitates suas quas habebat in Hibernia per mortem Regis Dublimæ, cujus duxerat filiam & heredem. Quo audito Rex eidem Comiti restituit terras in Anglia & Normannia, planámque terram quam acceperat in Hibernia cum uxore, liberè concessit, constituens eum totius Hiberniæ Senescallum.

Convocatis Baronibus profectionem suam in Hiberniam ad eam conquirendam proponit.

Henricus Wintonienſis Episc. & Abbas Glastoniæ, Germanus Regis Stephani obiit isto anno, qui ante mortem cæcus reliquit Wintonienſi Ecclesiæ in ornamentis & aliis bona multa. Mense Augusto Rex Anglię transivit in Angl. & coadunato pro tanta expeditione exercitu, in vigilia S. Lucę profecturus in Hiberniam navibus se commisit, & feliciter applicãs terram illam, suo dominio sine notabili resistentia subjugavit. Henricus Rex junior apud Burgum juxta Baiocas in Natali Domini curiam tenuit sollemnem, vocatísque Prælatis & Proceribus terræ suæ, interfuerunt inter alios Willelmus de sancto Johanne Procurator Normanniæ, & Willelmus filius Hamonis Britanniæ Senescallus, qui dum in quadam comederent camera, exclusis ceteris qui non vocabantur Willelmi, centum & decem secum Milites hujus nominis habuerunt. Fuerunt tamen alii multi similiter vocati, qui coram Rege comedebant in aula.

Ea de re cum exercitu navibus se committit.

Digitized by Google

An. Dom.	Papæ	Imp.	Franc.	Angl.
MCLXXII.	ALEXAND. III. XVII.	FREDERICI I. XVIII. XX.	LUDOV. VII. XXXV.	HENRICI II. XVIII.

HENRICUS Dux Saxonum sororius Regis Anglorum junioris, perrexit Jerusalem cum magno militum Comitatu. Post Pascha Rex HENRICUS senior audiens Legatos duos ex parte domini Papæ ad se missos, THEODINUM Portuensem Episcopum, & ALBERTUM Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem & Cancellarium, dispositis rebus Hiberniæ, cum celeritate venit in Angliam, & inde veniens in Normanniam præmissis viris honorabilibus, primò allocutus est Legatos Savigneii, deinde Abrinccis, tertiò apud Cadomum ubi causa illa finita est, jurante Rege Beatum Martyrem Thomam nec de mandato, nec de voluntate sua occisum, ut testantur litteræ publicæ de hoc factæ. Cognoverúntque Legati, ut scribit Petrus Blesensis Bathonienſis Archidiaconus, innocentiam viri, atque sub umbra illius à quibusdam attentatum id fuisse, totámque hanc iniquitatem à sanctuario processisse: & ideò de mandato summi Pontificis post purgationem Canonicam acceptam publicè sententiaverunt, Regem ab hoc crimine innoxium esse coram Deo & hominibus, & in quosdam Magnates quorum malitiam in hac parte manifestè convicerant, notam infamiæ retorserunt. Deinde ad voluntatem Regis Francorum misit Rex Anglorum MARGARETAM uxorem filii sui in Angliam, quam per manum Rothomagensis Archiepiscopi fecit inungi, & in Reginam Angliæ coronari. Circa verò festum S. Martini venerunt de Anglia Henricus Rex junior, & uxor sua ad Regem Francorum, quos ille decentissimè suscipiens plurimùm honoravit.

Profitetur Rex Angliæ coram Legatis à Papa missis se nesciente Sanctum Thomam fuisse occisum.

Epist. 66. sub med.

Regem innoxium esse declarant Legati.

Margareta Regina coronatur ab Archiepiscopo Rotomag.

Digitized by Google

Anni Dom.	Papæ	Imp.	Franc.	Angl.
MCLXXIII.	Alexandri III. XIV.	Frederici I. XIX. XXI.	Ludo. VII. XXXVI.	Henrici II. XIX.

COMES Sancti Ægidii pacificatur cum Rege Anglorum, facto sibi & RICARDO filio suo Duci Aquitanorum homagio pro Tolosa; promittente etiam Comite singulis annis servitium centum militum per quinquaginta dies, si Rex eis opus habuerit. In Quadragesima sequenti suborta est discordia inter Reges patrem & filium, quia Rex pater à consilio & famulatu filii amovit ASTULPHUM de sancto Hilario, & alios Equites minores. Unde discedens à patre Rex junior venit Argentomagum, & ignorantibus ministris quos pater de novo servitio suo deputaverat, de nocte recedens adiit Regem Francorum. Secuti sunt Regem juniorem Majores de Anglia & Normannia, inter quos erant Comes Cestriæ, & WILLELMUS Patrik senior cum tribus etiam filiis, ROBERTUS etiam Comes Mellenti, cujus castra sine custodibus relicta Rex senior occupavit. A quo etiam abalienati sunt ALIANORA Regina & duo filii ejus, RICARDUS Pictaviæ & GALFRIDUS Britanniæ Comites, Regi juveni adhærentes.

Dissensio inter Regem Angliæ & filium: Unde seditiones quamplurimæ.

ROGERUS Abbas Beccensis electus in Cantuariensem, prætendens infirmitatem noluit assentire, propter quod Monachi Ricardum Monachum de Doure in Archiepiscopum elegerunt. Positâ autem die quâ consecraretur electus, aliósque ad Ecclesias alias electos consecraret, Prior Cantuariensis litteras protulit Regis junioris, in quibus dicebat electos prædictos non esse consecrandos, & si quis præsumeret imponere eis manum, eum ad domini Papæ audientiam invitavit: sícque infecto negotio omnes ad propria discesserunt.

Post Pascha multi Barones de Normannia & aliis terris Regis Angliæ, avertentes se à patre, subdiderunt se Regi juniori, inter quos erant BERNARDUS de Feritate, GALERAMUS de Hibea, Gocelinus Cospinus, Gilbertus de Tegularis, Robertus de Monte-forti, Radulfus de Faie, Galfridus de Lizenero, Hugo de sancta Maura & filius

Digitized by Google

& filius ejus, Willelmúsque Camerarius de Tankarvilla. Philippus etiam Comes Flandriæ fovens partes filii, cepit castrum de Alba-marla, dominúmque castri Willelmum. Comes etiam Augi se & castra sua Regi subdidit juniori. Post festum S. Johannis Ludovicus Francorum Rex coadunato exercitu maximo, obsedit castrum Vernolii ferè per mensem. Cui Hugo de Laci & Hugo de Bello-campo custodes castri viriliter restiterunt.

Junior Rex associatis sibi Flandriæ & Boloniæ Comitibus, novum castrum, quod Drincort vocatur obsedit. Dego Bardulfi & Thomas frater ejus custodes castri, videntes se illud tenere non posse insinuant hoc Regi seniori: de cujus assensu illud obsidentibus reddiderunt. MATTHÆUS Comes Boloniæ ex vulnere ibi accepto mortuus est, cujus fratrem Petrum electum ad Episcopatum Cameracensem Comes Flandriæ militaribus armis cinxit. Obiit ROBERTUS Comes de Clara, cui filius ejus RICARDUS successit, qui filiam Willelmi Comitis Gloverniæ duxerat.

HENRICUS Rex senior videns majorem partem Baronum suorum à se deficere, non est fractus, sed conduxit Brabanzones & Rictarios, ex quibus coadunato magno exercitu, venit Britollium ut auxilium ferret eis qui in Vernolio obsidebantur. Cujus adventu audito, Rex Francorum omissâ obsidione fugit, magnâ parte papilionum & victualium aliorúmque impedimentorum relictâ. RADULFUS de Fulgeriis castellum suum de Fulgeriis, quod Rex senior priùs destruxerat, reædificare cœpit. Ad quem ASTULFUS de sancto Hilario & WILLELMUS Patrik cum tribus filiis conveniunt, quos Comes Eudo & Comes Cestriæ secuti sunt. Brabanzones à Rege seniore missi, ex magna parte terram Radulfi de Fulgeriis destruxerunt, sed eorum qui victualia exportabant ad exercitum, magna pars à militibus Radulfi de Fulgeriis est occisa. Tradidit nihilominus hic Radulfus castrum sancti Iacobi incendio, castrúmque Tilioli. Audito autem ad-

Digitized by Google

ventu Regis ſenioris, uſque ad Fulgeriam fugit: captáque eſt ab hominibus Regis tanta præda, quanta noſtris temporibus vix eſt viſa. Præceperat namque Radulphus omnibus de terra ſua, ut equos, armenta & pecudes in ſuam foreſtam ducerent, quæ omnia antequàm pervenirent ad nemorum latibula, ſunt ab hoſtibus intercepta.

Radulfus interim caſtrum de Corbroc & civitatem Dolenſem cepit cum cuſtodibus quos Rex poſuerat, prece corruptis & pretio. Quo audito Rex illuc Brabanzones ſuos miſit cum aliis militibus, qui eos regerent & protegerent contra hoſtes. Qui habentes ſibi obviam Comitem Ceſtriæ, ASTULFUM de ſancto Hilario, WILLELMUM Patrik cum aliis militibus pluribus ac peditum multitudine magnâ, ſtatim eos compulerunt in fugam, quamplures de peditibus occidendo. Capti ſunt ibi Haſtulfus de ſancto Hilario & Willelmus Patrik cum aliis quibuſdam militibus. Sexaginta non potentes evadere per fugam, viis per hoſtes obſtructis, incluſerunt ſe in turri Dolenſi, quam Brabanzones & milites Regii obſederunt. HENRICUS ſenior his auditis, cùm eſſet Rotomagi in craſtino mane verſus Britanniam proficiſcitur tantâ celeritate, quòd proximo die ſequenti Dolum pervenit: cúmque machinas præparaſſet ad turrim capiendam, incluſi ſibi providentes turrim reddiderunt, ac ſe voluntati Regiæ ſubdiderunt, quorum aliquos per diverſas firmitates mancipavit cuſtodiæ: aliquos verò acceptis obſidibus in libera cuſtodia retinens ſecum duxit. Interim Comes Leyceſtriæ aſſociato ſibi HUGONE de Novocaſtello, turbare volens Regnum Angliæ, cum magna multitudine militum Flandrenſium & aliorum zelo Regis junioris in Angliam transfretavit, qui juxta ſanctum Eadmundum cœpit prædas exercere, & unà cum uxore ac prædicto Hugone de Novo-caſtello per milites Regis captus eſt, & cuſtodiæ traditus, pluribus Flandrenſium aliorúmque occiſis, multíſque captis. Barones aliqui Britones & Normanni, captis munitionibus eo-

Digitized by Google

rum & caſtellis à Rege ſeniore, ad nemora confugientes, terras Regis more latrocinantium infeſtabant.

REX SENIOR SUMMI PONTIFICIS AUXILIUM CONTRA Filios implorans, eidem litteras ſcripſit hujus tenoris:

Rex Angliæ ſcribit Summo Pontifici quanta mala & injurias à filio perpeſſus fuerit, úque filius ad meliorem frugem reducat, illum obnixè rogat.

SAnctiſſimo domino ſuo ALEXANDRO Dei gratiâ Catholicæ Eccleſię Summo Pontifici, HENRICUS Rex Anglorum, Dux Normanniæ & Aquitaniæ & Comes Andegaviæ ſalutem & devotæ ſervitutis obſequium. In magnorum diſcriminũ anguſtiis ubi domeſtica conſilia remedium non inveniunt, eorum ſuffragia implorãtur, quorum prudentiam in altioribus negotiis experientia diuturnior approbavit. Longè latéque divulgata eſt meorum filiorum malitia, quos ita in exitium patris ſpiritus iniquitatis armavit, ut gloriam reputent & triumphum patrem perſequi, & filiales affectus in omnibus differri. Præveniente meorum exigentiâ delictorum, ubi pleniorem voluptatem contulerat mihi Dominus, ibi gravius me flagellat, & quod ſine lacrymis non dico, contra ſanguinem meum & viſcera mea cogor odium immortale concipere & extraneos mihi quærere ſucceſſores, ne videam de ſemine meo ſedentem ſuper ſolium meum. Illud præterea ſub ſilentio tranſire non poſſum, quòd amici mei receſſerunt à me, & domeſtici mei quærunt animam meam. Sic enim familiarium meorum animos clandeſtina conjuratio toxicavit, ut obſtinationi perditæ conſpirationis univerſa poſthabeant. Malunt namque filiis meis adhærere contra me transfugi & mendici, quàm regnare mecum & in ampliſſimis dignitatibus præfulgere. Quoniam verò vos extulit Deus in eminentiam officii paſtoralis, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, licèt abſens corpore, præſens tamen animo me veſtris advolvo genibus conſilium ſalutare depoſcens, veſtræ juriſdictionis eſt Regnum Angliæ, & quantum ad feoditarii juris obligationem, vobis dumtaxat obnoxius teneor. Experiatur Anglia quid proſit Romanus Pontifex, & quia materia.

Digitized by Google

» libus armis non utitur, patrimonium Beati Petri ſpiri-
» tuali gladio tueatur. Contumeliam filiorum poteram
» armis rebellibus propulſare, ſed patrem non poſſum
Jerem. 4. 3. » exuere. Nam & Jeremia teſtante: *Nudaverunt lamiæ*
» *mammas ſuas, lactaverunt catulos ſuos.* Et licèt errata
» eorum quaſi mentis efferatæ me fecerint, retineo pa-
» ternos affectus; & quandam violentiam diligendi eos
Deut. 32. 29. » mihi conditio naturalis imponit. *Vtinam ſaperent & in-*
» *telligerent ac noviſſima providerent.* Lactant filios meos
» domeſtici hoſtes, & occaſione malignandi habitâ non
» deſiſtent, quouſque redigatur virtus eorum in pulve-
» rem, & converſo capite in caudam, ſervi eorum domi-
Proverb. 17. 2. » nentur eis, juxta verbum illud Salomonis: *Servus aſtu-*
» *tus filio dominabitur imprudenti.* Excitet ergo pruden-
» tiam veſtram Spiritus conſilii, ut convertatis corda filio-
» rum ad patrem. Cor enim patris pro beneplacito veſtro
» convertetur ad filios, & in fide illius per quem Reges
» regnant veſtræ magnitudini promitto, me veſtræ diſpo-
» ſitioni in omnibus pariturum. Vos Eccleſiæ ſuæ, Pater
» ſancte, Chriſtus diu conſervet incolumem.

Hoc anno electi ſunt ad Epiſcopatus Wintonienſem qui jam biennio vacaverat, RICARDUS Archidiaconus Pictavenſis; Lincolnienſem GALFRIDUS filius Regis Henrici naturalis: Herfordenſem qui jam vacaverat annis ſex, ROBERTUS Folioth Archidiaconus Lincolnienſis; Elyenſem GALFRIDUS Archidiaconus Cantuarienſis; Ciſceſtrenſem qui jam vacaverat annis quatuor GOCELINUS Decanus ejuſdem Eccleſiæ; Bathonienſem qui jam vacaverat annis ſex, ROGERUS Lombardus Archidiaconus Sareſberienſis.

MCLXXIV. | ALEXANDRI III. XV | FREDERICI I XIX. XXII | LUDOVICI VII XXXVII. | HENRICI II. XX.

ARCHIEPISCOPUS Tarentaſiæ à domino Papa miſſus pro reformanda pace inter Reges Anglorum patrem & filium, nil profecit. RICARDUS Cantuarienſis ele-

Digitized by Google

ctus, qui Romam profectus fuerat, à Papa Alexandro Anagniæ consecratur. Fuit iste Ricardus vir magnæ religionis, & in exteriorum administratione industrius; sed in corrigendis excessibus, defendendísque Ecclesiæ libertatibus de nimia remissione notatus, in tantùm quòd Rex qui eum spiritualiter diligebat, & contra turbatores ejus in curia Romana se pro eo opponebat, ipsius incuriam ac desidiam secretâ tamen correptione dicitur arguisse. Reginæ Anglorum ALIANORA uxor patris, & MARGARETA uxor filii in Angliam deducuntur.

LUDOVICUS Rex Francorum convocatis Baronibus Regni sui, rogavit eos ut Henrico Regi juniori essent in auxilium contra patrem. Tres igitur Comites Flandrensis, Carnotensis, & Claromontensis juraverunt se transfretaturos cum Rege juniore, & eidem regnum Angliæ ex integro subacturos. Alii verò juraverunt, quòd cum exercitu per Normanniam pergerent, & castella pessumdarent, urbémque Rotomagum obsidione cingerent, quod utique licet aggrederentur, nihil penitus profecerunt. Rex enim senior castella sua quæ erant in finibus Normanniæ, armis, militibus & victualibus optimè communivit. Removit etiam quosdam castellorum custodes, quos habebat suspectos, fideles de quibus confidebat substituens. Multos etiam de Baronibus Franciæ abarratos habebat, & sibi familiares fecerat obsequiis atque donis. Allocutus est etiam Barones Normanniæ, & obsecrando hortatus est, ut viriliter ac fideliter agerent, memoréque essent quomodò patres eorum multotiens, Francos fines eorum invadentes, cum eorum verecundia fortiter expulsissent.

Contra Regem Angliæ conveniunt Rex Francorum, & Comites Fland. &c.

Deinde paucis at nullis* Baronibus Normanniæ assumptis cum Brabanzonibus in Angliam transfretans, cum maxima humilitate tumbam beati Thomæ Martyris visitavit. Ut enim Cantuariensem vidit Ecclesiam, equo desiliens in veste lanea, nudis pedibus peditando, usque ad illam per paludes & saxa acuta cum summa devotione

* f. militibus ac nonnullis.

Digitized by Google

Sepulcrum S Thomæ summâ animi demissione invisit, ac verberibus se subdit Henricus senior.

perrexit. Ad sepulcrum verò Martyris prostratus in oratione, & in lacrymas ita profusus est, ut adstantes etiam ad lacrymas invitaret. Feriâ sextâ illuc venerat, & impransus ibidem noctem totam continuans vigilavit. Mane autem facto Capitulum ingressus, in tantum se humiliavit ad pœnitentiam, ut verberibus se subderet Monachorum. Die autem quâ à sancto loco recessit, captus est WILLELMUS Rex Scotiæ à Baronibus Eboracensis provinciæ apud Alvewicum, qui eâ æstate cum Rogero de Mumbray & aliis complicibus in favorem Regis junioris Aquilonares partes Angliæ devastaverat. Rex itaque senior tanto exhilaratus nuntio, factâ pace cum Hugone Bigod, & positis in firma custodia WILLELMO Scotorum Rege, & ROBERTO Leycestriæ Comite cum aliis eorum comitibus, revertitur in Normanniam, pacificatam relinquens Angliam, quam ferè perditam in triginta recuperavit diebus.

Veniens autem Rotomagum cum multitudine Wallensium, misit eos trans Secanam, ut in nemoribus victualia diriperent, quæ ad Francorum exercitum vehebantur. Franci itaque ex una parte timentes Regem, & ex parte alia Wallenses, ad Regem Anglorum de pace conveniunt locuturi. Super quo lætatus Rex terminum reformandæ pacis apud Gisortium statuit festum Nativitatis Virginis gloriosæ. In vigilia verò Assumptionis beatæ MARIÆ obmissâ obsidione Rotomagi exercitus Francorum discessit. Adveniente termino reformandæ pacis convenerunt partes, sed nihil proficientes, alium terminum in festo S. Michaëlis juxta civitatem Turonis statuerunt. Quibus die & loco iterum convenientes, pax provenit, & tres filii patri suo se humiliter subdiderunt. Rex autem Francorum & Comes Flandriæ firmitates quas in Normannia ceperant, Regi Angliæ reddiderunt.

Post festum sancti Johannis moritur ALMARICUS Rex Jerusalem, succesitque filius ejus BALDEWINUS decimus. Obiit etiam Noradinus Rex Halapiæ, & successit

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

filius ejus natus ex sorore Comitis sancti Ægidii, quam in itinere Jerosolymitano captivam acceperat. Ipsa verò & filius ejus acceptis induciis à Rege Jerusalem usque in septennium, promiserunt ei plurimam summam auri. Saraguntat Noradini nepos occidit Admiralium Babyloniæ, éstque Alexandriæ princeps factus. JOHANNES Oxonienſis Sareſberienſis Decanus ad Epiſcopatum eligitur Norwicenſem.

MCLXXV.	ALEXANDRI III. XVI.	FREDERICI I. XX. XXIII.	LUDOVICI VII. XXXVIII.	HENRICI II XXI.

FREDERICUS Imperator cum uxore ſua & liberis maximóque exercitu in Italiam veniens, obſedit Alexandriam; nihil proficiens, ſed multa ſuſtinens detrimenta. Circa Paſcha filii Regis Anglorum pacificati venerunt ad patrem, qui retento ſecum Henrico Rege, Ricardum Fratrem ſuum miſit in Aquitaniam, Galfridum verò in Britanniam, procuratorem terræ ſuæ Rolandum de Dinan eidem aſſignans. Frederico Imperatore recedente ab Alexandria, tractatum eſt de pace inter dominum Papam & ipſum, ſed noluit Imperator paci adquieſcere niſi dirueretur Alexandria, quod Lumbardi facere renuerunt. Remanſit autem Imperator in urbe Papienſi, non patente ei pro libitu copiâ recedendi. Galfridus Dux Britanniæ revocavit in ditionem ſuam Venetum, & Pleaſmelum, Aurei, medietatémque Cornubiæ, & alia pertinentia ad dominium ſuum quæ occupaverat Comes EUDO.

Patri Regi Anglorum honorem & obſequium exhibent filii.

Pacem cum Papa ferire renuit Imperator.

Poſt Paſcha verò Rex ſenior HENRICUS & filius ejus Rex junior in Angliam transfretavit. In quorum adventu multi de Clero & populo pro venatione illicita graviter ſunt puniti. Rex Scotiæ pacificatus eſt cum Rege Angliæ ſub hac forma. Fecit enim homagium & ligantiam de omni terra ſua ut proprio domino, & conceſſit ut idem facerent omnes terræ ſuæ Comites & Barones. Epiſcopi autem & Abbates ſacramento ſe conſtrinxe-

Ineunt pacem Rex Angliæ & Scotiæ.

Digitized by Google

runt, quòd forent ſubditi Archiepiſcopo Eboracenſi. Tradidit inſuper Rex Scotiæ munitiones tres; ſcilicet Rokeſburgiam, Caſtrum Puellarum, Berwici Regi Angliæ, in quibus poſuit Rex Henricus cuſtodes per Regem Scotiæ in neceſſariis exhibendis. Præterea conceſſit Rex WILLELMUS, quòd Epiſcopatus, Abbatias & alios honores in Scotia daret Rex Angliæ, vel ſaltem ſine ejus conſilio non darentur. Obiit ROGERUS Comes Cornubiæ, primi Henrici Regis Anglorum filius naturalis, cujus terras omnes in Anglia, Normannia & Wallia (exceptâ parvâ portione quam filiabus ejus dedit) retinuit Rex in manu ſua ad opus Johannis filii ſui junioris. Obiit RICARDUS Comes Gloverniæ, cui ſucceſſit filius ejus PHILLIPPUS. Venit in Angliam hoc anno HUGO Leonis Apoſtolicæ ſedis Legatus.

MCLXXVI. | ALEXANDRI III. XVII. | FREDERICI I. XXI. XXIV. | LUDOVICI VII. XXXIX. | HENRICI II. XXII.

NIx & gelu à Nativitate Domini uſque ad Purificationem continuè duraverunt. Obiit RICARDUS Comes de Strogoil, relinquens parvulum ex filia Regis Dublimæ ſucceſſorem. Hic Regi Henrico Anglorum reddidit Dublimam, Waterfordiam & quaſdam alias firmitates. Hibernienſes tributum Regi Angliæ, de qualibet domo corium bovis, vel duodecim denarios promiſerunt. In vigilia Paſchæ factus eſt ventus vehemens, diſſipans domos, & eradicans ſilvarum ligna.

His temporibus erant in Anglia tres Epiſcopi Regi plurimùm familiares, RICARDUS Wintonienſis, GALFRIDUS Elienſis, JOHANNES Norwicenſis, quorum frequentiam ac moram in Curia Regia Papa Alexander redargui per Archiepiſcopum Cantuarienſem Ricardum mandaverat qui eos apud eumdem verè & rationabiliter excuſavit: per quorum mediationem procuravit præfatus Archiepiſcopus, damnabilem conſuetudinem quæ in Anglia invaluerat, & in enorme Cleri diſpendium excreverat aboleri. Si quis enim Sacerdotem vel

Peſſima conſuetudo aboletur in Anglia per Archiepiſcopum Cantuar.

Digitized by Google

vel Clericum occideret, Eccleſia ſolâ excommunicatione contenta materialis opem gladii non quæſivit. Unde hujuſmodi tranſmiſit epiſtolam ad Epiſcopos tres prædictos:

RICARDUS Dei gratiâ Cantuarienſis Archiepiſcopus, totius Angliæ Primas Apoſtolicæ ſedis Legatus, Venerabilibus & in Chriſto dilectis Fratribus RICARDO Wintonienſi, GALFRIDO Elienſi, JOHANNI Norwicenſi Epiſcop. ſalutem & ſalubre conſilium. In Eccleſia Anglorum damnoſa omnibus & omninò damnanda conſuetudo invaluit, quæ niſi per induſtriam veſtram fuerit ſublata de medio, in enorme totius Cleri diſpendium vehementer excreſcet. Si Judæus aut Laïcorum viliſſimus occiditur, ſtatim ſupplicio mortis occiſor addicitur. Si quis verò Sacerdotem ſive Clericum minoris aut majoris ſtatûs occiderit, ſolâ excommunicatione contenta, aut ut veriùs loquar, contempta Eccleſia materialis opem gladii non requirit. Scitis equidem, quòd à Domino dictum eſt Moyſi, *Maleficos non patieris vivere.* Exod. 22. 18. Et Apoſtolo teſte: *Princeps gladium habet ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* 1. Pet. 2. 14. Sed & Dominus dicit: *Qui vos tangit, me tangit.* Zac. 2. 8. Et per Prophetam: *Nolite*, inquit, *tangere Chriſtos meos.* Pſal. 104. 15. Ubi ergo poſſet maleficium immanius & exſecrabilius inveniri quàm graſſari in Chriſtos Domini, & in populum adquiſitionis liberâ impunitatis licentiâ gladium exerere? Accepta mihi eſſet ſententia excommunicationis in talibus ſi timorem incuteret, ſed culpis noſtris exigentibus, gladius Petri rubigine obductus eſt, & quia non poteſt incidere, datus eſt in contemptum. Si ovicula furto ſublata ſit vel occiſa, in hujus rei actorem, ſi lateat, ſententia excommunicationis emittitur: convictus verò aut confeſſus furtum patibulo deputatur. Porrò Clerici vel Epiſcopi occiſores Romam mittuntur, euntéſque in deliciis, cum plenitudine Apoſtolicæ gratiæ & majore delinquendi audaciâ revertuntur. Talium vindictam ex-

Digitized by Google

» ceſſuum dominus Rex ſibi vendicat, ſed nos eam nobis
» damnabiliter reſervamus, atque liberam præbentes im-
» punitatis materiam, in fauces noſtras Laïcorum gladios
» provocamus. Ignominioſum eſt quòd pro capra vel ovi-
» cula gravior, pro ſacerdote occiſo pœna remiſſior irro-
» gatur. Sed & durioribus digni ſumus qui juriſdictionem
» alienam & nobis omninò indebitam ambitione teme-
» rariâ uſurpamus. Nam & in corpore Decretorum,
» & in Epiſtola ad Romanos, hæc verba legiſſe memini-
» mus : Sunt quædam enormia flagitia quæ potiùs per
» mundi Judices, quàm per Rectores & judices Eccleſiâ-
» rum vindicantur, ſicut eſt, cùm quis interficit Pontificem
» aut Preſbyterum, hujuſmodi reos Reges & Principes
» mundi damnant. Omnis equidem juſtitia ideò exercetur,
» ut debitâ quiete gaudeat innocentia, & malignantium
» temeritas refrænetur. Veruntamen in hac juriſdictione
» maledicta quam ambitiosè & ſuperbè præſumimus, domi-
» num Regem, viámque in Clericos malignandi tutiſſi-
» mam Laïcis aperimus. Nuper apud Wintoniam Sacerdos
» litteraturæ commendabilis & converſationis honeſtæ
» malitiosè occiſus eſt à Willelmo Freſchet & uxore ejus,
» nec illi maleficium diffitentur. Prompti ſunt ergo Cu-
» riam adire Romanam. Nam confidit in ea cor viri ſui,
» atque in ſpecie & pulchritudine ſuâ intendit proſperè
» procedere, & de lenocinio uxoris in via præter abſolutio-
» nis beneficium fructûs uberioris manipulos reportare.

» Vos ergo dilectiſſimi Fratres, huiç publicæ peſti, dum
» in ſuo curſu eſt, maturiore conſilio ſtudeatis occurrere.
» Nam ſi liberiùs aliquantulum & licentiùs evaſerit pericu-
» lum, quod inter pauperes nunc verſatur, noſtris in proxi-
» mo cervicibus imminebit. Eccleſia juriſdictionem ſuam
» priùs exerceat, & ſi illa non ſufficit ejus imperfectum ſup-
» pleat gladius ſecularis. Hujus rei auctoritas ex Synodo
» Urbani Papæ, ex decreto Gregorii, ex Epiſtola Nicolai
» Epiſcopis Galliarum, ex Concilio Carthaginenſi tertio,
» & ex multis ſanctorum Patrum inſtitutionibus emanavit.

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

Nec dicatur quòd aliquis bis puniatur propter hoc in id- "
ipsum. Nec enim iteratum est quod ab uno incipitur, & "
ab altero consummatur. Duo sunt gladii qui mutuum à se "
mendicant auxilium, atque ad invicem sibi vires imper- "
tiuntur alternas, sacerdotium Regibus & Sacerdotibus "
regnum. Unde si ab altero suppletur alterius insufficien- "
tia, non videtur duplex contritio & punitio combinata. "
Nam & illi qui ad mortis patibulum sunt damnati, juxta "
Maguntinense Concilium antequàm ad tormenta ducan- "
tur, per cordis contritionem & pœnitentiam spiritualiter "
puniuntur*, nec duplicitatem contritionis inducit, sed "
quædam præparatio est ad mortem prævia, & satisactio "
quæ præcedit. Reddentes igitur Deo quæ Dei sunt, & "
quæ Cæsaris Cæsari, juxta petitionem domini Regis, ei "
tantorum vindictam excessuum relinquamus. Reis autem "
in mortis articulo constitutis, quia sententiam lati Cano- "
nis incurrerunt, si absolutionem postulaverint, & in hoc "
& in aliis, quantum possumus sine scandalo & sine peri- "
culo Ecclesiæ, humanitatis consilium misericorditer im- "
pendamus. Publicè namque interest ut naturali gladio "
cohibeantur, qui nec Deum timent, nec deferunt Eccle- "
siæ, nec censuram Canonum reverentur. Bene valeatis. "

* *Desunt aliqua verba.*

MCLXX-VII.	ALEXANDRI III. XVIII.	FREDERICI I. XXII. XXV.	LUDOVICI VII. XL.	HENRICI II. XXIII.

IN hebdomada Pentecostes Lumbardi & maximè Mediolanenses debellaverunt exercitum FREDERICI Imperatoris, qui in urbe Papiensi eo tempore morabatur. Qui etiam vix evadere potuerat fugiendo. JOHANNES Saresberiensis vir sapiens & honestus, qui priùs fuerat Clericus Archiepiscopi Cantuariensis Theobaldi, & posteà beati Thomæ Martyris successoris, factus est Episcopus Carnotensis. WILLELMUS Rex Siciliæ JOHANNAM filiam Henrici senioris Regis Anglorum uxorem accepit. PHILLIPPUS Comes Flandriæ cum magna manu perrexit Jerusalem, in quo itinere decessit HASTULPHUS de sancto Hilario. Quintâ feriâ in Cœna Domini

Mediolanenses Imperatorem debellârunt.

Digitized by Google

occisus est sanctus WILLELMUS Parisius à Judæis, ob quod facinus concremati sunt igne. In æstate & autumno fuit maxima siccitas; unde & satio terræ, messis & fœnum ex magna parte periit, & collectio messium & vindemiarum evenit solito citiùs.

Conciliantur Papa & Imperator.

Nono Kal. Augusti concordati sunt dominus Papa & Imperator in Venetiarum civitate. Timens enim Imperator ne à domino suo caderet propter Lumbardorum rebellionem & Alexandri Papæ prosperitatem, missis sollemnibus Nuntiis, ut reconciliaretur summo Pontifici laboravit. Postquàm reconciliatus fuit, pro emenda charactere sanctæ crucis se fecit signari.

Mense Augusto HENRICUS Anglorum Rex senior cum GALFRIDO filio Duce Britannorum in Normanniam transfretavit, ubi occurrentibus sibi filiis HENRICO Rege juniore, & RICARDO Aquitaniæ Duce progreditur unà cum eis ad vadum S. Remigii. Ibíque cum Rege Francorum locutus est ea quæ ad pacem sunt, & de susceptione crucis in obsequiis JESU CHRISTI. Inde verò misit Galfridum Ducem Britanniæ ad expugnandum GUIDONEM Leonensem, qui posteà venit ad Regem, se ejusdem in omnibus subjiciens voluntati. Pergens autem Rex in pagum Bituricensem, accepit in manu sua castrum Radulfi de Dolis, & filiam ejus unicam cum hereditate tota, quia ad suum feodum pertinebat. Isoldunense verò castrum à Baronibus quorum custodiæ erat deputatum, sibi post mortem domini oblatum accipere renuit, quia non simul offerebant heredem, quem Dux Burgundiæ furtim abstulerat, quia fuerat ejus cognatus. Castrum verò munitissimum Turonium* redditum est ei ab ejus Vicecomite, totam etiam terram Comitis de Marchia Rex emit sibi pro sex millibus libris argenti. Castrum verò juxta civitatem Lemovicam, in quo sanctus Marcialis requiescit, Ricardus filius Regis Dux Aquitaniæ abstulit Vicecomiti ejusdem Castri, quia fovit partes Comitis Engolismensium contra Ducem.

* *Id est*, Turennæ.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

Sicut in æstate magna siccitas fuit, sic in hieme maxima inundatio fuit aquarum. Multi homines hoc anno circa festum sancti Johannis in fluminibus perierunt. Multæ etiam naves submersæ sunt in mari, inter quas una quæ portabat GALFRIDUM Præpositum Beverlaci, junioris Regis Cancellarium juxta sanctum periit Walericum. Vigiliâ S. Andreæ apparuit lux manè veniens ab oriente usque ad occidentem, quo die Christiani cum Saracenis apud sanctum Georgium de Ramula pugnaverunt. Putabat quidem Saladinus quòd posset capere urbem Jerusalem defensoribus destitutam. Abduxerat enim Comes Flandriæ ad obsidionem castri Harenæ omnes ferè milites Christianos. Sed tamen Rex Jerusalem & Patriarcha & alii viri Religiosi, habentes paucos milites & servientes, per virtutem sanctæ Crucis innumerabilem vicerunt exercitum Paganorum: cujus Crucis longitudo à terra usque ad cælum Paganis apparuit, ut dixerunt. Locupletati verò sunt auro & argento, equis & armis in hac victoria Christiani.

MCLXX-VIII.	ALEXANDRI III. XIX.	FREDERICI I XXIII. XXVI.	LUDOVICI VII. XLI.	HENRICI II. XXIV.

STEPHANUS Rodonensis Episcopus obiit, cui ante mortem, ut ipse fassus est, apparens quidam parvo levíque sibilo dixit ei hos versus: *Desine ludere temerè; nitere surgere properè de pulvere.* Ipse enim multa rythmica carmine & prosâ jocundè & ad plausus hominum scripserat. Et quia miserator hominum eum in proximo moriturum sciebat, monuit eum ut à talibus abstinens pœniteret.

WILLELMUS Rex Siciliæ fieri fecit chartam Johannæ Reginæ uxori suæ de dote sua sub bulla aurea. LUDOWICUS Francorum & HENRICUS Anglorum Reges convenientes ad colloquium, tractaverunt de pace & firma concordia inter se & suos, & de susceptione crucis pro Jerosolymitanorum itinere, statuentes ut si quis eorum decedat in fata in ipso itinere, superstes omnem

Reges Franc. & Angl. pace firmatâ iter Jerosolymitanum decernunt.

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

thesaurum & homines illius habeat cum omnibus mobilibus, & tam pro se quàm pro defuncto iter explebit. Hæretici quos Albigenses vocant, & alii multi conveniunt circa Tolosam malè sentientes de sacramento altaris, de matrimonio & aliis sacramentis ad quorum confutationem Petrus Legatus Romanus, & multæ aliæ personæ religiosæ cum prædictis Regibus, licèt parum profecerint, convenerunt.

Legatus ad confutandos Albigenses hæreticos mittitur.

MCLXX. IX.	ALEXANDRI III. XX.	FREDERICI I. XXIV. XXVII.	LUDOVICI VII. XLII.	HENRICI II XXV.

PHILIPPUS Comes Flandriæ ab itinere rediit Jerosolymitano. EMMANUEL Imp. Constantinopolitanus accepit filio suo uxorem filiam Regis Francorum. ALEXANDER Papa vocari fecit Prælatos pro Concilio generali anno sequenti Romæ Quadragesimali tempore celebrando. Facta est eclipsis solis idibus Septembris. Hiems facta est magna ita ut nix duraret usque ad Purificationem, quæ infra octavam dominicæ Nativitatis incepit. Secuta est inundatio aquarum maxima, præcipuè apud urbem Cenomanensem, pontes & domos subvertens ac molendina, hominésque multos submergens.

HENRICUS Anglorum Rex senior abalienatus ab uxore sua, in custodia eam detinuit annis multis. GALFRIDUS filius GUIOMARUM Vicecomitem Leonensem, ac filios ejus sibi rebelles subegit, castella eorum capiens, & in manu sua retinens, & de terris eorum relinquens eis respectivè modicam portionem. RICARDUS etiam Dux Aquitaniæ GALFRIDUM de Ranchun humiliavit, ejus castrum Taleburgum ad solum diruens cum quatuor aliis castellis ejusdem. Dominum etiam de Ponte eidem Galfrido faventem subpeditavit, castrum ejus quod Pons dicitur diruendo. Non multum verò pòst, Richardo Duce in Angliam ad sanctum Thomam profecto, quidam Basclorum & Navarrorum Brabanzonum suburbium Burdegalæ vastaverunt. PHILIPPUS Regis Francorum fi-

Digitized by Google

lius dum venationi insistit, amissis sociis, totâ nocte in silva vagabundus permansit, tandem per quemdam carbonarium inventum reductus est ad suos. Ex solitudine tamen & pavore tantam incurrit ægritudinem, quòd coronatio ejus quam pater in Assumptione Beatæ Virginis fieri decreverat, est omissa. Rex autem Ludovicus pro se & filio peregrè profectus est in Angliam ad beatum Thomam, cui aliquando magnam humanitatem exhibuerat cùm in Galliis exsularet. Rex autem Anglorum qui paulò antè in Angliam transierat, ipsum cum maximo susceipit gaudio & honore.

Emmanuel Imperator Constantinopolitanus Soltano Iconii qui eum anno præterito fugaverat, & multos de militibus ejus capiens crucem ei dominicam abstulerat, rependens hoc anno vicem ipsum fugavit, cogens urbem Iconii vacuam relinquere, multósque de militibus ejus cepit. Petrus Comestor obiit, qui utriusque Testamenti historias in uno volumine, & allegorias in alio compilavit. Sepultus verò est Parisius in Ecclesia S. Victoris, pauperibus & Ecclesiis omnes facultates suas relinquens. Cujus tumulo hoc inscriptum est Epitaphium:

Petrus Comestor obiit, & in Eccles. S. Victoris sepelitur.

Petrus eram quem petra tegit, dictúsque Comestor.
Nunc comedor. Vivus docui, nec cesso docere
Mortuus: ut dicat qui me videt incineratum:
Quod sumus iste fuit, erimus quandoque quod hic est.

MCLXXX. | ALEXANDRI III. XXI | FREDERICI I XXV. XXVIII. | LUDOVICI VII. XLIII. | HENRICI II. XXVI.

Alexander Papa circa mediam Quadragesimam Romæ Concilium tenuit generale. Ad quod venit civis Pisanus quidam nomine Burgundio, in græca latináque lingua peritus, afferens Evangelium S. Johannis, expositum sermone homeliatico à Johanne Chrysostomo, de græco in latinum translatum, asseruítque magnam partem libri Geneseos à se jam esse translatam. Dixit etiam quòd Johannes Chrysostomus græcè exposuit totum vetus Testamentum & novum. Emmanuel Im-

Concilium Romæ celebrat Alexand. Papa.

Digitized by Google

Montif. ferrati Ducis filiam Imperator Constantinopolitanus ducit uxorem,

perator Constantinopolitanus dedit filiam suam RAINERIO filio Willelmi Principis Montis-ferrati, & dans ei honorem Thessalonicensium, qui est in imperio illo magna potestas. Fecit eum coronari in Regem quia juraverat filia sua se nolle umquam nubere nisi Regi. CONRADUS frater dicti Raynerii Archiepiscopum Maguntinensem Cancellariúmque Imperatoris Romani carceri mancipavit. Galeæ Regis Siciliæ ceperunt filiam Regis Marochiæ missam per mare ut maritaretur cuidam Saracenorum Regi: pro qua redimenda reddidit pater Regi Siciliæ duas civitates per Saracenos Patri Regis Siciliæ ablatas, videlicet Affricam & Sibillam. Rex Jerusalem licèt leprâ percussus, adjutus tamen Christianitate transmarinâ munitissimum castrum fecit super fluvium Jordanem situ amœnum, quod vocavit Vadum Jacob, & erat nocivum plurimùm Saracenis.

Philippus Regis Franciæ filius Remis coronam suscipit.

In festivitate omnium Sanctorum coronatus est Remis ab Archiepiscopo ejusdem loci in Regem PHILIPPUS filius Regis Francorum, cui sollemnitati Rex Anglorum junior cum magno interfuit militum comitatu.

Captivitate donantur plures Christiani.

Hoc anno inito conflictu Christianorum contra Saladinum, aggravatum est bellum super Christianos, multísque cadentibus, Magister militiæ Templi captus est, quem cùm Saladinus commutare vellet pro nepote suo quem ceperant Christiani, renuit Magister Templi dicens, Non esse consuetudinis Militum suæ Religionis ut aliqua pro eis daretur redemptio, præter cingulum & cultellum: sícque in captivitate detentus, mortuus est. Postea obsedit Saladinus castrum de Vado Jacob, & illud violenter cepit, omnésque in eo inventos occidit. Obiit ROGERUS Wigornienſis Episcopus, vir moribus honestus & genere. Erat enim filius Roberti Comitis Gloverniæ, filii Henrici primi Anglorum Regis.

Fœdus initum inter Reges Franc. & Angl.

Hoc anno initum est fœdus inter Reges Francorum & Anglorum per litteras continentes hanc formam:

EGO

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

EGo PHILIPPUS Dei gratiâ Rex Franciæ. Et ego HENRICUS eadem gratiâ Rex Angliæ, ad omnium volumus tam præsentium quàm futurorum pervenire notitiam, quòd fœdus & amicitiam fide media & sacramento innovavimus, quam dominus meus Rex Francorum, & ego Rex Henricus Angliæ formaveramus inter nos apud Luen, in præsentia PETRI Cardinalis & RICARDI Wintonienſis Episcopi, & ut inter nos tollatur amodò omnis materia discordiæ, concessimus ad invicem quòd de terris & possessionibus, & de omnibus aliis rebus quas habemus, alter adversus alterum nihil amodò petet, excepto eo de Avernia, de quo est inter nos contētio, & excepto feodo de castro Radulfi, & exceptis munitionibus diversis terrarum nostrarum de Berri, si homines nostri quid inde interceperant, vel inter se vel adversus alterum nostrûm. Si autem super his quæ superiùs excepta sunt, per nosmetipsos convenire non potuerimus: ego Philippus Rex Franciæ elegi tres Episcopos & tres Barones, qui hoc inter nos dicent, & nos eorum dicto bona fide firmiter stabimus. Hæc autem omnia supraſcripta nos observaturos fide & sacramento promisimus. Acta sunt hæc quarto Kal. Julii inter Gisortium & Triam

MCLXXXI.	ALEXANDRI III. XXII.	FREDERICI I. XXVI. XXIX.	LUDOVICI VII. XLIV.	HENRICI II. XXVII.

ALEXANDER Papa hoc anno moritur, cùm sedisset annis viginti uno, mensibus undecim, diebus novemdecim. Hic quatuor vicit Schismaticos, quorum primus Octavianus se fecit vocari Victorem: secundus Guido se vocari fecit Paschalem: Tertius Johannes Strumensis vocatus est Calixtus: Quartus Lando se dixit Innocentium. Hujus tempore ejectus est Conventus sancti Anastasii cujus locum vindicavit Abbas S. Pauli favore Regis Schismatici, quem tamen locum postea Papa restituit Alexander. Hic Fredericum Romanum & Emanuel Constantinopolitanum Imperatores, Wil-

Alexandri Papæ acta præclara.

Digitized by Google

lelmúmque Regem Siciliæ ad concordiam revocavit. Episcopum autem Papiensem crucis & pallii dignitate privavit, quia Frederico Imperatori tunc, & ab antiquo Regibus Ecclesiæ persecutoribus adhærebat. Alexandro succeſſit HUBAUDUS Ostiensis Episcopus, natione Tuscus, vocatus LUCIUS tertius.

Ludowicus Francorũ Rex in graviſſimam ægritudinem incidit: cujus filius PHILIPPUS Rex junior inconsulto patre aliisque amicis filiam Comitis Hanoniæ duxit uxorem, quam in die Ascensionis Dominicæ, in offensam non modicam Archiepiscopi Remensis, fecit coronari ab Archiepiscopo Senonensi. LUDOVICUS Francorum Rex hoc anno obiit, & in quodam Monasterio Cisterciensis Ordinis quod ipse conſtruxerat, est sepultus. Obiit & JOHANNES Sareſberiensis, Carnotensis Episcopus, qui passionem beati Thomæ Martyris luculento stilo descripsit. Scripsit etiam librum de Nugis curialium, in quo honestatem vitæ Clericalis exemplis tam Sanctorum Patrum quàm plurimorum Gentilium, integumentisque fabularum suadet, quem Policraticon voluit appellari.

Moritur Ludovicus Rex Francorum.

Et Johannes Sareſberiensis Episcopus Carnot.

Rex Jerusalem BALDEWINUS dedit sororem suam nobili Militi GUIDONI de Kremyn, qui de ea genuit filium, quem regni Jerosolymitani sperabant heredem futurum. Obiit EMMANUEL Græcorum Imperator. Rex Malsamitorum in Africa cepit reædificare Carthaginem.

Emmanuel quoque Imperator.

Dicitur hoc anno apud Rocham Amatoris miraculum hujuscemodi contigisse. Monachi de Ecclesia beatæ Virginis à quodam Burgense pecuniâ acceptâ mutuo, eidem nomine pignoris cortinas Ecclesiæ tradiderunt. Postea verò instante glorioſæ Virginis festivitate ne Ecclesia suo destitueretur ornatu, rogabant Monachi præfatum Burgensem, ut cortinas eis concederet, restituendas statim post festum. Qui cùm ad hoc faciendum non flecteretur precibus, hoc respondit: Quia illæ cortinæ circa lectum uxoris suæ, quæ nuper filium pepererat, tendebantur, nec inde possent aliquatenus amoveri.

Digitized by Google

Transitâ igitur festivitate, nocte proximâ beata Virgo uxori illius Burgensis apparens, sic eam alloquitur: Vir tuus peccatum grande commisit, nec impietatis ejus excessus relinqui poterit impunitus. Tertiâ itaque die morietur filius tuus, & vir tuus die octavo debitum mortis solvet, pœnas juxta merita recepturus. Tu autem proficiscere ad Ecclesiam meam in Bethleem, & conspectis ibi tribus sepulcris, tibi medium eliges. Interim verò omni feriâ quartâ circa horam nonam deficiet vitæ spiritus tuus, & decurret ab ore tuo & naribus sanguis, & usque ad Nonam sabbati velut mortua permanebis. Sabbato verò eâdem horâ restituetur spiritus tuus tibi. His dictis beata Virgo disparuit. Mulier verò timore nimio expergefacta, somnium repetens, illud in crastino conjugi suo per ordinem enarravit. Qui mulieris verba parvipendens, nec etiam cùm videret tertiâ die filium morientem ad pœnitentiam commotus, octavo die juxta visionem præostensam debitum mortis solvit. Mulier marito defuncto Romam adiit, summóque Pontifici rem revelat: prænuntiavit etiam anno quinto post illum famem pestilentiámque futuram. Cupiens Apostolicus certior esse de his quæ narravit mulier duodecim Matronis nobilibus eam commendavit, præcipiens eis ut cùm illa deficiente spiritu obdormiret, plantis ejus calentes subulas infigerent, & de sanguine fluente ab ore & naribus ejus aliquas vestes intingerent. Hæc cùm fecissent illa nec in perforatione plantarum est mota, nec infectio vestium à sanguine in sabbato reverso spiritu ejus potuit apparere.

Ad Episcopatum Wigornienſem electus est hoc anno BALDEWINUS Abbas Fordensis. Obiit autem JOHANNES Episcopus Ciscestrensis, cui SIFRIDUS Canonicus Ecclesiæ ejusdem succeſſit. PHILIPPUS Comes Flandrensium auditâ Regum confœderatione, multos de suis & aliis contra Regem Francorum commovit, rem eò deveniſſe denuntians, ut munitiones eorum subverterentur, vel pro Regis arbitrio deputarentur custodiæ. FREDERICUM

Comes Flandriæ arma sumit adversus Regem Franciæ.

Digitized by Google

etiam Imperatorem nunc per se, nunc per nuntios sollicitavit, ut adversus Regem Franciæ insurgens, imperii limites dilataret. Comes verò ipse coadunato exercitu, Noviomenses attrivit, fines Sylvanectensium depopulatus est, succendítque villas, & vineas exstirpavit. Stephanus Comes dominus castelli quod Sacrum-Cæsaris dicitur, contra Regem iusurgens Flandriæ Comiti se subjecit. HENRICUS Angliæ Rex junior & frater ejus RICARDUS Aquitaniæ Dux, patre absente, maximo coadunato exercitu in subsidium Regis Francorum venerunt, & primò dominum castri quod Sacrum-Cæsaris dicitur, ad subjiciendum se Francorum Regis gratiæ compulerunt. Deinde Flandrensium Comitem cöactum in fugam, & in castello de Crespi receptum obsediſſent, nisi quorumdam suorum consilium obstitisset.

MCLXXXII. | LUCII III. I. | FREDERICI I. XXVII. XXX. | PHILIPPI II. I. | HENRICI II. XXVIII.

CIRCA finem mensis Julii HENRICUS Rex senior in Angliam transfretavit. GALFRIDUS filius Regis Angliæ filiam Conani Comitis Britanniæ sollemniter desponsavit. In sollemnitate Paschæ ad castrum quod dicitur Mouſ-aureus, quædam mulier infamis cùm acciperet Corpus Christi, non glutivit illud, sed posuit illud in arca sua involutum panno lineo. Cùm autem quidam amasius ejus aperiret eamdem arcam, invenit hostiam Dominici Corporis in effigiem carnis & sanguinis transmutatam.

Filius Regis Angliæ desponsat filiam Comitis Britanniæ.

Fatetur mater Soldani in extremis posita quòd occultè fuerit Christiana.

Mater Soldani Iconii, quæ ut supradictum est, soror fuerat Comitis sancti Ægidii, veniens ad extrema, revelavit filio suo quòd semper celaverat, quòd esset videlicet Christiana: rogavítque quòd crederet in Christum, & quòd diligeret Christianos. Cui Filius se non audere hoc apertè facere propter Paganos respondit. Dixítque mater: Fili cùm mortua fuero, excelsam mihi sepulturam fac sicut pyramidem, & super eam colloca signum crucis.

Digitized by Google

Qui cùm reſponderet ſe non audere hoc facere de die, dixit ei ut faceret de nocte, quo indignati Saraceni contra Principem ſuum, volebant eum occidere. Adſcendens autem quidam ut crucem deponeret, corruens exſpiravit. Alius quoque ad idem agendum adſcendens, caſum ſimilem experitur. Tertia verò die conveniente magnâ multitudine, ut ædificium illud dirueret, multi de eis coruſcatione & fulgure perierunt. Tunc fertur apparuiſſe Angelus Domini & clariſſimum ſignum crucis ſuper illam pyramidem poſuiſſe. Ex quo factum eſt ut multi in Chriſtum crederent, & venerando crucem illam humiliter adorarent.

GALFRIDUS Lincolnienſis filius naturalis Regis Henrici, cùm jam ſine conſecratione in manibus ſuis Epiſcopatum novem annis tenuiſſet, electioni de ſe factæ renuntiavit, & factus eſt Cancellarius patris ſui, cui pater in Anglia & Normannia reditus dedit magnos. Obiit ROGERUS Eboracenſis Archiepiſcopus, qui Eccleſiam ſuam multis ampliavit prædiis, & pulcherrimis ædificiis decoravit. Rex HENRICUS Anglorum jam quadrageſimum nonum annum agens, in pias cauſas, Jeroſolymitanorum præcipuè providens neceſſitatibus, quadraginta duo milia marcarum argenti & quingentas marcas auri diſtribuit: Pòſt in Normanniam transfretavit, ut vel Regem Francorum contra Comitem Flandriæ juvaret, vel inter eos pacem & concordiam procuraret.

MCLXXXIII. | LUCI III. II. | FREDERICI I. XXVIII. XXXI. | PHILIPPI II. II. | HENRICI II. XXIX

POST clauſum Paſcha convenerunt Sylvanectis, in præſentia HENRICI Albanenſis Epiſcopi, domini Papæ Legati, Reges Franciæ PHILIPPUS, & Angliæ HENRICUS tam pater quàm filius, PHILIPPUS Comes Flandrenſis, & alii qui ejus fuerant complices: interfuit & WILLELMUS Remenſis Archiepiſcopus, ubi facta eſt pax inter Reges & Comites in hac forma:

Pacem ferunt Reges Franc. & Angliæ, Philippus Comes Fland. & alii.

Digitized by Google

PHILIPPUS Comes Flandriæ reddidit Regi Francorum, & Rex eidem Episcopo Suessionensi, & Episcopus AGATHÆ, quæ fuit uxor HUGONIS de Orsi, quidquid eam hereditario jure contingebat, tenendum de ipso Episcopo, & Episcopus de Rege. Civitas Ambianensis concessione Regis Francorum remansit Episcopo Ambianensi de ipso Rege tenenda. Et si Comes Flandriæ quicquam in ea calumniabitur, Episcopus Ambianensis inde ipsi Comiti plenitudinem justitiæ in sua vel regia Curia exhibebit. Comes Claremontis, & Radulphus de Thusaco remanent ex toto in manu Regis Francorum, liberi omninò à Comite Flandriæ. Philippus quoque Comes Flandrensis clamavit quietum Henricum Regem filium Regis Anglorum de omnibus conventionibus quæ inter eos erant. Concessit etiam ut Barones Flandriæ plenariè faciant Regi Anglorum servitium quod ei debent de feodo quod de ipso tenent, & quòd feoda illa sine recuperatione amittant, nisi servitia ei fecerint. Convenit etiam ibidem inter Regem Angliæ & Comitem Flandriæ, quòd nullus ex suis amitteret terram in Flandria propter servitium Regis Angliæ, si sibi servituri in terram suam venerint. Omnibus igitur ad pacem reductis quotquot à fidelitate Regis Francorum & operâ discesserant, redierunt in ejus ligantiam, damna tam hinc quàm illinc illata mutuâ compensatione deleta sunt.

Annon * Radevus.

Dux Saxoniæ exul vadit in Normanniam.

HENRICUS Dux Saxonum Archiepiscopum Colonien. sem damnis & injuriis affecit, qui favore Imperatoris & Principum obtinuit, ut Dux in exilium cogeretur. Qui ad socerum suum Regem Anglorum Henricum patrem in Normanniam veniens, cum Ducissa & duobus filiis Henrico & Othone cum eodem triennio morabatur.

Obiit WALTERUS Roffensis Episcopus, in cujus successorem GWALERANNUS Bajocensis Archidiaconus electus ab Archiepiscopo Cantuariensi apud Lexovium in Episcopum consecratur. RICARDUS Oxoniensis Archidiaconus in Lincolniensem ab Archiepiscopo Cantua-

Digitized by Google

rienſi Andegavis conſecratur. Poſt reditum Archiepiſcopi in Angliam, Magiſter GERARDUS dictus Puella electus & conſecratus eſt in Epiſcopum Conventrenſem.

HENRICUS Rex Angliæ junior moritur, qui corpus ſuum legavit Eccleſiæ Rotomagenſi. Mortem ejus planxerunt Principes & Milites qui eum comitari ſolebant tanto dolore, ut nullus ab antiquis temporibus ei ſimilis audiretur. Cives Cenomannenſes per quorum urbem erat funus deportandum, cùm nocte in Eccleſia eorum majori quieviſſet, cœgerunt illud ibidem in craſtino ſepeliri. Sed Eccleſia Rotomagenſis, cui ſe donaverat jus ſuum non negligens, agente viro nobili Roberto Rotomagenſi Decano, Cenomannenſes poſt decem ſeptimanas compulit reddere ſibi funus. Quod à Cenomannis uſque Rotomagum quatuor videlicet dietis, nonniſi Principum & nobilium virorum cervicibus eſt delatum, ubi in Metropolitana Baſilica juxta majus altare à dextris, non ſine miraculorum gloria (ut nonnulli ſcribunt) honorificè eſt ſepultum. Mortem verò ejus Rex pater inconſolabiliter dicitur deploraſſe. Obit Henricus junior Rex Angl.

MCLXXXIV. | LUCII III. III. | FREDERICI I. XXIX. XXXII. | PHILIPPI II. III. | HENRICI II. XXX.

GERARDUS Conventrenſis cùm ſediſſet octodecim ſeptimanis, in fata conceſſit. RICARDUS Cantuarienſis Archiepiſcopus, cùm ſediſſet annis novem, hebdomadis quadraginta quinque, diebus quinque, mortem ſubiit apud Halinges, quæ eſt villa Epiſcopi Roffenſis. WALTERUS Lincolnienſis Epiſcopus in Rotomagenſem Archiepiſcopum poſtulatur. Rex Anglorum per Flandriam tranſiens venit in Angliam tertio Idus Junii. Dux Saxoniæ ſimiliter in Angliam venit, cui apud Wintoniam infra paucos dies Duciſſa peperit filium, nomine Willelmum.

Digitized by Google

Dissensio ob electionem Cantuariensis Archiep.

Lucius Papa Suffraganeis Ecclesiæ Cantuariensis, Priori & Conventui Monachorum Ecclesiæ Christi Cantuariensis scripsit, ut electionem Archiepiscopi accelerarent. Ad hanc monitionem Regísque convocationem convenerunt Suffraganei, & Monachi Cantuarienses primò Redingiæ, posteà Windelenforæ. Sed nulla facta est electio, Monachis ad hoc Suffraganeos renuentibus admittere quoquomodo. Tertiò Londoniam venerunt, ubi Suffraganei BALDEWINUM Wigornienſem Episcopum in Archiepiscopum elegerunt. Pronuntiavit electionem Gilbertus Episcopus Londonienſis; sed recusante electo ingressum Ecclesiæ Cantuariensis contra pacem Monachorum, recedentéque Rege, Prior cum Monachis reprobato facto Episcoporum, eumdem elegerunt, & ejus consecrationem à domino Papa Lucio impetrarunt.

Venit hoc anno in Angliam PHILIPPUS Colonienſis Archiepiscopus, habens secum Comitem Flandriæ, beato Thomæ vota debita soluturus. Quos Rex Angliæ Londoniam invitans, ipsos cum maximo honore susceþit. JOCELINUS Episcopus Sareſberienſis moritur decimo quarto Kal. Decembris. Philippus Colonienſis Archiepiscopus Angliam exiens, cum tota potestate Comitem Flandriæ juvit contra Baldewinum Comitem Hanonienſium sororium ipsius Comitis, socerúmque Regis Francorum. WILLELMUS etiam de Magnavilla Comes Essexiæ in auxilium Flandrensium transfretavit.

Patriarcha Jerosolymit. in Anglia subsidium petit.

REx Hungariæ MARGARETAM relictam Henrici Regis junioris Anglorum, Regis Franciæ sororem accepit uxorem. BALDEWINUS Cantuariensis Archiepiscopus, convocatis per Regem Prælatis & Proceribus, ad præsentiam HERACLII Patriarchæ Jerosolymitani, nuper

Digitized by Google

nuper ad ipsum Regem missi pro subsidio terræ sanctæ, verbum exhortationis proposuit coram eis. Quorum multi corde compuncti, crucis characterem acceperunt. Rex verò per manum Patriarchæ & Militum Templi in subventionem terræ sanctæ tria milia marcarum dicitur transmisisse, promittens nihilominus Patriarchæ succursum celerem affuturum.

Lucius Papa moritur, cùm sedisset annis quatuor, mensibus duobus, diebus octodecim. Eodem anno post vacationem trium dierum electus est in Papam URBANUS tertius, natione Lumbardus de civitate Mediolanensi, dictus priùs Umbertus. WALTERUS, natione Lincolnienſis quondam Episcopus cum processione sollemni Rotomagi in Archiepiscopum est receptus. Urbanus Papa III. electus.

Rex Anglorum cum Patriarcha, Episcopo Dunelmensi & Magistro Hospitalis mare transiens, diem Paschæ Rotomagi celebravit. Rex Franciæ audito Regis Anglorum adventu venit apud Vallem Rodolii, ubi de agendis Reges ipsi sunt mutuò collocuti. JOHANNES filius Regis Angliæ, militaribus armis cinctus à patre, ante transitum suum apud Windelfore, pridie Kal. Aprilis in Hiberniam transfretavit. Hugo de Laci dominus Undiæ à quodam infirmo homine octavo Kal. Augusti occiditur. HEREBERTUS Anglicus natione, transiens in Calabriam, factus est Archiepiscopus Consensanus*, & eodem anno cum Clero & familia ac magna parte civium obrutus est terræ motu. WILLELMUS Rex Siciliæ maximo ac fortissimo coadunato navigio, Durachium applicuit, villam cepit, & Andronicum invasorem Imperii interfecit. Cursat Angelus ex sorore Emanuelis Imperatoris progenitus, Constantinopolitanus Imperator efficitur. Rex Francorum Regem Anglorum infirmitate tactum visitavit secundo Idus Novembris, apud Beauver moram cum eo faciens triduanam. Septimo Idus Novembris apud Albam-Marlam reformata fuit pax inter Regem & Comitem Flandrensem, sed complementum non

al. * Consentianus.

Digitized by Google

accepit, quousque suum Imperator præbuisset assensum. Johannes filius Regis reversus est de Hibernia decimo-sexto Kalendas Januarii.

MORITUR GALFRIDUS Dux Britanniæ, Regis Anglorum filius tertius, & sepultus est Parisius in Ecclesia beatæ Virginis ante magnum altare. Hic ex uxore Constantia unam filiam habens nomine Alienoram, uxorem imprægnatam reliquit. Hoc anno beatus HUGO Prior cujusdam domûs Ordinis Cartusiæ in diœcesi Bathonensi, procurante Rege ob religionem & sanctitatem quam in eo plurimùm venerabatur, assumptus est ad Lincolnensis Ecclesiæ Præsulatum. HENRICUS Rex Teutonicus, filius Imperatoris duxit Constantiam amitam Willelmi Regis Siciliæ.

Pax firmata inter Regem Franc. & Comitem Fland.

Sexto Idus Martii juxta Gisortium redacta sunt ad pacem & concordiam, quæ vertebantur inter Regem Francorum & Comitem Flandriæ, de toto tenemento RADULFI quondam Comitis Viromandorum. Quinetiam quæstio quæ mota fuerat inter Regem Anglorum & Margaretam relictam filii sui Regis, tam super dote sua quàm super donatione propter nuptias, amicabili compositione finem accepit. Rex Anglorum unà cum Regina in Angliam transiens, in portu Hamtone applicuit quinto Cal. Maii. WILLELMUS de Veer vir nobilis genere, consecratus est in die S. Laurentii in Episcopum Herfordensem. WILLELMUS de Norhalla Archidiaconus Wigorniæ, fit Ecclesiæ ejusdem Episcopus.

Scripsit Papa Urbanus Baldewino Cantuariensi, ut quarta pars oblationum apud sanctum Thomam remaneret usibus Monachorum, alia verò quarta fabricis Ecclesiæ deputaretur, tertia quarta pauperibus erogaretur, & ultima quarta dispositioni Archiepiscopi relinqueretur. JOHANNES Cantor Exoniensis, factus ejusdem

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGL.

Eccleſiæ Epiſcopus. WALTERUS Rotomagenſis Archiepiſcopus cum offenſa aliquali Regis Francorum diſcedens ab eo, & per Flandriam tranſiens, venit in Angliam decimo quinto Calendas Decembris. Nuntii Regis Anglorum ad Regem Francorum miſſi, Noviomum recepti ſunt minimè gratiosè. Miſit tamen Rex Francorum nuntios proprios Milites ſuos, petens à Rege Anglorum quòd Ricardus filius ejus Comes Pictaviæ ceſſaret ab inquietatione Comitis ſancti Ægidii, ſi vellet Normannos ab infeſtatione eſſe quietos. GUIDO Joppenſis, Pictavenſis genere, SIBILLAM Regis Almarici filiam unicam & heredem habens uxorem, in menſe Auguſto Rex Jeroſolymorum efficitur.

MCLXXX. VII.	URBANI III. II.	FREDERICI I. XXXII. XXXV.	PHILIPPI II. VI.	HENRICI II. XXXIII.

HENRICUS Rex Angliæ decimo tertio Kal. Martii in Normanniam transfretavit. Obiit GILBERTUS Londonienſis duodecimo Kal. Martii. CONSTANTIA Comîtiſſa Britanniæ, relicta Galfridi, quarto Kal. Aprilis peperit filium, qui vocatus eſt ARTHURUS.

Diſcordia inter PHILIPPUM Francorum & HENRICUM Anglorum Reges ſuborta eſt propter caſtrum Giſortii, & alia quædam caſtra quæ Rex Angliæ tempore Ludowici Regis tamquam ad feodum Ducatûs Normanniæ pertinentia occupavit, Rex autem Francorum ea vindicabat tamquam data à patre in dotem filiæ, & poſt mortem Henrici Regis junioris ad Regem Franciæ reverſura. Fiunt igitur in terris eorum hinc inde incendia & rapinæ, munitionéſque deſtruuntur & caſtra. Cùm autem appropinquaret Rex Francorum caſtro Radulfi ut illud obſideret & caperet, Rex verò Anglorum ut illud defenderet & obſidionem impediret, paratíque eſſent Reges congredi, mediantibus viris quibuſdam prudentibus, cum Legatis Romanæ Eccleſiæ qui tunc pro pace reformanda venerant, datis induciis diſcedentes ab invicem, ad propria redierunt. Diſcordia Reg. Franc. & Angl.

Digitized by Google

Dum autem Reges ibi moram facerent, apud castrum vicinum quod Dolis dicitur, duo Brabanzones ludentes ad tesseras coram imagine beatæ Virginis super columnam Ecclesiæ positâ, maléque perdentes quod iniquè adquisierant, in verba blasphemiæ in Deum & beatam Virginem proruperunt. Quorum alter lapidem in imaginem projiciens, brachium imaginis parvi Iesu avulsit, statímque sanguis profluit, qui à multis qui in obsidione erant visus & collectus, multos à variis languoribus illo inunctos infirmos curavit. Brachium verò sanguinolentum Johannes Regis Anglorum filius inter reliquias cum magna veneratione secum portavit. Blasphemus autem ille infelix eodem die à dæmone quo agebatur arreptus, miserrimè vitam finivit. Hujus miraculi inter alia mentionem facit qui scripsit, miraculo adjiciens quòd imago Virginis fracto brachio parvi vestes suas divulsit. Asserit etiam se & sanguinem & vestem divulsam vidisse.

Magna clades Christianis inflicta.

Saladinus Princeps Damasci, commisso cum Christianis prælio victor effectus, cepit Guidonem Regem Jerusalem, Reinaldúmque Principem Antiochiæ & alios quamplurimos in prælio interemit. Capta est civitas Jerusalem, lignúmque sanctæ Crucis, & Judæa ferè tota cum civitatibus omnibus maritimis præter Tyrum. Cujus Archiepiscopus tam diræ cladis Nuntius ad orbem Christianum missus est, & specialiter ad Regem Anglorum Henricum, cujus fama longè latéque diffusa erat super divitiis, potentiâ ac virtute. Statímque præ aliis Ricardus filius Regis Anglorum, zelo Dei accensus ob ulciscendam crucis injuriam crucem accipiens, ceteros omnes præcedit facto quos invitat exemplo. Boamundus Comes Tripolitanus, quindecim diebus elapsis post captam Jerusalem proditionis reus, versus in amentiam exspiravit.

Hoc anno Urbanus Papa cùm de transmarinis partibus tam flebilem rumorem audîsset, præ nimio dolore obiit, sepultúsque est in Ferraria, cùm sedisset uno anno, mensibus

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

decem, diebus viginti quinque. Cui succeſſit GREGORIUS Octavus natione Beneventanus, priùs dictus Albertus, qui eodem anno miſſis litteris ad diverſas provincias pro terra ſancta, mortuus eſt, cùm ſediſſet menſe uno, diebus viginti ſeptem. Poſt vacationem verò dierum triginta, ſucceſſit CLEMENS tertius natione Romanus, ex patre Johanne Scolari. BALDEWINUS Cantuarienſis per litteras Apoſtolicas prohibitus eſt ab executione Eccleſiæ novæ quam inchoaverat apud Lamehuthe, & inſtitutione Collegii Clericorum. MARGARETA Regina Francorum peperit filium nomine LUDOWICUM.

Succeſſit Urbano Papæ Gregorius Octavus.

Et Gregorio Clemens Tertius.

MCLXXXVIII.	CLEMENTIS III. I.	FREDERICI I. XXXIII. XXXVI.	PHILIPPI II. VII.	HENRICI II XXXIV.

DIE decimo tertio Januarii convenientes Reges PHILIPPUS Francorum & HENRICUS Anglorum ad colloquium inter Triam & Giſortium contra omnium opinionem inſtinctu Spiritûs ſancti, pro liberatione terræ ſanctæ Crucis characterem acceperunt. Multi etiam Archiepiſcopi & Epiſcopi, Duces, Comites & Barones, aliíque inferioris gradûs homines innumeri cruce ſignantur cum eis. Fertur quòd Rex Anglorum primò ſuſceperat crucem albam ab Archiepiſcopis Tyrenſi & Rotomagenſi, poſtmodùm Rex Francorum ab Archiepiſcopis Tyrenſi & Remenſi crucem rubeam. Philippus quoque Comes Flandrenſis crucem viridem ab eiſdem. In coloribus autem crucis ceteri omnes ſe ſuis Principibus conformaverunt. Obiit RICARDUS Wintonienſis Epiſcopus tempore crucis ſignationis prædictæ. Rex Anglorum ſuſceptâ cruce Clericum ſuum Ricardum de Bare Archidiaconum Luxovienſem pro ſalvo conductu victualium, tam pro ſe quàm pro Rege Francorum miſit, ſcribens Imperatoribus Frederico & Curſat Angeli utrumque Imperatorem Romanorum ſemper Auguſtum vocans, addens tamen in littera Curſat Imperatoris Conſtantinopolitani à Deo coronatum. Qui eidem reſcriben-

Reges Franc. & Angliæ Cruce ſignantur.

Digitized by Google

tes, petitioni ſuæ benignè in omnibus annuebant. Duo verò Reges in loco eodem ob facti hujus monimentum crucem erexerunt ligneam, fundantéſque Eccleſiam inter ſe fœdus pacis perpetuæ inierunt. Locus autem ille Ager ſacer à populo appellatur.

Comes S. Ægidii à Rege Angliæ deficit.

Eodem anno Comes ſancti Ægidii, qui homagium fecerat pro Toloſa Ricardo Duci Aquitaniæ, filio Regis Anglorum, ab eo defecit, propter quod RICARDUS terram ejus ingreſſus, cepit Moſacum aliáque caſtella pertinentia ad jus Comitis antedicti. Rex autem Francorum pulſatus à Comite ſuper auxilio ferendo, contra legem fœderis terram Regis Anglorum ingreſſus, caſtrum Radulfi & quædam alia caſtra cepit. Quo audito Rex Anglorum ingreſſus terras Regis Francorum caſtrum Drocharum incendit, alia etiam caſtra cepit, villáſque & munitiones deſtruxit. Superveniente hieme uterque Rex datis induciis à bello ceſſavit. GALFRIDUS autem de Liziniaco quemdem familiariſſimum Ricardo Comiti Pictavenſi interfecit inſidiis. In cujus ultionem Ricardus plura ejus caſtella in deditionem accepit, hominéſque ejus trucidans, illis pepercit qui crucis volebant charactere inſigniri. Galfridus prædictus Regis Anglorum fultus auxilio & pecuniâ ut dicitur contra Comitem per tempus aliquod rebellavit.

Ad pacem redeunt Reges Franc. & Angl.

In octava S. Martini collocuti ſunt Reges prope Bonſmulins, procurante Ricardo Comite Pictavenſi, propoſuítque Rex Francorum quòd Regi Anglorum reſtitueret ea quæ ceperat poſt crucem ſuſceptam, & extunc manerent omnia in eodem ſtatu, in quo ante crucem ſuſceptam fuerant. Cui cùm reſpondiſſet Rex Anglorum, melius eſſe inter ſe firmam pacem inire conſilio tam Cleri quàm Baronum, quàm litem protrahere fortè damnoſam: contradixit filius Comes Ricardus timens quia hâc ſervatâ conditione Caturcum redderet & totum Comitatum, & alia plura de dominio ſuo pro feodo de caſtro Radulfi, & caſtrum Iſolduni & Craſari, quæ ſua non erant dominica,

Digitized by Google

licèt de eo essent tenenda. Petivit etiam per mediationem Regis Franciæ sororem ejusdem in uxorem, & ut terram suam sibi veluti heredi faceret juramento firmari. Renuente autem patre hoc protunc facere, quia coactio videbatur, Comes Ricardus Regi Francorum homagium fecit de toto tenemento patris in regno suo, salvo jure patris sui dum viveret; & salvâ fide quam patri debebat. Sícque finitum est colloquium, prorogatis treugis usque ad festum S. Hilarii.

Rex Jerosol. & Magister militiæ Templi redimuntur.

Eodem anno HERACLIUS Patriarcha, & BARISIANUS Neapolitanus, & REGINALDUS dominus Sidoniorum, Saladino Ascalonam & castellum quod dicitur Varon & Gazam, & Galatedidem, & Blancam-gardam, & Turrim militum, & castellum Arnaldi, & Petram-platam, & Neapolim, & Gibilinum & Joppen pro liberatione GUIDONIS Regis Jerusalem, & Magistri militiæ Templi reddere consenserunt. Convenit etiam ut unusquisque qui ei solvere posset quinque bizantia, & femina quæ posset solvere duo bizantia & dimidium, & puer qui posset solvere unum bizantium & dimidium, eruerentur à manibus Saracenorum, & conductum haberent transeundi usque Tyrum. Postmodum viginti milia hominum ducti sunt in captivitatem apud Damascum, & statim frater Regis liberatus est, & post Pascha sequens Rex & Magister Templi. Imperator FREDERICUS comminatorias litteras Saladino transmisit.

MCLXXX-IX. | CLEMENTIS III. II. | FREDERICI I. XXXIV.XXXVII. | PHILIPPI II. VIII. | HENRICI II. XXXV.

POst lapsas treugas inter Reges Francorum & Anglorum & Ricardum Comitem Pictavorum, bis habitum est colloquium prope Feritatem Bernardi. Ad ultimum post longos tractatus discordes ab invicem discesserunt. Rex Francorum & Comes Pictavensis copiis undique congregatis intra paucos dies Feritatem-Bernardi, Montem-fortem, Baahim, Bellum-montem, factis

Armatâ manu Rex Franciæ & Comes Pictav. urbes Regis Angl. occupant.

Digitized by Google

irruptionibus occupârunt, à municipalibus quoque circumquaque Comiti RICARDO fit deditio caſtellorum. GALFRIDUS de Meduana, GUIDO de valle, RADULFHUS dominus Fulgeriarum hoſtes Regis Anglorum, ad Ricardum Comitem transfugerunt. Rege Anglorum Cenomannis reſidente, appropinquabat Rex Francorum & Comes Pictaviæ cum armatorum multitudine copioſa. Rex verò Anglorum quamvis militum multitudinem maximam haberet paratam ad hoſtibus reſiſtendum, præcavens tamen obſidione vallari, Cenomannis ſufficienter victualibus refertam reliquit. In craſtino ſancti Barnabæ vehemens ignis à parte Regis Anglorum injectus intra modicum temporis ſuburbana conſumpſit. Rex Franciæ & Comes Pictavenſis urbem ingreſſi, cum proceſſione ſollemni in majori Eccleſia ſunt recepti. Poſt decimum diem turris prope portam, quæ reſpicit ad Aquilonem, de mandato Regis Anglorum Regi Francorum reddita eſt. Tandem pax inter tantos Principes Magnatûm conſilio reformata eſt in hunc modum: Anglorum Regi reſtituebantur omnia, tam Caſtrum Radulphi quàm alia poſt crucem ſuſceptam ablata, ſcilicet intra Bituricam provinciam. Regi Francorum numerata ſunt viginti milia marcarum expenſarum nomine, quas fecerat circa caſtrum Radulfi. Poſtmodùm Rex Anglorum homagium fecit Regi Francorum, & eidem quietum clamavit quidquid in Alvernia ipſe vel prædeceſſores ſui poſſederant. Facta ſunt hæc in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli.

Moritur Rex Angl. Henricus I & in Monaſterio Fontif-Ebral di tumulatur.

Rex autem HENRICUS poſt hæc cùm regnâſſet annis triginta quatuor, menſibus ſex, tribúſque hebdomadis, apud Chinonem in ægritudinem decidens, diem ſuum extremum clauſit in octava Apoſtolorum Petri & Pauli. Sepultus verò eſt apud Fontem Ebrandi in Eccleſia Monialium, quarum Monaſterium multis prædiis ditatum ipſe fundavit. Sollemnitatem ſepulturæ ejus peregerunt Turonenſis & Treverenſis Archiepiſcopi præſente filio Ricardo Comite Pictavenſi. Contulerat hoc anno Rex

HENRICUS

Digitized by Google

HENRICUS perpetuam eleëmosynam centum marcarum Capitulo Cistercienſium Monachorum.

Hoc anno in feſto S. Georgii FREDERICUS Imperator in terram ſanctam iter peregrinationis per terram arripiut apud Reyneſburgum per Hungariam, & ultra Danubium per Bulgariam tranſiturus. Veniens autem in Thraciam, cùm denegaſſet ei Imperator Græcorum ulteriorem tranſitum, divertens in Græciam Theſſalonicâ expugnatâ, & ſubactâ adjacente provinciâ, ibidem cum exercitu hiemavit. Hoc anno GALFRIDUS Elienſis obiit, cnjus bona quia inteſtatus deceſſerat ſunt omnia confiſcata. In Terram Sanctam vadit Imperator.

Expliciunt geſta HENRICI II. *Regis Anglorum.*

INCIPIUNT GESTA RICARDI REGIS ANGLORUM,

Qui ſecundus erat eorum Regum qui à Comitibus Andegavenſibus duxerunt originem, ſecundùm lineam maſculinam.

RICARDUS Comes Pictavenſium patri ſucceſſit in regnum, inter quem & Regem Franciæ ſunt conſummata quæ inter Regem Francorum & patrem ejus fuerant ordinata. Cui PHILIPPUS Rex civitates Turonenſem & Cenomanenſem reddidit, caſtellúmque Radulfi cum toto feodo. Quapropter Rex Ricardus Regi Francorum feodum Teriati & omnia quæ habebat in Alvernia dicitur quietaſſe, & quia poſt ſuſceptam crucem contra patrem arma moverat, apud Sagium ab Archiepiſcopis Rotomagenſi & Treverenſi abſolutionis beneficium petiit & recepit. Inde tendens Rotomagum ibidem ab Archiepiſcopo gladio & vexillo Ducatûs

Digitized by Google

Normanniæ insignitur. Et inde ordinatis rebus in Normannia, transfretans in Angliam apud Wintoniam in die Assumptionis Virginis gloriosæ, & apud Vestmonasterium in die sancti Ægidii receptus est cum processione sollemni. Die verò tertiâ sequenti quæ fuit Dominica, inunctus est sollemniter in Regem, ex officio manum ei imponente, & ministerium exsequente Baldewino Archiepiscopo Cantuariensi, assistentibus Archiepiscopis Rotomagensi, Treverensi & Dublinensi, ac Suffraganeis plurimis, & coronatus est, circumstantibus fratre suo Comite JOHANNE & matre eorum ALIENORA, quæ post mortem Regis Henrici, per mandatum filii sui Ricardi educta erat de custodia, in qua fuerat circiter decem annos: præsentibus etiam Comitibus & Baronibus Militibúsque, ac multitudine hominum infinitâ. Et cùm multis esset ista dies lætitiæ & exsultationis, Judæis tamen erat mala & amara valde. Cùm enim coronationi Regis se ingererent & repelli juberentur, putabatur ab omnibus judicium exitiale latum in eos: propter quod Londoniis eodem die destructi sunt, & multa postea per Angliam sunt perpessi.

Inunctus est Rex à Balduino Archiepiscopo Cantuar.

Destructi Judæi.

Triceſimum autem secundum ætatis suæ annum in coronatione compleverat Ricardus, cujus mores corporísque formam Ricardus Canonicus sanctæ Trinitatis Londonienſis, (qui itinerarium ejusdem Regis prosâ & metro scripsit) scilicet ea quæ ut ipse asserit præsens vidit in castris, per hunc modum describit: Subjectos omnes lætificabat Rex RICARDUS operibus suis, cui virtus inerat Hectoris, magnanimitas Achillis, quinimmo nostri temporis commendabiliores facilè multifariam transcendit, cujus velut alterius Titi dextera sparsit opes. Et (quod in tam famoso milite perrarum esse solet) lingua Nestoris, prudentia Ulixis in omnibus negotiis vel perorandis, vel gerendis, aliis merito excellentiorem reddebant. Quem si quis præsumptionis æstimaverit arguendum noluerit ejus animum vinci nescium, inju-

Ricardi Regis gesta scripsit Ricard. Canonicus Londonienſis.

Digitized by Google

riæ impatientem, ad jure debita repetenda innatâ gene- «
rositate compulsum congruè excusari. Erat quidem sta- «
turâ procerus, elegantis formæ, inter rufum & flavum «
mediè temperata cæsarie, membris flexibilibus & dire- «
ctis. Brachia productiora, quibus ad gladium tenden- «
dum nulla habiliora vel ad feriendum efficaciora, tibia- «
rum nihilominus longa divisio, totiúsque corporis dispo- «
sitione congrua species digna Imperio. Felix profectò «
supra hominem hic dio reputandus, si glorioſis ejus «
gestis invidentibus æmulis caruisset. «

Solennitate coronationis peractâ, & Magnatum terræ homagio fidelitatéque susceptis, ad sanctum Eadmum Regem est profectus. Inde contendit Cantuariam, ubi veniens ad eum WILLELMUS Rex Scotiæ homagium fecit & interveniente pecuniâ recepit castra Scotiæ, Berwicum, Rokesburgum, quæ Rex pater dum viveret, in sua retinuit potestate. Tertium enim castrum quod Puellarum sive Edemburgum dicitur, vivente adhue patre pro quodam maritagio fuerat restitutum. Pecuniâ etiam, interveniente Episcopo Dunelmensi, ejusdem patriæ vendidit Comitatum. Multa etiam alia vendidit, multorúmque cöacervatas pecunias sibi in terræ sanctæ subsidium acquisivit. Ad Regis etiam Ricardi imperium ad Episcopatus (quorum nonnulli priùs vacantes tenebantur in manu patris) electi sunt, & assentiente Rege inthronizati Episcopi tam in Anglia quàm in aliis terris: Inter quos fuerunt HUBERTUS Walteri Saresberiensis, & WILLELMUS de Longo-campo Eliensis, quem Rex suum Cancellarium, & totius Justitiarium regni fecit, RICARDUS Eliensis factus est Londoniensis Episcopus, & GALFRIDUS de Luci Wintoniensis.

Præparatâ itaque classe centum octo navium & ampliùs armis & victualibus onustarum, ceterísque ad iter transmarinum necessariis, regnóque Angliæ prout angustia temporis permisit disposito, transiit in Normanniam, & apud Lixovium egit festum Nativitatis Domi-

Digitized by Google

nicæ, votíque perſolvendi ſollicitus Regi Francorum ſcripſit, ſe ad iter terræ ſanctæ expeditum, exhortans ut & ipſe feſtinaret procedere ex patris argumentando exemplo, quòd ſemper nocuit differre paratis. Archiepiſcopus Treverenſis in Anglia moriens, ſepultus eſt Northamtoniæ apud S. Andream.

MCXC. | CLEMENTIS III. III. | FREDERICI I. XXXV. XXXVIII. | PHILIPPI II. IX. | RICARDI I. I.

CONVENERUNT Reges Francorum & Anglorum apud Druellos, ſuper diſpoſitione itineris ſui collocuturi, ubi primò turbati ſunt animo rumoribus auditis de morte Reginæ Franciæ & WILLELMI Regis Apuliæ ſororii Regis Ricardi. Revocatis tamen viribus condixerunt, ut uterque Regum in Octava S. Johannis Baptiſtæ cum ſuis Verzelliacum convenirent.

Imperator FREDERICUS cum Imperatore Græcorum in concordiam reductus, tranſito Baſſore ſeu Brachio S. Georgii Armeniam intravit, quæ partim ditionis Conſtantinopolitanæ eſt, partim verò reliquæ præſidet Soldanus Iconii, ubi per penuriam victualium & inſultus hoſtium ſuſtinuit damna multa. Sed cùm omnia vincens de hoſtibus triumphaſſet, in tranſitu cujuſdam fluvii ſuffocatur. Filius autem Dux Sueviæ funus paternum detulit uſque Tyrum. Quo ibidem ſepulto, Ptolomaïdam quæ & Achon dicitur obſidere cœpit infra Octavam Aſſumptionis Virginis glorioſæ. Principes autem Alemanniæ Henricum filium Frederici, quem ad cuſtodiam Imperii pater reliquerat, eligendo in paternum ſolium ſublimârunt.

Henricus VI. Imperator à Principibus Alemanniæ proclamatur.

Reges Francorum & Anglorum cùm Verzelliacum juxta condictum conveniſſent, fœdus de fide ſibi invicem ubique obſervanda & ſecuritate mutuâ percuſſerunt: ſtatuerúntque ut qui priùs ad civitatem Siciliæ Meſſanam perveniſſet, alterius ſubſecuturi patienter præſtolaretur adventum. Simul itaque profecti ſunt Reges uſque

Franciæ & Angliæ Reges fœdere inito Siciliam petunt, ut ſororem Regis Angliæ liberent, &c.

Digitized by Google

ad Lugdunum, ac inde Rex Francorum usque Januam, cujus cives sibi alligaverat veluti gnaros maris. Post cujus discessum fractus est pons, impeditúsque plurimùm fuisset transitus peregrinorum, nisi Rex Ricardus feciſſet citato opere ex cymbis invicem fortiter colligatis pontem qualem suggerebat imminens necessitas præparari. Post tridui verò moram Rex Ricardus de Lugduno profectus, versus Marsiliam iter suum direxit, ubi die proximâ post festum Assumptionis beatæ Virginis MARIÆ naves ingressus, diutinâ navigatione ad Messanam civitatem pervenit circa festum beati Archangeli Michaëlis, ubi & classem suam quæ à litore Britannico promota, prospero cursu & agmine inseparabili procellosas Africæ evadens angustias, tamquam in obsequium navigantium ventis conjuratis, optatum Messanæ applicuerat ad portum, invenit se ut mandaverat præstolantem. Regem verò Angliæ per aliquot dies prævenerat Rex Francorum.

Cùm autem indigenæ loci illius peregrinis molesti essent, & pro resarciendis injuriis Reges alloquerentur Justitiarios Regis Siciliæ, contigit ut cives quidam egressi homines Regis Angliæ perimerent, & nobilis viri Hugonis Brun tentoria invadentes, pertinaciter insisterent dimicando. Quorum satagens Rex RICARDUS animos verbis emollire, & à sævitia compescere, nihil profecit; sed contumaciores experitur se & suos opprobriis & contumeliis insectantes. Exasperatus itaque suos ubique armari jussit, & ipse armatus globo civium se ingerens, ipsos in civitatem coëgit velociter fugere, ipsámque civitatem obsedit, & per posternam quamdam cum suis ingressus subegit. Subactâ verò civitate maximâ civium multitudo occubuisset, nisi motus pietate parcere Rex jussisset.

Mittuntur igitur Nuntii ad Regem Siciliæ Tancredum requisituri super hominum suorum tam enormi commisso satisfactionem, & quid super his quæ gesta fuerant, censeret agendum. Mandavit præterea Rex RICARDUS eidem Regi, ut sorori suæ Reginæ, uxori quondam Wil-

Digitized by Google

lelmi Regis Apuliæ, quæ cum dote eidem assignatâ in custodia Regis Tancredi erat, super dote competenti provideret, & super portione thesauri mariti sui, quæ eam jure contigeret; super mensa quoque aurea æquâ sorte ei quæ illius uxor exstiterat dividenda. Super his Rex TANCREDUS primò locutus est in dubiis, asserens Regibus satisfaciendum pro tempore & loco & modo convenienti, de consilio Principum terræ suæ. Sed cùm perpenderet Regem Ricardum, qui jam castrum quoddam construere cœperat, quod in contemptum indigenarum qui vulgò Grifones dicuntur, Mategriffun appellavit, à cœptis non temperaturum donec pro voto consequeretur effectum: missis Legatis obtulit pacem & petiit concordiam, asserens se paratum si vellet interveniente pecunia cum eo amicitiæ fœdus inire, & pro dote Reginæ Siciliæ sororis suæ se daturum viginti milia uncias auri, & præter hoc alia viginti milia in maritagium cum quadam filia maritanda (si vellet) nepoti suo Arthuro filio & heredi Galfridi quondam Ducis Britanniæ. Quibus cùm assensisset Rex Ricardus, invitatus à Rege Tancredo sibi occurrere promittente civitatem Catinensium adiit, ubi uterque super alterius adventu eximiè est lætatus. Reversus verò Rex Ricardus de consilio Walteri Rotomagensis Archiepiscopi fecit denuntiari sub interminatione anathematis, ut quidquid auri vel argenti sive cujuscumque generis pecuniæ victorum manus in captione Messanæ diripuisset, civibus restitueretur in integrum. Pecuniam verò à Rege Tancredo acceptam, licet de jure confœderationis non teneretur, cum Rege Francorum ex mera liberalitate divisit. Quem in festivitate Nativitatis Dominicæ ad castrum suum de Mategriffun invitavit, & eum venientem cum turba nobilium veneranter excepit; celebritatéque juxta Regiam magnificentiam peracta, pretiosis diversi generis muneribus honoravit.

His temporibus JOACHIM Abbas Florensis fuit in Calabria, qui plures libros super Jeremiam, Apocalypsim &

Digitized by Google

de omnibus Prophetarum conſcripſit. Qui Regibus Francorum & Anglorum requirentibus de peregrinatione in terram ſanctam, quam faciebant, prædixit quòd nondum tempus debitum adveniſſet.

MCXCI. | CLEMENTIS III. IV. | HENRICI VI. I. | PHILIPPI II. X. | RICARDI I. II.

REx Francorum aſcenſis navibus ſabbato poſt Annuntiationem, verſus terram ſanctam de Meſſana progreditur civitate. Rex autem RICARDUS audito adventu Reginæ matris ſuæ ad civitatem Riſam, illuc obviam properat, ac eam inde ſecum uſque Meſſanam adduxit. Habebat autem Regina Alianora ſecum in comitatu nobilem puellam filiam Regis Navarræ, nomine Berengariam, Regis Ricardi futuram uxorem. Recuſaverat enim Rex Ricardus amore iſtius allectus ſororem Regis Francorum. Alianora Regis mater poſt aliquam moram, regrediens per bargas venit Salernam & inde in Normanniâ: præfatâ Berengariâ cum Rege Ricardo relictâ, quam unà cum ſorore ſuâ Reginâ Siciliæ præmiſit verſus Cyprum in navibus quæ vulgò dromones dicuntur, ipſe in galeis mox cum navibus onerariis ſecuturus. Die itaque Mercurii poſt Dominicam in Ramis palmarum, adſpirantibus auris cum claſſe navium copioſâ Rex progreditur, diverſa in illa navigatione maris pericula, & plurima experiens infortunia tempeſtatum, quarum vi diſperſæ ſunt naves, de quibus quædam prævenerunt Regem, quarum tres perieruut, & quidam qui inerant ſubmerſi ſunt, inter quos Rogerus Malus-Catulus Regis ſigillifer, cum cujus etiam corpore ſigillum poſteà eſt inventum. Eorum verò qui naufragium evaſerunt, vel qui integri pervenerunt ad terram, quidam ab indigenis perimuntur; quidam verò armis ſpoliati & in cuſtodiam intromiſſi inediâ affliguntur.

In Terram ſanctam Rex Francorum progreditur, Rex item Ricardus,

In die verò S. Johannis ante portam Latinam Rex RICARDUS cum univerſo comitatu ſuo poſt multos & fa-

Digitized by Google

ſtidioſos labores quibus retardatus erat, gubernante Deo, deductus eſt ad portum Cypri apud urbem Limezun. Nec ſtatim in terram aſcendit, ſed ad tempus ſe cohibuit infra naves. Auditis verò querimoniis ſuper hominum ſuorum diſcrimine, Imperatorem per nuntios ut ſuper illatis injuriis emendam faceret, requiſivit. Quo renuente armatâ manu violenter portum adquiſitis quinque galeis obtinuit, repulsíſque qui in terram deſcenſum prohibebant, primus de navibus egreſſus ſequentibus aliis, Imperatorem cum ſuis cõegit in fugam, captáque civitate quæ Limezun dicitur, Reginam Siciliæ & Berengariam, quæ eum in Buza prævenerant, ſed fixis anchoris in portu manentes applicare nolebant, timentes Græcorum qui inſulam habitabant malitiam, educi fecit & in villa hoſpitari, ut aliquali quiete, poſt tot maris tædia reficerentur. Sequenti die Rex eductis equis armíſque ſuis Imperatorem perſequitur, & cum eo congreſſus, ceteris fugientibus ex adverſo venientem lanceâ excipiens equo dejecit, & interfecto Vexillario ejus baneriam pretioſam lucri fecit. Exinde edicto publico præconizari fecit ut indigenæ pacis amatores eundo & redeundo ad libitum gauderent ſolitâ libertate. Quinto Idus Maii venit GUIDO Rex Jeroſolymorum, à Rege RICARDO conſilium & auxilium petiturus, ſuper eo quòd Rex Francorum Marchiſum quemdam diſpoſuit Regem Jeruſalem facere ipſo abjecto, cujus ut jus in regnum pateat, altiùs repetendum.

Item Rex Angliæ ad portum Cypri appulit.

Regum Jeroſolymorum progenies.

FULCO enim, pater Galfridi Comitis Andegavenſis avíque Regis Ricardi, in Regem Jeroſolymorum electus, de filia Regis Baldewini prædeceſſoris ſui duos filios genuit, Baldewinum & Amalricum: quorum ſeniore ſine liberis defuncto, junior regni diademate inſignitur, qui bino conjugio variam utriuſque ſexus progeniem ſuſcitavit. Ex prima namque uxore filium genuit nomine Baldewinum, filiámque Sibillam. Baldewinus regnum paternum adeptus licèt leproſus, cùm careret liberis, filium

Digitized by Google

lium ſororis Baldewinum deſignavit dignitatis regiæ ſucceſſorem. Quo unà cum patre defuncto, nupſit mater ejus Sibilla Guidoni, qui per uxorem paternum ſolium vindicantem adſcendit ad regiam Majeſtatem. Sed ipsâ cum prole quam de ea genuerat defunctâ, Guido de regno paſſus eſt calumniam. Amalricus enim ſupradictus de ſecunda uxore duas genuit filias, quarum una defuncta, ad alteram jure ſucceſſionis hereditariæ devolutum eſt regnum: & quia iſtam duxerat Marchiſus præfatus, Guidonem de regno expellere ſatagebat. Rex itaque RICARDUS GUIDONEM venerabiliter excepit, & rebus tenuem pecuniâ pretioſiſque muneribus honoravit.

In craſtino verò qui erat dies Sanctorum Martyrum Nerei & Achillei, contractum eſt matrimonium inter Regem Ricardum & BERENGARIAM filiam Regis Navarræ, quæ & ibidem præſentibus Archiepiſcopo Burdegalenſi, & Epiſcopis Ebroïcenſi & Banerienſi coronatur & inungitur in Reginam. Ricardus Rex Angliæ uxorem ducit Berengariam Regis Navarræ filiam.

Poſt hæc per mediationem Prioris Hoſpitalariorum inter Regem & Imperatorem Cypri facta eſt concordia ſub hac forma: Obtulit enim Imperator ſe juraturum fidelem fore Regi Ricardo, & quòd quingentos Equites ſecum duceret Jeroſolymam juxta Regis Ricardi diſpoſitionem, & ne ſuper hoc Regi ſcrupulus dubii remaneret, caſtra ſua omnia & munitiones regiis obtulit cuſtodibus mancipanda. Præterea in ſatisfactionem pecuniæ direptæ daret marcas quingentas. Si autem Rex juxta conditiones datas fideliter perpenderet eum militaſſe, reſtitueret ei cum amicitia perpetua munitiones & caſtra. Cùm autem Rex RICARDUS conditiones has acceptaſſet, ecce ſequenti nocte quodam milite Pagano de Cayphas ſuggerente mendaciter Imperatori, quòd Ricardus volebat eum rapere & vinculis mancipare: Imperator ipſe mutato propoſito ad urbem Famaguſtam tentoriis ſuis relictis aufugit. Quo audito, perſecutus eſt eum Rex Ricardus, & omnia regni ejuſdem caſtra munitionéſ- Cogit armis Imperatorem ad pacis conditiones ſibi peroportunas.

Digitized by Google

que, in quarum una capta est Imperatoris filia, subegit. Perpendens autem Imperator se satis urgeri adversis, missis Legatis ad Ricardum Regem pro agenda causa sua, ipse à castro suo de Tandora descendens, subsecutus est habitu lugubris & vultu dejectus, veniénsque ad Regem, se misericordiæ ejus ex toto submisit. Sic infra quindecim dies Ricardus Insulam Cypri obtinuit, & suis eam inhabitandam commisit.

Rex ad transfretandum accelerat, sarciníque dispositis & spirantibus ventis soluta est à litore classis. Sulcantibus verò mare circa Sidonem versus Baruth apparuit navis quædam magnitudine mirabilis, tribus malis altissimis fastigiata. Ferebatur autem onerata centum camelorum sarcinis, omnis generis armorum magnis cumulis, balistarum, arcuum, pilorum & sagittarum; ibíque inerant Saracenorum Admirati, & octingenti Turci electi, & præterea diversi generis victualia omnem æstimationem excedentia, habebant & ignem græcum abundanter in phialis, & ducentos serpentes pernicioſissimos in Christianorum exitium procuratos. Hanc navem cùm didicisset esse Saracenicam à Saladino missam in subsidium obsessorum in Achon, jussit suis eam fortiter oppugnare. Sed cùm perciperet non absque magno discrimine navem integram posse capi, ut galeatores sui attemptaverant, jussit ut unaquæque galea navem perpungeret rostris suis feriatis. Galeæ itaque retroactæ multiplicatis remorum impulsibus cum impetu feruntur in navem ad ejus latera perforanda, statímque navis soluta mergi cœpit. Turci verò ut mortem evaderent exsilientes, partim undis partim gladio perierunt. Trigintáque tantùm retinuit Rex vivos, septem scilicet Admiratos, & alios machinarum conficiendarum peritos, ceteri perierunt cum serpentibus, armis & victualium magna parte nave pessumdatâ.

Civitas Achon à Regibus Franc. & Angl. capitur.

Rex versus Achon gaudenter properans, septimo Idus Junii applicuit cum magno exercitu bellatorum, cui

Digitized by Google

ſtatim concurrentes Piſani, ſe ejus obſequiis mancipaverunt. Cùm didiciſſet autem Regem Franciæ ſingulis militibus pro menſe quolibet tres aureos dare, ipſe quibuſque volentibus ſtipendiis ſuis militare quatuor erogavit. Poſt dies autem paucos graviſſimam incurrit ægritudinem, quæ vulgò arvoldia vocatur, ex ignotæ regionis conſtitutione cum ſua complexione naturali minimè concordante. Invitatus nihilominùs per Regem Franciæ ad aſſultum faciendum, cùm ſe morbo excuſaret, ipſe Rex Franciæ in Octava S. Johannis cum ſuis urbi dedit inſultum. Sed cùm non proficeret, quin immo machinas & alia inſtrumenta bellica igne græco correpta diſſipari per Turcos vidit, ex tædio in languorem dicitur incidiſſe: citò tamen convaleſcens iterùm civitati dat inſultum, cui interèrant homines Regis Ricardi. Et ipſe quidem licèt non plenè convaluerit, gerendorum tamen ſollicitus, ſe illuc in culcita ſerica deportari fecit, ſedénſque ſubter cleia, ſuâ cujus erat peritus utebatur balliſtâ, cujus jaculo Saraceni cujuſdam, qui in armis militis Chriſtiani nuper occiſi gloriabundus, in eminentiori loco muri ad invidiam Chriſtianorum ſe oſtenderat, pectoris ampla transfixit. Cúmque turres & muri civitatis ex una parte per machinas Regis Franciæ, & ex alia parte per machinas Regis Angliæ diruerentur & conquaſſarentur, Saraceni qui intus erant, miſſis ad Reges Legatis petierunt inducias, ſpondentes quòd niſi Saladinus citò eis deſtinaret adjutorium, civitatem redderent, eâ conditione ut obſeſſi liberè abirent cum armis & omnibus quæ erant eorum. Sed ne huic petitioni aſſentiretur, obſtitit Rex Ricardus, aſſerens eſſe nimis grave poſt tanti temporis laborioſam obſidionem intrare vacuam civitatem. Regreſſi igitur, conſultóque per internuntios Saladino, (qui remandavit ut pacem facerent quam poſſent) iterum diebus aliquibus elapſis Regibus obtulerunt, ut civitatem ipſam redderent, & crucem duóque milia Chriſtianorum nobiliorum, & quingentos captivorum

Digitized by Google

inferiorum, ita quod obſeſſi egredientes, nihil præter camiſias aſportarent, daréntque pro redemptione capitum ſuorum Saracenicorum duo milia talentorum, & ſuper his fideliter obſervandis, traderent obſides nobiliores Turcorum qui invenirentur in urbe. His conditionibus admiſſis, reddita eſt Regibus civitas Achon quarto Idus Julii, & obſides traditi. Fit igitur æqua diſtributio civitatis, in ſortem Regis Franciæ ceſſit Templariorum nobile palatium, Regi Ricardo palatium regale, in quo Reginas uxorem poſuit & ſororem, armorum quoque & victualium repertorum & obſidum proportionaliter diviſionem ſortiuntur æqualem.

Diſcordia inter ipſos Reges, ſed ſtatim ſopita.

Poſt dies paucos inter Reges gravis ſuboritur diſcordia, dum Rex Francorum Marchiſi partem vindicantis regnum Jeruſalem fovet, Ricardus verò Rex partem Guidonis: quæ tamen procurantibus viris diſcretis his conditionibus conquievit, videlicet ut Guido regiam obtineret ad vitam dignitatem, Marchiſus verò qui heredem regni duxerat, haberet Comitatus Tyri, Sydonis & Baruth, defunctóque Guidone, regni diademate inſigniretur. Quòd ſi Guidonem & Marchiſum cum conjuge contingeret humanis rebus eximi, dum Rex Ricardus in partibus illis moraretur, ipſe de regno ordinaret, ut commodius videretur.

Exeunte itaque menſe Julii, Rex Francorum repatriare diſponens, Ducem Burgundię loco ſuo reliquit. Ante tamen diſceſſum ſuum conventus à Rege Ricardo de mutua conſervanda fidelitate ſecuritatis, juravit quòd ſuis aut terræ ſuæ non noceret, quamdiu Rex Ricardus in peregrinatione maneret, nec etiam poſt reditum in terram ſuam ante dies quadraginta exactos. Diſceſſit igitur Rex Francorum à terra ſancta in die S. Petri ad vincula, datis ei ad rogatum ſuum à Rege Ricardo galeis duabus, qui tam beneficii quàm juramenti immemor, in ſuo reditu in Franciam terras Regis Ricardi invaſit. Rex Ricardus poſt diſceſſum Regis Francorum, omnem adhibuit

Digitized by Google

operam muris civitatis Achon in altiùs & perfectiùs reparandis. Reliquerat autem Rex Franciæ in manu Ducis Burgundiæ & Marchisi partem suam obsidum, ut de eorum redemptione, quam æstimabat ascendere ad centum milia aureorum, usque ad Pascha relictam ibi militiam exhiberet. Cùm autem Gallici aliam penitùs non haberent exhibitionem, plurimùm murmuris & contentionis inter eos ortum est, quousque Ricardus Duci Burgundiæ super obsides sibi relictos marcarum quinque milia commodaret. Exeunte autem redemptionis termino, & exspectatâ ulteriùs unâ septimanâ, cùm non esset qui de redimendis curaret, de assensu omnium in crastino Virginis gloriosæ obsides omnes, reservatis tantùm aliquibus majoribus, si fortè vel ipsi redimerentur, vel pro eis aliqui Christiani captivi liberarentur, à satellitibus decollantur. Exinde progreditur Christianus exercitus Duce Rege Ricardo versus Ascaloniam maritimam civitatem.

Pervenit autem exercitus ordinatis dictis, progrediens post multas à Turcis illatas molestias, ad fluvium qui vulgò dicitur Rochetaille. Exercitus autem Turcorum ex omni Paganismo congregatus, qui æstimabatur ad trecenta milia hominum, ascendens haud longè à loco exspectabat, paratus bello accipere Christianos. In vigilia itaque Nativitatis beatæ Virginis, Rex RICARDUS cùm Christianorum exercitum, qui centum millia hominum non excedebat, ordinasset per acies, ipse unà cum Duce Burgundiæ & electa militum sequela hinc inde oberrans, undique observabat à dextris & à sinistris, sollicitiùs Turcorum perpendens habitudinem, ut juxta quod videret expedire producendum exercitum castigaret. Victoria de Turcis à Rege Angliæ reportata.

Congressis itaque agminibus dira pugna committitur, ac in Marte ancipiti diutiùs dimicatur; sed auxiliante Deo provenit Christianis victoria, qui fugatis Turcis & interfectis, spolia plurima sunt adepti. Referebant qui ad locum certaminis redierant, se numerasse Turcorum Ad-

Digitized by Google

miralios repertos occiſos eo die triginta duos, de aliis verò ſeptem milia, exceptis vulneratis qui divertentes à certamine, ſparſim poſtquàm defecerant jacuêre per arva defuncti. De exercitu verò Chriſtianorum non ceciderat in bello Turcorum comparatione ſaltem pars decima, vel etiam decima decimæ. His auditis, Saladinus præcepit omnia caſtra dirui præter Jeruſalem, Crek* & Darum.

* *Infrà* Crak *dicitur.*

Rex Ricardus cognito quòd muri Aſcalonis ex deſperatione diruerentur, voluit illuc exercitum ducere: & eam à diruentibus eruere, muróſque ejus reparare, eo quòd eſſet civitas maritima, & peregrinis valde opportuna, quòd ſi compleviſſet, fuiſſet terra tota à Turcis penitùs liberata. Sed renitentibus huic conſilio Gallicis, ad reparationem Joppe plurimùm laborabat. Exeunte verò jam menſe Septembri minorabatur valdè exercitus multis diſcedentibus per navigium uſque Achon, & ibi morantibus in tabernis. Quos cùm per mediationem Regis Guidonis revocare non poſſet, Rex Ricardus ad exercitum ipſe illuc profectus, & efficaciſſimè verbum faciens ad populum de fide & ſpe quæ in Deum eſt, & de peccatorum remiſſione dummodò peregrini fuerint non ficti, quamplurimos ab Achon uſque ad Joppe ſecum reduxit: Quò etiam Reginas cum puellis tranſtulit, ſeptem ibidem ad cöadunandam gentem commorans ſeptimanis.

Cùm autem die quadam cum pauciſſimis familiaribus cum falconibus ſuis ſpatiatum egreſſus eſſet, ex itinere fatigatus & laboris pertæſus, in loco quodam ſub divo dormivit: & ecce cum impetu irruebant Turci, ut ipſum comprehenderent improviſum, qui ex advenientium fremitu expergefactus, equum adſcendit, & extracto gladio cum ſuis Turcis obviam procedit fugámque ſimulantes inſequitur acriùs uſque ad locum inſidiarum ipſorum. Unde ſubitò erumpentes plurimi Regem cum pauciſſimis ſuis circumdederunt, quem tunc humano deſti-

Digitized by Google

tutum auxilio comprehendiſſent, ſi ejus plenam notitiam habuiſſent Sed ecce confuſo certamine contendentibus, unus ſociorum Regis nomine Willelmus de Pratellis, exclamavit idiomate Saracenico, ſe Regem eſſe affirmans. Cui Turci credentes, ipſum Willelmum comprehenſum confeſtim ad ſuum exercitum deduxerunt captivum. Fama facti perveniens ad exercitum, ipſos ad arma commovit, qui dum progrediuntur Regem quæſituri, revertenti occurrunt. Abierunt enim Turci longiùs, putantes ſe Regem adducere, cujus quatuor ſocii in bello ceciderant interfecti. Poſt hæc Rege cum exercitu proficiſcente, ad reparandum caſellum de Planis, cuſtodibus de Joppe præcepit, ut ſatagerent conſummare muros, portúmque ejus ſtrictiſſimè obſervarent, ne quis abiret de populo præter mercatores victualia apportantes. Dum verò Ricardus Rex duorum caſellorum de Mayen & Planis reſtaurationem inſtaret, ſæpe Turcorum impetus qui Chriſtianos multipliciter infeſtabant repreſſit, de quibus etiam plures (inter quos duos Admiralios nobiles) interfecit.

Fœdus init Rex Angl. cum Saladino.

Menſe Novembri cùm Rex Ricardus per Legatos à Saladino exegiſſet ex integro Regnum Siriæ, & tributum de Babylone, obtulit Saladinus ſub forma pacis totam terram Jeroſolymitanam; ſcilicet à flumine Jordane uſque ad mare occcidentale Chriſtianis liberam, ita ut dirueretur Aſcalon, nec à Chriſtianis reædificaretur in poſterum vel à Turcis. Attendens autem Rex Ricardus res turbatas, bellíque caſus eſſe in ambiguo, dilapſum populi, & Regis Francorum diſceſſum, decrevit hanc pacem admittere, ita quod caſtrum de Crak diruerent Saraceni. Denique Rex Saphadinum fratrem Saladini in familiaritatem recollegit, ſperans per ejus mediationem celeriùs aſſequi votum ſuum; ſed cùm negotii exitum non videret, certior etiam factus quòd caſtrum de Crak volebat Saladinus diruere, perpendit Saphadinum ſibi tantùm verba de-

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

disse, propter quod se avertit ab eo, profectus cum exercitu versus Ramulam, cujus muros diruens Saphadinus aufugit. Saladinus etiam de castro Darum se transstulit in Jerusalem, cujus exercitus relictus abiit ad Montana. Rex autem de Pamula cum exercitu progrediens, Betenopolim pervenit, ubi quia sperabat populus in proximo videre Dominicum sepulcrum, eximiè lætabatur.

CLEMENS Papa mortuus est, cùm sedisset annis tribus, diebus sexdecim. Hic Claustrum apud S. Laurentium foris muros ordinavit, & Lateranense palatium fecit altius, & puteum fecit ante equum æreum fieri. Successit huic CÆLESTINUS, natione Romanus, consecratus in die Dominicæ Resurrectionis. In crastino verò consecrationis suæ, id est feriâ secundâ Paschæ, HENRICUM sextum ad Imperium coronavit, qui eodem mense scilicet Aprili cum maximo exercitu intravit Apuliam. Eodem etiam mense Regnum *Tusculanum traditum est Romanis, & ab eis destructum. Eodem anno sol obscuratus est nono Kal. Julii, à tertia hora ferè usque ad nonam. Imperator terram Apuliæ cepit usque Neapolim, ipsámque urbem obsedit per menses tres, ibíque tanta infirmitas invasit ejus exercitum, quòd omnes ferè mortui sunt: reversúsque est languens Imperator cum paucis. Accepit hic uxorem CONSTANTIANI, Regis Siciliæ filiam.

f. * castrum.

MCXCII.	CÆLESTINI III. I.	HENRICI VI. I. II.	PHILIPPI II. XI.	RICARDI I. III.

Dissuasus Rex Angliæ Jerusalem obsidere, restaurat Ascalonem.

REX RICARDUS convocato consilio, cum viris sapientibus & discretis tam peregrinis quàm illius terræ incolis tractare cœpit & inquirere, an expediret ulteriùs progredi versus Jerusalem: qui omnes unanimi decreto protunc obsidionem Jerusalem dissuaserunt, multas & varias allegantes rationes, quarum una & maxima quia civitatem non expediret capere, nisi statim deputarentur viri robustissimi qui custodirent civitatem, quod non posse fieri æstimabant. Præsertim cùm perpendissent plebem

Digitized by Google

plebem avidiſſimam ad conſummandam peregrinationem, ut inde repatriarent ſinguli ſine mora. Redeundum ergo ſenſerunt, & Aſcaloni inſiſtendum reparandæ: quæ ſententia cùm innotuiſſet plebi, inæſtimabili dolore contabuit. Cùm autem reverſus eſſet exercitus uſque Ramulam, cœpit plurimùm diminui, parte Francorum maximâ recedente, quorum quidam Achonem, quidam Joppen, Tyrum ad Marchiſum dirigunt iter ſuum. Rex Ricardus nihilominus cum Henrico Comite Campagniæ, & reliquo exercitu Aſcalonem perrexit. Naves autem Regis quæ cum victualibus Aſcalonem tendebant, galeæque illuc tranſmiſſæ vi tempeſtatis cum omnibus quæ in eis fuerant, perierunt. Rex itaque omnem operam muris Aſcalonis reparandis adhibuit, propriis manibus ut exemplum daret aliis laborando: cùm tres partes civitatis diligentia & ſumptibus Regis RICARDI conſummatæ eſſent, contigit ut per domeſticos Saladini mille ducenti Chriſtiani captivi verſus Babyloniam ducerentur. Quibus cùm veniſſent ad caſtrum quod Darum dicitur, ſupervenit cum manu militum electa Rex Ricardus, & excuſſis de manu Turcorum captivis Turcos fugientes inſequitur, quorum plurimis occiſis, triginta vivos de majoribus comprehendit ſecúmque Aſcalonem adduxit.

Dum autem Rex reſiduæ parti murorum Aſcalonis totis viribus intenderet, ſtipendiáque Francis deeſſent, Dux Burgundiæ quem Rex Francorum Capitaneum ſuorum reliquerat, à Rege Ricardo pecuniam mutuò ſibi concedi petivit. Cui cùm Rex Ricardus non annueret eo quòd pecuniæ ſibi antea cõmodatæ ſolutio in nihilum defluxiſſet; Dux cum Francis ſuis ab Aſcalone diſcedens, perrexit in Achon, ubi cùm Piſanos & Januenſes inveniſſent invicem confligentes, in auxilium Januenſium, qui partem Marchiſi zelabant ſe conferunt. Piſani verò prævalentes eos à civitate excluſerunt, portas ejus firmiter obſerantes. Quò adveniens Marchiſus cùm urbem tribus

Digitized by Google

diebus oppugnaſſet, audito quòd Rex Ricardus à Piſanis vocatus adveniret, reverſus eſt Tyrum. Reformatâ autem pace inter Piſanos & Januenſes, Rex & Marchiſus ex condicto ad caſellum Imberti convenerunt ad colloquium, ubi cùm monuiſſet Rex Marchiſum, ut ad unitatem exercitûs rediret, & juvaret adquirere regnum ad quod aſpirabat, quod & ei aliàs per Legatos Rex mandaverat, nolentem obtemperare de conſilio Majorum abjudicavit à terris reditibúſque promiſſis. Adveniente Paſchâ ſe velle diſcedere dicebant Franci, quos ut ulteriùs remanerent, Rex Ricardus nullis precibus & promiſſis ſtipendiis potuit obtinere.

In ſollemnitate Paſchali Saladinus ad Dominicum veniens ſepulcrum, cùm vidiſſet lampadem divino igne accendi, & per eum bis exſtincta tertiò accenderetur, aſſeruit vel ſe in brevi moriturum, vel civitatis ſanctæ dominium amiſſurum. Mortuus eſt autem proximâ Quadrageſimâ ſequente.

Johannes Regis frater Angliam uſurpat. Poſt Paſcha venit de Anglia Prior Herfordenſis, miſſus ad Regem per WILLELMUM Epiſcopum Elienſem Regis Cancellarium, nuntians dictum Cancellarium alióſque per Regem ad Regni cuſtodiam deputatos, jam fuiſſe à munitionibus terræ exturbatos, & quòd procurante JOHANNE fratre Regis fugatus erat idem Cancellarius de Anglia in Normanniam. Poſt cujus diſceſſum præfatus JOHANNES à regni Comitibus & Proceribus juramenta & fidelitates ac ſubjectiones caſtrorúmque cuſtodias pertinaciter exigebat, necnon & manus extenderat ad Regii fiſci præſtationes annuas uſurpandas, quæ dicuntur de ſcaccario. Confederatus enim fuerat Regi Francorum, qui magnam pecuniam ei mutuò tradidit, ut fratri ſuo Regi Ricardo gravamina ſuſcitaret. Conturbatus Rex RICARDUS hujuſcemodi nuntio, repatriare diſpoſuit, relictis ibi trecentis militibus & duobus milibus peditum, quos ſuis ſtipendiis exhiberet. Communicato ſuper hoc conſilio, cùm prudentiores ſentirent

Digitized by Google

ante ejus receſſum in illa terra Regem ſtatuendum, obtulit Rex ſe illi daturum regnum quem de duobus eligerent, MARCHISO ſcilicet, vel GUIDONE, qui omnes Marchiſum elegerunt: quorum redarguens Rex levitatem, quòd priùs Marchiſo detraxerant, ſtatim per Legatos Marchiſum vocavit. Qui antequàm veniret ad Regem, cùm comediſſet die quâdam cum Epiſcopo Belvacenſi, à duobus aſſaſinis rediens eſt occiſus. Poſt cujus mortem petebant Franci, qui nondum diſceſſerant, ab uxore Marchiſi civitatem Tyri conſervandam ad opus Regis Franciæ ſibi reddi: quæ reſpondet eis, ſe nulli eam reddere, niſi Regi Angliæ, ſicut dominus ſuus moriens ordinavit.

Poſt hæc ab univerſo populo in Regem Jeruſalem eligitur Comes HENRICUS Campaniæ, ſuper quo eximiè lætatus Rex Ricardus, ſtatim eidem civitatem Achon conceſſit in dominium ſempiternum. Poſt hæc profectus Rex Ricardus ad caſtrum Darum, quod erat fortiſſimum, decem & ſeptem turribus munitum, obſidione poſitâ, infra quatuor dies cepit, captum verò dedit Henrico Comiti, jam in Regem electo, cum pertinentiis omnibus adquiſitis. Cepit poſt hæc caſtrum quod dicitur Ficuum. Redeunti deinde per Cannetum Sturnellorum, occurrit Clericus quidam veniens de Anglia nomine Johannes de Alenton, nuntians Angliam turbatam per JOHANNEM Comitem fratrem Regis, qui à Rege Franciæ crebris intercurrentibus nuntiis ſollicitabatur ad hujuſmodi nefariam proditionem. Super quo valde commotus, cùm omninò repatriare diſpoſuiſſet, poſt ſermonem cujuſdam Capellani eleganter eidem moram ulteriorem perſuadentis, mutavit propoſitum.

Henricus Comes Campaniæ Rex eligitur.

Deinde Rex Bethonopolim profectus diſpoſuit Jeruſalem obſidere, ubi audito quòd Turci ſederent in montanis in inſidiis, illuc profectus ipſos comprehendit improvidos, de quibus plurimis interfectis, cepit Præconem Saladini, plurimámque lucratus eſt prædam. Cùm autem apud Majores altercatio eſſet de obſidione Jeruſa-

Conſilio virorum prudentum judicatur Babyloniam potiùs quàm Jeruſalem eſſe obſidendam.

Digitized by Google

lem, Rex de communi omnium consensu eligi fecit viginti viros, quinque Templarios, & quinque Hospitalarios, quinque Syrianos illius terræ indigenas, & quinque de peregrinis, qui jurati arbitrarentur, quid de obsidione Jerusalem agendum utilius deputarent. Qui convenientes in unum, post deliberatum tractatum, omninò judicabant esse commodius Babyloniam obsidere. Iterum nuntiatur Regi ab exploratoribus carvannam * Saracenorum de Babylonia egressam versus Jerusalem profecturam. Ad quam comprehendendam Rex cum exercitu progressus, ipsam juxta Rotundam cisternam bipertito exercitu in custodes & duces irruens comprehendit. Turcorum equitum ibi peremptorum in locis diversis æstimabatur numerus ad mile septingentos, exceptis peditibus in plurima multitudine ad internecionem contritis. Camelorum verò & dromedariorum onera portantium æstimabatur numerus ad quatuor milia septingentos: Multitudo verò mulorum onerariorum sub numerum non cadebat. Portabant enim diversi generis species pretiosas, aurum & argentum, pallia holoserica, purpuram, cycladas, ostrum & multiformium ornamenta vestium: præterea arma varia, tela multiplicia, infinitas loricas, culcitas de serico acu variatas operosa, papiliones & tentoria pretiosissima, panes biscoctos, frumentum, ordeum & farinam, electuaria plurima, pelves, utres, & scaccaria, ollas argenteas & candelabra, piper, cuminum, zacarum* & ceram, aliásque diversorum generum species electas, pecuniam infinitam, & rerum copias innumerabiles. Asserebántque plurimi quòd nullorum numquam temporibus præliorum tanta simul & semel fuerant adquisita, quibus revertente Rege cum exercitu usque Bethanen deductis, divisit ea Rex inter milites & servientes proportionaliter juxta merita singulorum.

Vulgò une caravane.

Insignem refert Rex Angliæ victoriam de Turcis.

* saccharum.

Profectus inde Rex venit Bethonopolim, ubi cùm dilaberetur exercitus desolatus, eo quòd dissuaderetur obsidio Jerusalem, nec à Saladino potuit impetrare in-

Digitized by Google

ducias niſi diruta Aſcalone, juſſit Rex caſtrum Darum ſolo tenus dirui, & de Hoſpitalariis, Templariis & aliis, trecentos milites miſit, qui cuſtodirent & munirent firmiſſimè Aſcalonem. Rex cum reliquo exercitu Achonem contendit. Eâdem vero die quâ Rex Achonem venit cum exercitu, in craſtino ſcilicet ſancti Jacobi, Saladinus cum maximo exercitu veniens Joppen civitatem obſedit. In die verò S. Germani effracto muro ingreſſi ſunt Turci, diripientes omnia & deſtruentes, Chriſtianóſque quoſque crudeliter perimentes, turrim etiam principalem in quam multi confugerant, ſtatim expugnaſſent, ſi non fuiſſent per Patriarcham induciæ acceptæ uſque ad horam nonam diei ſequentis, ita ut niſi tunc veniret ſubſidium, redderetur Turcis, ſolveréntque qui in turri erant Saladino pro capite ſuo decem bizantia, mulier quinque, puer tria. A principio verò obſidionis nuntii miſſi in Achon pro ſubſidio quærendo, invenerunt Regem ſe ad repatriandum parantem. Iámque ſeptem galeas cum gente armata, ad capiendum caſtrum Baruth per quod erat tranſiturus, præmiſerat. Qui audito ſtatu civitatis Joppe, aſcendens naves cum aliquibus militibus illuc per mare contendit, reliquo exercitu terreno itinere gradiente. Venti autem contrarietate triduo retardatus, tandem in portum Joppe pervenit nocte præcedente diem ſabbati, cujus hora nona terminus erat reddendæ turris & præfatæ redemptionis ſolvendæ. Cognito autem Regis adventu, ruunt Turci catervatim in litus parmas habentes & ancilia, & ne quâ parte liber pateret applicantibus aſcenſus, Turcorum reſiſtentium pluunt denſiſſimè jacula, ſagittæ & pila, fervet litus obſitum hoſtium multitudine, quorum equites profundius in mare ſe agebant, certatim ſpicula miſſuri, ne quando poſſent litus occupare appulſi. Cùm autem nonnulli ſuaderent Regi nihil ulterius tentandum, quia tot milia hoſtium litoris aditum aſſerebant impoſſibilem, nec credibile eſſe aliquos qui liberarentur eſſe ſuperſtites, præſertim

Joppenſis civitas à Turcis obſeſſa liberatur ab exercitu Chriſtiano.

Digitized by Google

cùm jam Turci terminum prævenientes præfixum à mane bizantia exigerent, & nihilominùs poſt ſolutionem poſtpoſita fidelitate quoſque interficerent. Ecce ad Regem Sacerdos quidam natando pervenit, qui in galeam Regis admiſſus, ſpiritu fatigato & palpitante adhuc corde, ait ad Regem: O Rex magnifice gens reſidua quæ tuum aſpirat adventum, enſes laniſtarum vibratos cervicibus opperitur exertis, ſicut oves occiſionis jam jam perituri, niſi te cooperante divinum adſit adjutorium. Cui Rex: Num ſupereſt quiſquam? aut ubinam loci? Cui Sacerdos. Etiam Domine, coram illa turri coartantur jam feriendi. Quo audito, pereat, inquit Rex, modò qui non proceſſerit. Galeis igitur ad ejus imperium ad litus propulſis, ipſe primus tibias inermis ſe miſit in mare pube tenus: poſt Regem primi erant & proximi GALFRIDUS de Baſco & PETRUS de Pratellis: hos omnes alii ſequebantur, proſilientes in mare & verſus litus pedites procedebant. Rex autem ſingularis præſtantiæ, balliſta quam manu geſtabat, Turcos in litore paſſim proſternit, cujus etiam comites electi per litoris ampla Turcos cedentes perſequebantur. Neque enim ulteriùs viſo Rege erat eis ſpiritus, nec eidem appropiare audebant. Litore à Turcis evacuato, Rex per cocleam quamdam quam fortè perſpexerat in domibus Templariorum ſolus, primus intravit, ſuiſque ſequentibus juſſit ſuas banerias eminentiùs explicari. Quibus cognitis Turcorum multitudo, quæ ad tria milia intra civitatem æſtimabatur, plurimùm conturbatur. Rex cum ſuis extracto gladio progrediens, Turcos jam fugientes inſequitur, & qui in turri erant reſumptis viribus egreſſi, regiæque militiæ conjuncti, horrendam ingerunt Turcis cædem. Saladinus autem audito Regis adventu, & ejus congreſſu cum his qui civitatem occupaverant: avulſis papilionibus velociter fugiendo abſceſſit. Rex autem Ricardus poſt diſceſſum Saladini in eodem loco papiliones & tentoria fixit. In craſtino verò die Dominicâ duobúſque diebus ſequentibus ſollicitè procu-

Digitized by Google

ravit murorum diruta reparari, sed sine calce & cæmento, ut qualemcumque qui in urbe erant munitionem haberent.

Interim quidam de genere Saracenorum dicti Coridui & Menelones de Halapia, juventus videlicet expedita mutuum inière fœdus, arroganter jactantes, quòd Regem RICARDUM in suo tentorio comprehensum præsentarent infra biduum Saladino. Horâ igitur noctis mediâ procedunt armati ad lunæ splendorem, super agendis ad invicem conferentes, & ecce Deus misericordiarum, qui in ipsum sperantes non negligit, in eos spiritum contentionis immisit, & dum inter se certant qui pedites præcedere, qui equites debeant observare, sic procedendi moras innectunt, quòd apparuit diei aurora. Egressus itaque de castris forte fuerat Ianuensis quidam ad loca campestria, qui audito itinerantium strepitu obstupuit, & demisso capite vidit eminùs scintillare contra cælum vertices galearum. Cursu igitur rapido ad castra reversus, non cessabat clamare voce vehementi ut se armarent celeriùs universi. Rex ex clamore audito expergefactus, de statu suo prosiliens, loricâ induitur, suósque jubet armari, quorum quamplurimi ex articuli urgentis conturbatione consternati, nudis tibiis procedebant ad bellum, nonnulli etiam sine feminalibus raptim armati, totâ die sic in prælio permansuri.

Jam propinqui facti sunt Turci. Cùm ecce Rex equum processurus adscendens, socios equites tantùm decem habebat, videlicet Comitem HENRICUM, Comitem Leicestriæ, BARTHOLOMÆUM de Mortuomari, RADULFUM de Malo-leone, ANDREAM de Chevegni, GIRARDUM de Furmuralle, ROGERIUM de Laci, WILLELMUM de Stagno, HUGONEM de Nevilla servientem probissimum, HENRICUM Teutonicum, ROGERUM signiferum. Hi tantùm equos habebant. Per ordines igitur disponuntur agmina, & singulis castigandis assignantur Præfecti, locis maritimis destinantur milites probiores, quo-

Digitized by Google

niam eo versus se præcipitabant Turci agmine densiori: extra hortos suburbanos assignantur Januenses & Pisani cum commixta gente diversa. Irruunt Turci clamore horrendo, ad quorum impetus excipiendos Christiani milites se aptabant, dextrum genu solo figentes, pedúmque dextrorum articulos affigebant in terra: pedes verò sinistros sinuato poplite habebant, manus sinistræ tenebant clypeos, dextræ lanceas, quarum capita posteriora in terra figebantur, anteriora verò cum cuspide ferrata adversariis irruentibus opposita tenebant. Rex inter quoslibet duos sic aptatos, duos statuit balistarios, quorum unius officium esset tendendi, alterius jugiter pila jaciendi: quod non modicùm nocuit hostibus, & plurimùm profuit Christianis. Hostilis exercitus per septem erat ordinatus acies & turmas, quarum quælibet quasi milenis constabat equitibus. Harum prima militibus Christianis prædicto modo dispositis appropians, cùm jam immineret irruitura, quia Christianos attendit immobiles, subitò resiliens divertit ab eis in partem. Eodem modo secunda acies, & tertia, reliquæque modo simili. Cùm jam cominùs viderentur præliaturæ, versuta calliditate in partem alteram flexis loris equos celeriùs regirabant. Quod cùm Rex diutiùs prospexisset, non æstimans eos aliud acturos, cum his qui equos habebant, subditis equo calcaribus, demissis lanceis vehementiùs agebatur in turbam hostium densiorem, consertóque graviſſimo prælio, Rex Comitem Leicestriæ, equo dejectum defensurus advenit citiùs, eique ad scandendum equum obsequium præstitit: videns etiam Radulfum de Maloleone captivum trahi ab hostibus, celeriùs accurrit, & à manibus Turcorum creptum eum restituit sibi ipsi. Rex itaque eâ die adeò jugi vexatus est exercitio, ut cutis dextræ vibrantis gladium rumperetur.

Interea factus est clamor magnus à facie Turcorum, jam villam Joppe certatim occupantium. Quo audito, Rex cum multitudine balistariorum, equitibus tantùm duobus

Digitized by Google

duobus eum comitantibus accurrit, & in ipsa platea duos Turcos sibi obvios dejiciens, equos duos lucrifecit, repulsisque Turcis, mandavit murorum interrupta reparari, adhibens custodes qui civitatem custodirent ab incursione Turcorum. Deinde ad litus maris accedens, plurimos qui in galeis fugam tentabant efficacissimis verbis ad prælium revocavit, cum quibus ad locum pugnæ unde digressus fuerat veniens, ferocissimo impetu in Turcorum dimicantium se turbam ingessit: qui Regem undique circumvallantes, itaut nusquam videretur à suis, conabantur opprimere. At ille tantâ vivacitate in illa Turcorum multitudine se agebat trans ausus hominum, ut ad nullius pavens occursum, hostes transverberaret undique irruentes. Inter quos Admiralium quemdam ceteris eminentiorem & insigni cultiorem apparatu unico sed admirabili vulnere interfecit, qui cùm alios velut desides redarguens, equo sublimi vectus, rapido cursu obvius Regi dejiciendo venisset, irruenti multipliciter armato Rex gladium totâ virtute objiciens, caput cum scapula dextra & brachio amputavit. Quo viso, ceteri Turci viam spatiosam cedentes, à longè sagittas & pila tantùm in ipsum emittere satagebant. Regis itaque corpus circumquaque obsitum pilis creberrimis infixis, sicut ericius aculeis, similiter & equus ejus sagittis hærentibus in ejus phaleris horrebat innumeris. Sic miles eximius regressus est à pugna gravissima à mane commissa usque ad vesperam. Miranda quidem relatu & fortè fide censebuntur indigna, tam longè impari numero perdurasse certamina: sed revera Dei miserantis opitulatione non ambigendum hoc esse patratum, cùm in illa die funesta nostrorum corruerint unus vel duo tantùm, Turcorum verò ampliùs quàm septingenti.

Porrò ex illius prælii fatigatione cadaverúmque fœtore, (unde locus corruptus est, itaut quamplurimi morerentur) Ricardus Rex incidit in languorem. Invalescente autem ægritudine nimiùm, Rex de recuperanda Rex Angl. in morbum incidit.

Digitized by Google

Inducíæ inter Chriſtianos & Turcos.

ſanitate deſperatus eſt. Unde tam pro aliis quàm pro ſeipſo nimis anxius, maluit minùs inconveniens eligere, ut inducias exigeret, quàm ſi infecto negotio recedens, terram depopulandam omninò deſereret, ſicut & omnes alii fecerant, jam catervatim in navibus abeuntes. Obtinuit itaque à Saladino inducias ſub hac forma; Videlicet ut Aſcalon quæ ſuperſtes Saladino terrori erat, diueretur à nullo hominum reparanda ante terminum trium annorum ad Paſcha proximum incipientium: poſt triennium verò quiſquis ſuperiori vigeret potentiâ, Aſcalonem occuparet. Conceſſit autem Saladinus ut Joppe reſtauraretur, Chriſticolis liberè & quietè inhabitanda, cum univerſa regione vicina, locíſque, maneriis * & montanis. Confirmandam etiam ſanxit & inviolandam pacem inter Chriſticolas & Saracenos, ſalvúmque utrorumque per omnia eſſe meatum, & ad ſanctum Dominicum ſepulcrum abſque cujuſcumque penſionis exactione acceſſum, & cum libertate tranſitum deducendarum rerum quarumcumque venalium per omnem terram, & ad liberè exercenda commercia. Annuit & huic formæ Rex Ricardus, quia nimirum ſperare non poterat potiorem, utpote æger & quàm modico fretus auxilio, & non prorſus aberat ab inimicorum ſtatione duobus miliariis. Scriptis & juramentis confirmatis indutiis, Rex uſque Caypham ſe ut potuit procuravit deduci, ut ſanaretur: acceptis ibidem ſalutiferis medicinis ſtatuit, ut populus qui vellet liberè Dominicum viſitaret ſepulcrum, utque oblationes ſuas reportaret Joppen, ad auxilium conficiendorum murorum. Populus igitur in tres turmas dividitur, quarum primæ præfuit ANDREAS de Chevengni, ſecundæ ROBERTUS Teſſun, tertiæ HUBERTUS Sareſberienſis Epiſcopus, quorum expeditâ peregrinatione, Saladinus Epiſcopum ad ſui colloquium invitavit. Poſt quod obtulit Saladinus Epiſcopo, ut ab eo peteret quod optaret: qui ut apud Dominicum ſepulcrum & in Bethleem atque Nazaret, duo Preſbyteri Latini cum toti-

Gal. les manoirs.

Digitized by Google

dem Diaconis divina honestiùs quàm anteà celebrarent obtinuit.

Interea Regis Ricardi navigium instruitur, & omnia necessaria ad reditum præparantur. Redit Rex Ricardus, Tunc pro WILLELMO de Pratellis redimendo, decem ex nobilioribus Turcis commutandos liberos dimisit. Die autem S. Dionysii RICARDUS Rex naves adscendit, & circa festum beati Martini ex diuturna tumultuantis pelagi jactatione jam pertæsus navigationis, applicuit in terra Imperii Constantinopolitani: verùm quoniam suspectam habuit Imperatoris, & Græcorum suorum versutiam, nolens ibi videri, cum piratis fortè inventis pacisens, dato quantum postulaverant naulo, exegit ab eis ut expeditiùs ipsum in terram commodiorem transveherent. Relictâ igitur classe Regiâ, habitu mutato se Regem dissimulans, cum quatuor tantùm sociis transvectus est Sclavoniam, inde pertransiens Aquileïam cùm intrasset terram LIMPOLDI* Ducis Austriæ captus est in civitate Wienna decimo-tertio Kal. Januarii, quem Dux Limpoldus exosum habens pro morte Marchisi, de qua suspectum Regem habebat, carceri mancipavit. Ab hac tamen morte Princeps Hassacenorum à quibus (ut suprà patuit) interfectus est Marchisus, Regem Ricardum per litteras hujuscemodi excusavit, **Idest* Liutpoldi Rex Angl. à Duce Austriæ carceri mancipatur,

LIMPOLDO Duci Austriæ Vetus de Monte salutem;

« Cùm plurimi Reges & Principes ultra mare, Ricardum « Regem Angliæ & dominum de morte Marchisi incul- « pent: juro per Deum qui in æternum regnat, & per le- « gem quam tenemus, quòd in ejus morte nullam culpam « habuit. Est causa siquidem mortis ipsius Marchisi talis. « Unus ex fratribus nostris in unam navem de Satelia ad « partes nostras veniebat, & tempestas illum fortè apud « Tyrum appulit, & Marchisus fecit illum capere & oc- « cidere, & magnam pecuniam ejus rapuit. Nos verò « Marchiso Nuntios nostros misimus, mandantes ut pecu- « niam fratris nostri nobis redderet, & de morte fratris «

Digitized by Google

» noſtri nobiſcum ſe concordaret : & noluit, necnon &
» nuntios noſtros ſprevit, & mortem fratris noſtri ſuper
» Reginaldum dominum Sidonis poſuit, & nos tantùm fe-
» cimus per amicos noſtros, quòd in veritate ſcivimus,
» quòd ipſe fecit illum occidere & pecuniam rapere. Et
» iterum alium nuntium nomine Edriſum miſimus ad eum,
» quem in mare mergere voluit, ſed amici noſtri illum à
» Tyro feſtinanter fecerunt recedere, qui ad nos citò per-
» venit & iſta nobis nuntiavit. Nos quoque ex illa hora
» Marchiſum deſideravimus occidere túmque duos fratres
» miſimus ad Tyrum, qui eum apertè & ferè coram omni
» populo Tyri occiderunt. Hæc utique fuit cauſa mortis
» Marchiſi, & bene dicimus vobis in veritate, quòd Domi-
» nus RICARDUS Rex Angliæ in hac Marchiſi morte
» nullam culpam habuit : & qui propter hoc domino Regi
» Angliæ malum fecerint injuſtè fecerint & ſine cauſa.
» Sciatis pro certo quòd nullum hominen hujus mundi
» pro mercede aliqua vel pecunia occidimus, niſi priùs
» nobis malum fecerit : & ſciatis quòd litteras fe-
» cimus iſtas in domo noſtra ad caſtellum noſtrum Meſ-
» ſiat in dimidio Septembris, anno ab Alexandro mil-
» leſimo quingenteſimo quinto. Hinc proculdubio Regem conſtat eſſe innoxium, quia falſæ conceptæ præſumptioni ritè præjudicat ſpontanea rei confeſſio : ſed ubi motibus ſuis indifferenter agitur præcipitata voluntas, ratio non videtur locum habere, nec eſſet vitium ſi non ratione careret.

Poſt autem aliquod tempus Limpoldus Regem Ricardum Imperatori HENRICO ſexto reddidit, quem ille uſque Maguntiam tranſtulit captivatum.

MCXCIII. | CÆLESTINI III. II. | HENRICI VI. III. | PHILIPPI II. XII. | RICARDI I. IV.

REx Franciæ per litteras HENRICI Imperatoris de captivitate Regis Ricardi certificatus, poſtpoſitâ fide fractóque juramento, quo ſe præfato Regi Ricardo

Digitized by Google

ante receſſum ſuum de Achon adſtrinxerat, invaſit terras ejuſdem in manu hoſtili. Cui Gilbertus de Vaſcolio domini ſui effectus proditor, caſtrum munitiſſimum Giſortii ſuæ commiſſum cuſtodiæ reddidit. Ipſe etiam Rex multa caſtra vicina cepit, atque in brevi cum potente exercitu totum Wlcaſinum Normanniæ occupavit. Ulteriùs verò progreſſus cepit urbem Ebroïcam, & Eccleſias Dei contrivit in ſpiritu vehementi, non pepercit Epiſcopatui,* Abbatiis, aliiſve Monaſteriis, quinimmò Monachos ejiciens, reditus eorum in proprios uſus convertit. Cepit & Vallem Rodolii, ac Novum-burgum, Rotomagúmque obſedit, ſed cùm nihil proficeret, combuſtis petrariis & mangonellis iratus diſcedens, obſidionem circa Demolium poſuit.

* *Ideſt* Epiſcopio, *ſeu* domui Epiſcopali.

Interea Cælestinus Papa & multi Principes Germaniæ indignè ferentes Regem Angliæ ab Imperatore, cui per Ducem Auſtriæ redditus erat, detineri captivum, ſuggeſſerunt ei ut liberum dimiſſum ſineret ad propria remeare. Neque enim merita ejus ſic recompenſanda erant, qui pro totius Chriſtianitatis negotio tot periculis expoſitus fuerat, & laboribus tantis attritus. Imperator verò in ſui excuſationem dicebat ſe ab eo exigere pecuniam, quia terram ſuam Siciliam aſſeruit eum ſpoliaſſe, contra quod Rex Ricardus ſe nihil niſi dotem ſororis ſuę à Rege Tancredo retulit exegiſſe. Dum hæc aguntur, taxato ab Imperatore redemptionis pretio uſque ad ducenta millia marcarum, Alianora mater Regis procuravit in omni gente ſua collectam fieri plurimam, variarúmque diſtractionem rerum, ut ad taxatam ſummam redemptionis cenſus excreſceret. Accipiebantur etiam ab Eccleſiis calices, vaſa quoque aurea & argentea in uſus Eccleſiaſticos conſecrata: Nec erat hoc ſecundùm Patrum decreta illicitum, cùm urgentiſſimus inſtaret neceſſitatis articulus.

Digitized by Google

Anni Domini MCXCIV.	Papæ Cælestini III. III.	Imp. Henrici VI. III. IV.	Reg. Franc. Philippi II. XIII.	Reg. Angl. Ricardi I. V.

Rex Angliæ liberatus Regnũ suum petit.

RICARDUS Rex quarto Nonas Februarii pecuniâ redemptionis solutâ liberatus, à Maguntia tetendit in Coloniam, ab Archiepiscopo civitatis illius instantissimè invitatus, à quo in Ecclesia Cathedrali receptus Missam audivit, ipso Archiepiscopo Cantoris officium supplente, & officium illud, *Nunc scio verè*, celebriter inchoante. Deinde accelerans in Angliam, tertio Idus Martii apud Sandwicum applicuit, statímque Londonias accessit, & inde Wintoniam, ubi præsente WILLELMO Scotorum Rege regiam portavit coronam. Portus denique marinos statuit observari, ne qua videlicet externorum vel indigenarum annonas frugum vel cujuscumque generis victualium, aliena deportaret in regna, intendens ut propriorum quæ gigneret ubertate bonorum Anglia non careret. Coros frugum vel modios rerum venalium, sive quascumque mensuras quæ tunc temporis diversissimæ plurimis habebantur in locis, per totum regnum fieri statuit uniformes: quas ne quis fortè minueret, vel quocumque modo vitiaret, summitates vasorum hujusmodi jussit circulis ferreis coronari, similiter & de amphoris seu metretis quas vulgò *galones* dicimus. Statuit mensuras legitimas & apud singulos provinciarum Præfectos vel urbium Præpositos conservari, ut sint hujusmodi regulæ mensuras ad probandum, & falsas cùm necesse fuerit cõvinciendas. Telas etiam pannorum in latitudine per totum duarum ulnarum infra oras atque ubique fideliter çquè contextas, sine quocumque fuco vel super inductione fallaci fieri statuit: alterius schematis inventas, nonobstante cujuscumque auctoritate indigenæ seu alienigenæ, à Regiis Ministris comburi. Fecit etiam fieri ulnas ferreas quas diminuere de facili nemo possit. Unam insuper monetam per totam terram ad magnam populi utilitatem, qui ex ejus diversitate gravabatur, statuit admittendam. Sophisticationes pannos vendentium, qui ex repercussione

Variæ leges ab eo latæ.

Digitized by Google

meliorum colorum, vel ex adumbratione locorum colores adulterinos gratiores reddebant, penitus abolevit.

Ad hæc etiam Judæis procuratores præposuit, qui inter Christianos & Judæos, vel etiam inter ipsos Judæos si quid querelæ emergeret diffinirent. Ad cohibenda etiam dolosa Judæorum machinamenta statuit inter Catholicum & Judæum nihil clam contrahendum, sed sub quorumdam testimonio ad hoc deputandorum publicè contractus fieri, super quibus trina conficerentur scripta, quorum unum apud fiscarios, aliud sub custodia viri fide digni, tertium verò penes Judæum creditorem maneret, in quo si quid doli ut priùs machinarentur, ex duplici convincerentur producta scriptura. Christianum feneratorem fieri prohibuit, aut quacumque conventionis occasione aliquid recipere ultra id quod mutuò concessisset. Quòd si quis fortè reditus vel terras in pignus acceperit, unde annuum proveniret emolumentum, receptâ tantùm sorte obligata possessio rediret ad dominum, nonobstante pactione cujuscumque termini nondum transacti. Hæc & alia populo terræ pro necessario zelo justitiæ à Rege constituta, toto ejusdem tempore servabantur illæsa. Justitiariis autem suis præcepit, ne cuiquam conquerenti justitiam denegarent. Advertens etiam nonnullas Ecclesiarum campestrium argenteis carere calicibus, cùm didicisset eos suæ redemptionis occasione sublatos, sibi tanquam reo imputans ad culpam, divina minus dignè in hac parte celebrari, jussit fieri per loca diversa calices quamplurimos, eósque Ecclesiis indigentibus distribui sine mora.

Arma sumit adversus Regem Francorum qui Vernolium obsidebat.

Cùm apud Westmonasterium in aula sua quæ dicitur Parva, die quodam pranderet, certum accepit rumorem, quòd Philippus Francorum Rex ingressus Normanniam Vernolium obsideret, quo audito jurasse fertur, se numquam aversurum faciem, quousque Regi Francorum cum eo pugnaturus occurreret, unde effracto muro è directo, per aperturam factam cujus hodie vestigium

Digitized by Google

oſtenditur egreſſus, acceleravit ad mare, quartóque Idus Maii in Normanniam transfretavit, ubi obvium habens JOHANNEM fratrem ſuum, eidem miſericordiam petenti ſuper commiſſa, culpam incunctanter indulgendo, hoc dicitur reſpondiſſe: Utinam apud me delictum tuum in oblivionem tranſeat, ita quòd apud te permaneat in memoria quod feciſti. Normanni adventu Regis Ricardi confortati, civitatem recuperaverunt Ebroïcam. Rex autem Francorum omiſsâ obſidione Vernolii, ne revertendo Pariſius nihil feciſſe videretur, munitiunculam quamdam cepit, ad cujus cuſtodiam deputati fuerant homines tantùm octo. Ricardus autem Rex ablata recuperare ſatagens caſtrum cepit, quod Locas vocant, civitatémque Turonis, inde expellens Canonicos Regi Francorum faventes: cepit & Taleburgum, totámque terram Comitis Engoliſmenſis. Regem verò Francorum Philippum Vindocino cum exercitu appropinquantem exteruit & fugavit.

HUBERTUS Archiepiſcopus Cantuarienſis legationis ſuæ poteſtatem procuravit ſuper Clerum Eboracenſis provinciæ dilatari. RICARDUS Rex circa recuperationem perditorum inſiſtens, caſtrum Virſionis cepit in pago Bituricenſi, & uſque ad ſolum evertit. PHILIPPUS autem Francorum Rex Albam-marlam cepit & deſtruxit, caſtrúmque Novencuria appellatur. Hoc anno Rex RICARDUS fratri ſuo reſtituit Comitatus Moritoniæ in Normannia & Gloverniæ in Anglia cum honore de Heia, dans ei annuatim pro terris ſuis reſiduis octo milia librarum Andegavenſis monetæ. Soror Philippi Regis Francorum quam repudiaverat Rex Ricardus, Comiti Pontivi deſponſatur. Hoc anno Imperator HENRICUS totum Regnum Apuliæ ſubjugavit, plurimóſque ſibi rebelles diverſis pœnis affecit: Tancredum verò filium

Henricus Imperator regnum Apuliæ ſubjugavit.

Digitized by Google

lium Tancredi Regis Siculorum, cum matre sua MARGARETA, ac Regem Epirotarum secum in Alemanniam duxit captivos. Divortium inter Philippum Regem Francorum, & sororem Regis Danorum non ritè factum per Cælestinum Papam in irritum revocatur. Dux Austriæ LIMPOLDUS, cùm natalitium apud Gratiam* ageret, in die S. Stephani equo lapsus, subitâ pedis attritione sauciatur tam periculosè quòd necessitate urgente, ut mortem imminentem evaderet, abscindi eum fecit de consilio medicorum, divinam in se ultionem expertus pro Regis Ricardi captione injustâ.

Divortium Regis Franc. &c. nullum esse declarat Papa.

* *Alii* Greciam *vocant urbem Stiriæ, vulgò* Gratz.

MCXCVI. | CÆLESTINI III. V. | HENRICI VI. V. VI. | PHILIPPI II. XV. | RICARDI I. VII.

JOHANNA soror Regis Ricardi Regina Siciliæ Comiti sancti Ægidii desponsatur. Seditio contra Regem Ricardum in civitate Londonensi suscitata est per quemdam Walterum filium Osberti, qui citò pòst captus dignas luit sceleris sui pœnas. Inundatio aquarum tanta facta est Parisius, ut intumescens Sequana fluctibus procellosis omnia circa se involveret, ita ut Philippus Francorum Rex, relicto ob hoc palatio usque sanctam Genovefam, & Episcopus relictâ Ecclesiâ usque ad sanctum Victorem pernoctaturi accesserint. PHILIPPUS Francorum Rex RICARDUM Anglorum Regem interpellavit, ut electis hinc inde quinque Militibus disrationaretur jus utriusque Regis per eos, & utrique populo guerris vexato de cetero parceretur. Annuit Rex Ricardus petitioni eâ conditione, ut ex utraque parte vicem quinti Militis in propria persona Rex suppleret. JOHANNES Rotomagensis Decanus, Episcopus Wigornensis factus est.

Digitized by Google

Anni	Papæ	Imp.	Franc.	Angl.
MCXCVII.	CÆLESTINI III. VI.	HENRICI VI. VI. VII.	PHILIPPI II. XVI.	RICARDI I. VIII.

RICARDUS Anglorum Rex cùm conventio de pugna quinque Militum non procederet, caſtellum ſancti Walerici ſuccendit, adjacentémque vaſtans provinciam, quinque naves victualibus onuſtas cepit, & per Mercaderum Rutariorum Principem PHILIPPUM Belvacenſem Epiſcopum, virum in armis ſtrenuum, Regíſque Francorum conſanguineum, unà cum WILLELMO de Meloto ſeniore: quos miſſos in Angliam longo tempore carceri mancipavit. Capti ſunt & alii quamplures pago Belvacenſi undique devaſtato. Attendens autem RICARDUS Rex villam Andeliaci, ac quaſdam villas alias adjacentes, ad jus Eccleſiæ Rotomagenſis pertinentes, hoſtium irruptionibus nimium opportunas: cõmutationem fecit cum Archiepiſcopo & dictâ Eccleſiâ, dans pro dictis villis molendina ſua apud Rotomagum, ita quòd Archiepiſcopus ſolvat eleëmoſynas, de eis ab antiquo ſtatutas, villámque de Depe, & villam de Buſſeles, ita quòd ſolvat in eleëmoſynam aſſignatam trecentas ſeptuaginta duas libras Andegavenſis monetæ. Dedit eis etiam manerium de Lovers, & foreſtam de Alermund cum feris & omnibus pertinentiis aliis. WALTERUS Map de quo multa referuntur jocunda, ex Præcentore Lincolnienſi Archidiaconus Oxonienſis efficitur. Moritur WILLELMUS Elienſis Epiſcopus in itinere verſus Romam.

Capto Epiſcopo Belvacenſi, ac carceri mancipato, Rex Angl. totam devaſtat provinciam.

MCXC. VIII.	CÆLESTINI III. VII.	HENRICI VI. VII. VIII.	PHILIPPI II. XVII.	RICARDI I. IX

DEFUNCTO Panormi in Sicilia Imperatore HENRICO ſexto, OTHO filius Henrici Ducis Saxoniæ, nepos Regis Ricardi ex ſorore Mathilde, procurante avunculo abundanter expenſas, à quibuſdam Teutoniæ Principibus in Regem Romanorum eligitur, aliis eligentibus PHILIPPUM Ducem Sueviæ, fratrem HENRICI quondam Imperatoris. Hunc ſibi confœderavit Philippus Francorum

Otho Dux Saxoniæ à nonnullis, ab aliis Philippus Dux Sueviæ Rex Rom. eligitur.

Digitized by Google

Rex, ſperans per eum Comitem Flandriæ faciliùs ſubjicere, & Anglorum Regem Ricardum fortiùs impugnare. Comes Flandrenſis ſanctum Audemarum obſedit, & infra paucos dies ad deditionem coëgit. RICARDUS autem Rex Anglorum cùm Wlcaſinum juxta Giſortium vaſtaret, Corcellas villáſque alias incenderet, ſuperveniens Rex Francorum Philippus prælio decertavit cum eo; ſed inferior factus aufugit, qui niſi in caſtrum Giſortii à cuſtodibus attractus fuiſſet (fracto namque ſub eo ponte dum fugeret, pænè ſubmerſus fuerat) à Rege Ricardo vehementiùs inſequente comprehenſus fuiſſet. De cujus Militibus nominatiſſimis capti ſunt circiter octoginta, inter quos præcipui erant ALANUS de Ruſciaco, MATTHEUS de Marliaco, GILBERTUS de Melloto junior, PHILIPPUS de Nantolio.

Rex Angliæ victoriam refert de Rege Franc.

Obiit hoc anno CÆLESTINUS PAPA, cùm ſediſſet annis ſex, menſibus octo, diebus undecim. Hic apud ſanctum Petrum fecit palatium. Succeſſit Cæleſtino INNOCENTIUS tertius, natione Campanus, conſecratus in feſto Cathedræ S. Petri, ad quem Rex Ricardus miſſis Nuntiis, conqueſtus eſt de Rege Francorum ſuper fide fracta, & juramento nullatenus obſervato. Super quo cùm vellet eum dominus Papa convenire per Legatum, volentem reſpondere exuſabant Prælati Franciæ apud dominum Papam, rogantes ut juriſdictionem non læderet Regis Francorum, quos ſuper petitione irrationabili redarguit vehementer Papa, ſicut patet Extra. de judiciis, Capitulo *Novit ille.* PETRUS Capuanus Diaconus Cardinalis, Legatus in Franciam miſſus eſt, ad pacem inter duos Reges & concordiam reformandam: ſed nihil proficiens, inducias tantùm quinquennales, vix aſſentiente Rege Ricardo, qui nondum totaliter recuperaverat à Philippo Rege injuriosè uſurpata tempore ſuæ detentionis in Alamannia, fide utriuſque Regis interpoſitâ impetravit.

Mortuo Cæleſtino III. Papa, ſuccedit Innocentius III.

Petrus Card. Legatus in Franc. miſſus pacis causâ inter Reges Franc. & Angl.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

HUBERTUS Cantuarienſis Archiepiſcopus auctoritate fultus Apoſtolicâ Clericos, quos Hugo Ceſtrenſis Epiſcopus ejectis Monachis poſuit apud Coventreyam amovit, Monachóſque reduxit. EUSTACHIUS Sareſberienſis Decanus fit Epiſcopus Elienſis. GALFRIDUS quidam in Ceſtrenſem electus Epiſcopum conſecratur. Septimo Idus Julii Othoni nepoti Regis Angliæ redditum eſt Aquiſgranum, quod nuper obſederat, in cujus craſtino uxorem duxit ſeptennem, Ducis Brabantiæ filiam & heredem, quarto verò Idus ejuſdem menſis, ab Adulfo Colonienſi Archiepiſcopo ex mandato Innocentii tertii coronatus, ſedem Auguſtorum adſcendit,

MCXCIX.	INNOCENTII III I.	OTHONIS IV. I.	PHILIPPI VI. XVIII	RICARDI I. X.

RICARDUS Rex apud Andeliacum caſtrum conſtruxit inſigne. HUMBERTUS Archiepiſcopus Eccleſiam in honore beati Thomæ fundatam apud Lamhethe, quam prædeceſſor ejus Baldewinus inchoaverat, de mandato domini Papæ Innocentii tertii demolitus eſt. WILLELMUS genere Normannus fit Londonienſis Epiſcopus. RICARDUS Rex cùm militem quemdam ſuper inventione theſauri convenire voluiſſet, quem ſolent ſibi Principes vindicare, tamquam in hoc eis ſingulariter natura deſerviat: veritus ille ſeveritatem Regiam, ad Vicecomitem Lemovicenſem aufugit. Qui rogatus à Rege ut militem redderet, cùm parere neglexiſſet, Rex terras ejus ingreſſus caſtrum quoddam quod Caluca dicitur juxta Lemovicas obſedit ac fortiter impugnvait. Septimo verò Kal. Aprilis dum caſtrum conſiderando circuiret inermis, ſubitò baliſtæ jaculo in humero ſiniſtro letali confoditur vulnere. Incipiens autem periclitari, tres Ordinis Ciſtercienſis accerſiſſe fertur Abbates, quibus omnia peccata ſua confeſſus eſt cum ſingultu & fletu. Quos cùm ad injungendam ſibi vel innoteſcendam pœnitentiam ſalutarem cerneret ſtupefactos, dixit: Ut placetur juſtus Judex

Peccata confeſſus Rex Ricardus quàm gravem pœnitentiam expetit.

Digitized by Google

Deus, pœnam purgatoriam usque ad diem judicii libens pro meis admittam delictis. Prolem verò non habens, Johannem fratrem suum Regni ac terrarum suarum omnium testamento suo designavit heredem. Thesauri verò sui tres partes Othoni nepoti suo in Regem Romanorum jam coronato contulit, reliquam servientibus suis pauperibúsque divisit. Tandem dierum undecim languore vexatus, die duodecimo, octavo videlicet Idus Aprilis, ætatis suæ anno quadragesimo secundo diem clausit extremum. Hic Ricardus propter magnanimitatem cordis, quia ardua quæque aggredi non refugit, COR LEONIS appellatus est ab Anglicis & Normannis. Hujus mortem Magister GALFRIDUS de Vinosalvo*, in libro suo quem de eloquentia composuit, versibus his deplorat.

Diem clausit extremum ætatis an. 42.

Cor Leonis ob magnanimitatem animi appellatus est.

Vulgò * Vinesalf. *Pitseus de Illustr. Britt. Script. an.* 1199.

NEVSTRIA *sub clypeo Regis defensa* RICARDI,

Indefensa modò, gestu testare dolorem.
Exsudent oculi lacrimas, exterminet ora
Pallor, connodet digitos tortura, cruentet
Interiora dolor, & verberet æthera clamor.
Tota peris ex morte sua: mors non fuit ejus,
Sed tua; non una, sed publica mortis imago.
O Veneris lacrimosa dies, ô sydus amarum.
Illa dies tua nox fuit, & Venus illa venenum.
Illa dedit vulnus, sed pessimus ille dierum,
Primus ab undecimo qui vitæ vitricus ipsam
Clausit; uterque dies homicida tyrannide mira.
Trajecit clausus excluſum, tectus apertum,
Providus incautum miles munitus inermem
Et proprium Regem. Quid miles, perfide miles?

Digitized by Google

Perfidiæ miles, pudor orbis, unica ſordes
Militiæ miles, manuum factura ſuarum,*
Auſus eſt hoc in eum? Miles ſcelus iſtud es auſus?
O dolor, ô pluſquam dolor, ô mors, ô truculenta.
Mors eſſes utinam mors mortua. Quid meminiſti,
Auſa nefas tantum? placuit tibi tollere ſolem,
Et tenebris damnare ſolum? ſcis quem rapuiſti?
Ipſe fuit jubar in oculis, & dulcor in ore,
Et ſtupor in mente. Mors impia quem rapuiſti?
Ipſe fuit dominus armorum, gloria Regum,
Deliciæ mundi, nihil addere noverat ultrà.
Ipſe fuit quidquid patuit natura: ſed illud
Cauſa fuit, quare rapuiſti: Res pretioſas
Eligis, & viles quaſi dedignata relinquis.
Et de te natura queror, quia nónne fuiſti
Dum mundus puer eſſet adhuc, dum nata jaceres
In cunis in eo ſtudioſa, nec ante ſenectam
Deſiit hoc ſtudium. Cur ſudor tantus in orbem
Attulit hoc mirum, ſi tam brevis abſtulit hora?
Sudorem tantum placuit tibi tradere mundo,
Et revocare manum: dare ſic & tollere donum.
Cur irritaſti mundum? Aut redde ſepultum,
Aut forma ſimilem. Sed non tibi ſuppetit unde.
Quidquid erat tecum, vel mirum vel pretioſum,
Huic erat impenſum, theſauri deliciarum
Hîc ſunt exhauſti, ditiſſima facta fuiſti
Ex hac factura: fieri pauperrima ſentis
Ex hac jacturâ. Si felix antè fuiſti
Tanto plus miſera, quanto felicior antè.

* fa creature.

Digitized by Google

Si fas eſt accuſo Deum, Deus optima rerum,
Cur hîc degeneras, cur obruis Orbis amicum?
Si recolis pro Rege, facit Japhe tua, quam quot* *Id eſt Joppe.
Milibus oppoſitis ſolus defendit, & Achon.
Quam virtute ſua tibi reddidit, & crucis hoſtes,
Quos vivus ſemper ſic terruit ut timeatur.
Mortuus ipſe fuit, ſub quo tua tuta fuerunt.
Si Deus es, ſicut eſſe decet fidelis, & expers
Nequitiæ, juſtus, rectus cur minuiſti
Ergo dies ejus? potuiſſes parcere Mundo.
Mundus egebat eo, ſed eum magis eligis eſſe
Tecum quàm ſecum, mavis ſuccurrere Cælo,
Quàm Mundo. Domine ſi fas eſt dicere, dicam.
Pace tuâ poteras feciſſe decentiùs iſtud,
Et properaſſe minùs, ſaltem dum fræna dediſſet
Hoſtibus, & facti tanquam mora nulla fuiſſet.
Res erat in foribus, tunc poſſet honeſtiùs ire.
Et remeare tibi, ſed in hac re ſcire dediſti.
Quàm brevis eſt riſus, quàm longáque lacrima mundi.

Sepultus eſt autem præfatus RICARDUS Rex apud Fontem-Ebraudi in monaſterio Monialium, ad pedes patris ſui Henrici II. cùm regnaſſet annis undecim, menſibus tredecim, ſexque diebus.

Expliciunt geſta RICARDI *Regis Anglorum.*

Digitized by Google

INCIPIUNT GESTA JOHANNIS REGIS ANGLORUM.

JOHANNES filius junior HENRICI secundi Regis Anglorum ex ALIANORA Aquitaniæ Duciſſa, non modò jure propinquitatis, ſed teſtamento fratris ſui RI-
MCXCIX. CARDI deſignatus ſucceſſor poſt mortem ejuſdem, anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo nono regnum obtinuit Anglicanum. Hic à patre JOHANNES SINE TERRA cognominatus eſt, quia fratribus ejus ad ampliſſimos honores ſublimatis, puta Henrico in Regem Angliæ coronato, Ricardo verò Ducatu Aquitanico, & Galfrido Ducatu Britannico inſignitis, ipſe nihil habebat, quamquam poſteà ditatus fuerit Comitatibus Moritoniæ in Normannia, & Gloverniæ in Anglia, collatis inſuper eidem à patre terris omnibus in Hibernia conquiſitis. Triginta duorum annorum erat, cùm in octava Paſchæ apud Rotomagum Ducatûs Normannici gladio cingeretur. Statim verò in Angliam transfretans, die Dominicâ infrà octavam Adſcenſionis Londoniæ ab Archiepiſcopo HUBERTO inungitur & coronatur in Regem Angliæ, aſſiſtente Prælatorum, Comitum & Baronum, aliorûmque nobilium multitudine infinitâ.

Rex Franc. terras Regis Angliæ devaſtat.

Porrò PHILIPPUS Francorum Rex, Ricardo Rege Anglorum defuncto, omnia quæ libuit ſibi licere reputans, non deferens induciis quas juramento firmaverat, Normanniam ingreſſus cepit urbem Ebroïcam, terráſque Regis Angliæ uſque Cenomannis undique devaſtavit. ARTHURUS autem nepos Johannis Regis ex fratre Galfrido Britanniæ Dux, aſpirans ad regnum Angliæ patruo cœpit eſſe infeſtus, Regíque Francorum occurrens Cenomannis

Digitized by Google

nomannis, occupato in manu valida Andegavensium Comitatu, pro eodem homagium fecit ei. ALIANORA quoque Regina pro Ducatu Aquitaniæ, quem jure possedit hereditario, eidem Regi fecit homagium, cùm Turonis advenisset. JOHANNES coronationis suæ sollemnitate peractâ, classe in portu de Schorham coadunatâ, cum exercitu magno decimo-tertio Kal. Julii in Normanniam transfretavit. Sed eodem anno urgentibus causis, dispositis rebus in Normannia pro articulo temporis; reversus in Angliam, Willelmo Regi Scotorum occurrit apud Lincolniam, quem per Archiepiscopum Cantuariensem Hubertum, ac nobilem virum ROGERUM Bigod datis de salvo conductu litteris, ad speciale colloquium fecerat accersiri, ubi post multos ad invicem tractatus habitos decimo Kal. Septembris, Rex Scotorum Willelmus in conspectu totius populi fecit homagium, & super crucem Cantuariensis Archiepiscopi fidelitatem juravit eidem. Hoc anno generale interdictum per totum Regnum Franciæ, propter injustum INGEBURGIS Reginæ repudium observatur. Philippus verò Rex in Clerum desæviens Episcopos omnes qui interdicto consenserant, & Prælatos alios, de suis sedibus exturbavit. Ingeburgem etiam Reginam uxorem suam in castro de Stampes recluſit. Eodem etiam anno ab omnibus hominibus Regni sui tertiam partem bonorum accepit, & à Burgensibus exactiones & tallias insuetas extorsit.

Idem persequitur Prælatos qui interdictum propter uxoris repudium à Papa latum observabant.

JOHANNES Rex iterum in Normanniam transfretat, inter quem & Regem Francorum in Ascensione Domini inter Vernonem & insulam Andeliaci, in subscripta forma pax & concordia reformatur, restitutis nempe Regi Angliæ civitate Ebroïcâ cum toto Comitatu, castellis, pagis & prædiis, quæ Rex Francorum occupaverat violenter: Præstitóque à Rege Angliæ homagio Regi Franco-

Pacem ineunt Reges Franc. & Angl.

Digitized by Google

Filius Regis Franc. uxorem accipit filiam Hiſpaniæ Regis Blancam.

rum,& eidem fidelitate juratâ, Lodowicus Regis Francorum primogenitus nobilem puellam Blancam nomine, Hildefonſi Regis Caſtellæ filiam, Regis Angliæ ex ſorore Alianora neptem, accepit uxorem. Cui Rex Johannes conceſſit omnes munitiones & poſſeſſiones à Rege Francorum ſibi noviter reſtitutas; annuens etiam eidem omnes terras ſuas, quas in regno Franciæ tenebat, poſt deceſſum ſuum, ſi abſque herede de corpore ſuo contingeret eum mori. Firmatâ inter Reges pace atque concordia, Arthurus Comes Britanniæ patruo ſuo Johanni fecit homagium pro Comitatu Britanniæ, qui ſpectat ad feodum Ducatûs Normanniæ, & aliis terris ſuis, quas vel in Anglia vel in Aquitaniæ Ducatu habebat. Eodem anno Johannes Rex uxorem accepit Iſabellam, Comitis Engoliſmenſis filiam & heredem, quæ octavo Idus Octobris coronata eſt Londoniæ in Reginam. Hanc ferunt quidam Vicecomiti Torcenſi Hugoni Brun priùs nupſiſſe, ipſúmque propter uxorem violenter ablatam à fidelitate Regis Angliæ diſceſſiſſe.

Rex Angl. uxorem ducit filiam Comitis Engoliſm.

Hugonis Epiſcopi Lincol. acta perſtringuntur.

Decimo octavo Kal. Octobris ejuſdem anni beatus Hugo Lincolnienſis Epiſcopus de præſenti vita temporali tranſiit ad æternam, qui de Imperiali Burgundia oriundus, à juventute ſua inter viros religioſos educatus, primò factus eſt Canonicus Regularis, deinde ampliori in Deum proficiens deſiderio, quò magis carnem ſuam à mundanis abſtraheret oblectamentis, Cartuſiam ſe tranſtulit, ubi inter Monachos devotione claruit ſingulari. Cujus religioſæ ſanctitatis fama ad aures Henrici Regis ſecundi allapſa, ipſum in amorem ejus vehementer attendit: qui vix multis precibus, ut in domo quadam ejuſdem Ordinis in Anglia, quam idem Rex in diœceſi Bathonienſi multis ditatam prædiis & privilegiis fundaverat, Curatoris admitteret officium potuit obtinere. Quem dum ſæpiùs viſitaret, verbis & virtutibus ejus delectatus, vacante ſede Lincolnienſi, ſuaſit Eccleſiæ Canonicis ut Priorem domûs ſuæ Hugonem in Epiſcopum elige-

Digitized by Google

rent, & præficerent in Paſtorem. Sed electioni favore regio celebratæ, vir Dei non conſentiens, Decanum ceteróſque Eccleſiæ majores, qui pro ipſo venerant vacuos dimiſiſſet, ſi non eum unanimi liberáque voluntate iterum elegiſſent. Egreſſus autem Monaſterium, ut jam admiſſam exſequeretur paſtoralis officii curam, primâ nocte inter ſoporem & vigiliam conſtitutus, vocem ad eum cælitus miſſam audivit: Egreſſus es in ſalutem populi tui in ſalutem cum Chriſto tuo. Fragilitatis autem ſuæ non immemor, ſolebat leproſos ad oſculum pacis admittere: ſuper quo objicienti ſibi Cancellario ſuo quòd Martinus oſculando leproſos ſanabat, urbanâ humilitate reſpondit: Oſculum Martini ſanavit carnem leproſi, ſed oſculum leproſi ſanat animam meam. Itaque multis clareſcens virtutibus, quatuordecim ferè annis tenuit Præſulatum. Qui quanti meriti fuerit apud Dominum, ex ejus tumba deſudans oleum crebráque ſanitatum miracula proteſtantur.

CURSATH* Imperator Græcorum à fratre ſuo Alexio captus & excæcatus, in carcere detinetur annis tribus, quibus Alexius invaſor ejus Imperium occupavit. Alexius autem filius Curſath patrui crudelitatem veritus ad Philippum Sueviæ Ducem, qui ejus duxerat ſororem, transfugit.

*Deſt Iſaac.

JOHANNES Rex Angliæ Pariſius veniens, à Rege Francorum honorificè recipitur, multis eidem & variis collatis muneribus pretioſis: tenuis tamen & tenera erat inter eos amiticia, quia Rege Anglorum uxorato, evacuata videbatur illa ſponſio, quam de terris ſuis in regno Franciæ fecerat Ludovico. Unde non multò pòſt habito inter Reges colloquio inter Vernonem & inſulam Andeliaci, Rex Francorum occaſiones quærens fidei non ſervandæ, & initi fœderis infringendi, Regem An-

Diſſenſio inter Reges Franc. & Angl.

Digitized by Google

gliæ ſubmonuiſſe fertur, ut Pariſius in quindena Paſchæ compareret, ſuper his quæ adverſus eum proponeret pro Ducatu Britanniæ & Comitatu Andegaviæ, reſponſurus. Æſtate verò ſequenti Philippus Francorum Rex exercitu collecto, Normanniam ingrediens, munitiunculam evertit, quæ Boteavant dicitur, cepit Arguellum, Mortuummare, Gornacum, totámque ſibi terram HUGONIS de Gornaco ſubegit. Et ut majores Regi Angliæ inimicitias concitaret, ARTHURO nepoti ejus militaribus armis cincto Comitatum Britanniæ tradidit, præcipiens ut Pictavenſium & Andegavenſium ſibi Comitatus adquireret, ducentos tradens ei in ſubſidium milites, inſuper & pecuniæ largiens magnam ſummam. JOHANNES Rex undique laceſſitus injuriis, reſumpto animo in Arthurum nepotem ſuum, quem domeſticum hoſtem graviùs ferebat, & fautores ejus quorum præcipui erant HUGO Brunus & GALFRIDUS de Ladunano convertit exercitum, & ſuæ ſaluti conſulere compulit fugiendo: quos ipſe non ſegniter inſequens, in caſtro Mirabelli obſedit, & obſeſſos brevi tempore ad deditionem coëgit. Cepit & poſteà Vicecomitem Lemovicenſem, alióſque quamplures, qui ab ejus fidelitate deſciverant, Arthuróque adhærentes ipſum contra patruum concitaverant. Quorum nonnullos trajecit in Angliam per diverſa caſtra ſervandos, quoſdámque acceptis obſidibus remiſit ad propria. Arthurum verò miſit Rotomagum ſub artiori cuſtodia detinendum. Ob iſtam victoriam multi putant ſibi convenire illud Merlini fatidici, *Capite leonis coronabitur*. Et iterum illud; *Linguas taurorum abſcindet, & colla rugientium onerabit catenis.*

Rex Franc. adverſus Regem Angl. arma ſumit, urbes capit &c. rebelléſque juvat,

Publicato divortio Regis, &c. ab interdicto eximitur Francia,

OCTAVIANUS Oſtienſis & JOHANNES Veletrenſis Epiſcopi venientes in Franciam, Philippo Rege ad eorum monitionem INGELBURGEM Reginam in gratiam recipiente, celebratóque inter ipſum & ſuperinductam divortio, interdictum in Francia quod triennio duraverat, relaxârunt.

Digitized by Google

AN. DOM.	PAP.	IMP.	Reg. FRANC.	Reg. ANGL.
MCCII.	INNOCEN. III. IV.	OTHONIS IV. IV.	PHILIPPI VI. XXI.	JOHANNIS I. III.

JOHANNES Rex apud Cantuariam per manum Huberti Archiepiſcopi iterum coronatur, qui eodem anno Philippum Belvacenſem Epiſcopum, quem Ricardus Rex præliantem ceperat, à cuſtodia liberans, ad propria redire permiſit. PHILIPPUS Francorum Rex in exheredationem Regis Angliæ totis viribus laborans, Aquitaniam ingreſſus, quaſdam cepit munitiones Militum Pictavenſium Britonúmque favore. Inter hæc Papa INNOCENTIUS pro pace inter Reges reformanda, Abbatem miſit de Caſamarrii, qui adjuncto ſibi Abbate Trium-fontium, authoritate Apoſtolicâ præcepit utrique Regi, ut convocatis Epiſcopis & Principibus Regni, ſalvâ utriuſque juſtitiâ pacem facerent, & Abbatias ceteráſque Eccleſias per eorum bella deſtructas in ſtatum debitum repararent. Philippus autem Rex Apoſtolico nonobſtante mandato Normanniam ingreditur, & Radipontem obſidens, rectis per circuitum turribus ligneis expugnavit & cepit, caſtrum quoque Gailardi, quod in excelſa rupe ſuper Sequanam fortiſſimum Rex Ricardus firmaverat, ſex menſium obſidione ſubegit.

Papa Legatos mittit in Galliam ad reconciliandos Reges Franc. & Angl.

Hoc anno ut à pleriſque traditur, cœpit Tartarorum dominium, qui ſub montibus Indiæ in regione Tartara conſtituti, dominum ſuum Regem Indiæ David nomine, filium Johannis Preſbyteri occidentes ad deprædationem proceſſerunt aliarum terrarum.

Initium dominii Tartarorum.

MCCIII.	INNOCEN III. V.	OTHONIS IV. V.	PHILIPPI VI. XXII.	JOHANNIS I. IV.

ARTHURUS Rotomagi moritur, de cujus morte Regem Johannem quidam ejus æmuli infamârunt. Qui non multo pòſt obſides etiam Pictavenſium, infidelitatem eorum expertus, fecit ſuſpendi. Philippus verò Rex à cœptis non deſiſtens, caſtra Normannica Andeliacum, Conchis de valle Rodolii, Faleſiámque, & Domofrontem ac Cadomum expugnavit, terrámque totam cir-

Normanni Franc. Regi ſe ſubdentes tradunt urbes quaſdam & caſtella.

Digitized by Google

cumpoſitam uſque ad Montem S. Michaëlis in ſuam ditionem accepit. Normanni enim à fidelitate Regis Angliæ deficientes, favorémque Regis Francorum quærentes, civitates & caſtra ſuæ cuſtodiæ commiſſa ſine ulla reſiſtentia reddiderunt, videlicet Conſtantiam, Baïocas, Lixovium, Abrincas cum ſuburbanis & pagis. Itaque nihil Regis Angliæ in Normannia, fraudibus ſuorum à ſe alienata remanſit, exceptis civitate Rotomagi & duobus caſtris Vernolio atque Archis. Johannes Rex Anglorum Alianoram ſororem Arthuri in Angliam tranſtulit, quæ in caſtro Briſtolli honorificè exhibita, ibidem conſenuit. Mater ejus Conſtantia heres Britanniæ, poſt mortem viri ſui Galfridi, Guidoni nupſit de Toraco: qui de ea unicam filiam generavit, quam poſtea duxit Petrus filius Roberti Comitis Drocarum, cognomento Mauclerk, accipiens cum eadem Britanniæ Comitatum.

Alexius filius Curſath Imperatoris Græcorum, collectis ſtipendiariis Teutonicis, Gallicis, & Venetis, patruum ſuum Alexium ab Imperio quod invaſerat expulit, Conſtantinopolim cepit, & in Imperatorem coronatus, patrem ſuum Curſath de carcere ſublevavit*.

* liberavit

Dominicus ſanctitate & doctrinâ inſignis in Hiſpania.

His temporibus in Hiſpania claruit vir Dei Dominicus, ſanctitate & religione inſignis, qui in villa quæ Caraloga dicitur ex piis natus parentibus, & religiosè nutritus, cœpit eſſe puer ingenioſus, ut pote qui ſortitus eſt animam bonam. Dum autem adhuc puerulus eſſet, nondum à nutricis diligentia ſeparatus, deprehenſus eſt ſæpe lectulum dimittere, & ſuper nudam terram accumbere, quaſi jam carnis delicias abhorreret. Cujus futuræ doctrinæ claritas qua illuminaturus erat eos qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, hujuſcemodi viſione matri ſuæ ſpirituali quæ ipſum de fonte ſacro levaverat eſt divinitus præoſtenſa. Vidit namque parvum Dominicum ſtellam habentem in fronte, quæ terram totam ſuo lumine perluſtrabat. Puerilibus autem annis innocenter excurſis, cùm miſſus eſſet Pallentiam, ubi tunc vigebat

Ejus acta percurruntur.

Digitized by Google

ſtudium generale, cœpit eruditioni diligenter intendere, & omiſſis frivolis quibus ſolet ætas adoleſcentiorum effluere, ſeſe maturioribus ſtudiis occupare, & ut animum ſuum transferret pleniùs ad ſapientiam, abſtraxit à vino per decennium carnem ſuam. Poſtmodum verò laſſeſcente ſtomacho, compulſus eſt ab Epiſcopo Didaco ſaltem temperato & modico vino uti. Liberalibus autem artibus competenter inſtructus, ad Theologiæ ſtudium ſe tranſtulit, cœpítque vehementer divinis eloquiis inhiare, nec ſolùm ſanctarum meditationum & affectionum ſegetes, ſed bonorum operum fructus uberrimos producebat. Fame namque prævalidâ in univerſis Hiſpaniæ partibus ingruente, adhuc manens Palentiæ ut vidit egenorum miſerias, neminémque conſolatorem, anxiæ admodum motus compaſſionis affectu, venditis libris, quos valde neceſſarios habebat, omníque ſuppellectili, acceptum pretium diſperſit & dedit pauperibus. Talibus autem virtutum floribus in beato viro gratiſſima venuſtate vernantibus, cœpit odor ſanctitatis ejus circumquaque diffundi. Quæ cùm Oxomenſis Epiſcopi Didaci attigiſſet auditum, continuò accerſitum fecit eum in Eccleſia ſua Canonicum Regularem. Qui ſtatim inter Canonicos velut ſingulare jubar emicuit, & de virtute in virtutem mirâ celleritate proficiens, omnium in ſe provocavit affectum. Mirantur Canonici tam ſubitum religionis apicem, & eum licet invitum ſibi conſtituunt Suppriorem. Qui factus omnibus vitæ ſpeculum, & religionis exemplum, in oratione aſſiduus, caritate præcipuus, compaſſione anxius, & omnibus erat humilitate ſubjectus. Spiritualem gratiam contulit ei Deus flendi pro peccatoribus, pro miſeris & afflictis, & animarum pereuntium zelo ſuccenſus, nec minùs deſiderio cæleſtis habitationis, crebrò in orationibus pernoctabat: frequenter quoque aures divinæ clementiæ hac ſpirituali petitione pulſabat, quatinus cordi ejus illam caritatem dignaretur infundere, quâ proximorum ſalutem poſſet efficaciùs procura-

Digitized by Google

re, exemplo illius qui se totum nostram obtulit in sanitatem. Sanè librum qui COLLATIONES PATRUM inscribitur, studiosè legens ac vigilanter intelligens, salutis in eo semitas rimans, magnum perfectionis apicem apprehendit. Willemus Blesensis Præcentor Lincolniæ, in ejusdem Ecclesiæ Episcopum consecratur.

Regi Franc. redditâ Rotomagensi civitate subacta est sibi tota Normannia.

ALIANORA Ducissa Aquitaniæ, mater Regis Anglorum Johannis, ex hac luce migravit. Civitas Rotomagensis à Gallicis obsessa cùm jam ferè per annum se fortiter defendisset, de subsidio Regis Anglorum desperans, cui jam Normannia erat suspecta, Philippo Regi Francorum se reddidit, qui statim muros ejus diruens, ne unquam reædificarentur in posterum, civibus redditis etiam deinde duobus castellis, Archis & Vernolio, totam ex integro Normanniam habuit subjugatam.

Occupat etiam Turon. Cenomann. Pictaviam, &c.

Nec ex his Rex Philippus contentus, ulteriùs progreditur, & Cenomanniam, Turoniam atque Pictaviam sine difficultate occupat, nemine resistente. Capta est etiam in dolo Andegavensis civitas à Willelmo de Rupibus, milites suos sub capis armatos velut mercatores ad nundinas inducente. Inter tot adversa Johannes Anglorum Rex, cùm non posset, suis detrectantibus militiam, pro perditis recuperandis vel non perditis defendendis exercitum congregare, certo experimento didicit in voluntate obsequentium sitam esse totam Principum potestatem.

Eo tempore Magister GALFRIDUS de Vino salvo, qui ad Papam Innocentium librum de arte eloquentiæ scripsit, clarus habetur. PETRUS Rex Aragonum regnum suum obtulit Ecclesiæ Romanæ, & illud eidem constituit censuale. Græci suum Imperatorem Alexium abjiciunt, & alium sibi creant nomine Nicolaum, quem Franci & Veneti captâ Constantinopoli occiderunt, & assensu

Digitized by Google

assensu unanimi Baldewinum Flandrensium Comitem in Imperium sublimârunt. Constantinopolim tamen capi ab homine multi de civibus impossibile reputabant, tum propter civitatis fortitudinem, tum propter prophetiam quam habebant antiquam. Nempe prophetatum erat, quòd deberet capi per Angelum, & ideò capi per hominem non credebant. Sed hostibus per murum ubi Angelus pictus erat intrantibus, se deceptos per æquivocationem Angeli cognoverunt. Balduinus Flandriæ Comes fit Imperator.

Hoc anno Adelfonsus Rex Castellæ DIDACUM Oxomensem Episcopum ad marchias misit, pro cujusdam nobilis puellæ connubio filio suo Ferdinando nomine conciliando. Qui assumpto juxta statûs sui decentiam comitatu etiam beatum Dominicum Ecclesiæ suæ Suppriorem secum adducens proficiscitur. Cùm autem perveniset Tolosam, eâdem nocte quâ in ipsa urbe susceptus est beatus Dominicus, hospitem suum hæreticum tam affabili persuasione dejiciens, quàm irrefragabili rationum connexione devincens, ad fidem Catholicam Dei spiritu cooperante convertit. Didacus itaque Episcopus, expedito nuntio pro quo venerat, in Hispaniam reversus, iterúmque remissus Curiam Romanam adivit. Interim à domino Papa Innocentio duodecim Abbates Cisterciensis Ordinis, cum uno Apostolicæ Sedis Legato in terram Albigensium pro prædicandâ contra hæreticos fide Catholica destinantur. Quibus super negotio sibi commisso deliberantibus, supervenit Episcopus Didacus de curia jam regressus: Qui habens secum beatum Dominicum, biennio ferè cum eisdem prædicationis officio insistens, remansit in partibus Tolosanis. Obiit hoc anno Godefridus de Luci Wintonienſis Episcopus. Ad confutandos Albigenses hæret. à Papa mittuntur 12. Abbates. S. Dominicus iisdem sociatur.

Digitized by Google

Anni Dom	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCV.	INNOCENTII III. VII.	OTHONIS IV. VII.	PHILIPPI VI. XXIV.	JOHANNIS I. VI.

PETRUS de Rupibus in Wintonienſem Epiſcopum à Papa Innocentio conſecratur, qui in Eccleſia illa quãplurima digna memoriâ dereliquit. Obiit HUBERTUS Archiepiſcopus Cantuarienſis, qui plenum legationis officium ſuper totam Angliam obtinuit à Papa Cæleſtino. Hic priùs Sareſberienſis fuerat Epiſcopus, & in peregrinatione terræ ſanctæ Regis Ricardi comes: ubi apud ſepulcrum dominicum cùm Miſſam more Latinorum celebraſſet, quoſdam Latinos ibidem provisâ eis annonâ conſtituit Sacerdotes. Monachi Cantuarienſes in electione futuri Pontificis diſcordes, alii Magiſtrum Raynerum Subpriorem ſuum, alii Johannem de Gray Northwicenſem Epiſcopum elegerunt.

PHILIPPUS Francorum Rex caſtris fortiſſimis Lochis & Chinone captis, à dominio Andegaviæ & Turoniæ totaliter Regem Anglorum excluſit. Eo tempore quo Epiſcopus Didacus cum beato Dominico inſiſtebat prædicationi in partibus Toloſanis, contigit ut apud Montem-regalem cum Prædicatoribus Catholicis hæretici diſputarent. Unus autem de noſtris Dominicus nomine ſocius Epiſcopi Oxomenſis, ſicut in geſtis viri nobilis nominatíque Simonis Comitis Montiſ-fortis legitur, auctoritates quas in medium produxerat redegit in ſcriptis, & cuidam hæretico tradidit ſcedulam, ut ſuper objectis deliberans reſponderet. Qui nocte ad ignem ſedens cum ſociis, de eorum aſſenſu ſcedulam projecit in ignem, factâ proteſtatione quòd ſi combureretur, vera eſſet fides hæreticorum, immo perfidia: ſi verò incombuſta maneret, fidem quam prædicabant Catholici veram eſſe faterentur. Projecta ſcedula in ignem non tantùm ſemel, ſed iterum & tertiò, totiens reſiluit etiam incombuſta. Hoc per quemdam qui aliquantulum Catholicis conſentiebat, & tunc præſens erat, ad Catholicorum pervenit notitiam. Cùm autem eo tempore Nobiles quidam

Didacus Epiſcopus & S. Dominicus hæreticos exagitant.

Schedula in ignem projecta non comburitur.

Digitized by Google

AN. DOM. | PAPÆ | IMPERATORIS | Reg. FRANCIÆ | Reg. ANGLIÆ

egestate compulsi, filias suas traderent hæreticis nutriendas, beatus Dominicus earum pernicioſum miſeratus opprobrium, Monaſterium pro earum receptione inſtituit, in loco qui dicitur Prulianum, ubi ancillæ Dei ſub perpetua clauſura, ſub arto ſilentio jocundum ſuo Creatori exhibent famulatum. Savaricus Bathonienſis & Wellenſis Epiſcopus obiit iſto anno.

Monaſterium puellis nutriendis inſtituit S. Dominicus.

MCCVI | INNOCENTII III. VIII. | OTHONIS IV. VIII. | PHILIPPI VI. XXV. | JOHANNIS I. VII.

JOHANNES de Florentia Diac. Card. à Papa Innocentio deſtinatur in Angliam Legatus, qui ab Adſcenſione Domini uſque ad Adventum in Anglia commorans, apud Radingium Concilium celebravit. JOHANNES Rex Angliæ in Aquitaniam transfretavit, & innumeras ad Rupellam copias ſecum duxit: ſed adveniente illuc Rege Francorum cum exercitu, abſque conflictu munitâ villâ in Angliam remeavit. Eo tempore JOCELINUS de Wellia in Bathonienſem Epiſcopum conſecratur. Jocelinus iſte nativitatis ſuæ locum honorans, Eccleſiam Wellenſem à fundamentis erexit, & præbendas ejus multiplicans, multis eam donariis & pretioſis ditavit: maneria etiam Epiſcopi ampliatis prædiis, etiam ædificiis pulcherrimis decoravit. Obiit Willelmus de Bleis Epiſcopus Lincolnienſis. PHILIPPUS Dux Sueviæ Ottonem Ducem Saxoniæ, qui ſecum in diſcordia in Regem Romanorum electus fuerat, à Colonia ſibi favente expulit violenter. HENRICUS frater Baldewini in Imperatorem Græcorum eligitur.

Concilium Radingiæ.

Clericus quidam nomine GUALLO à Conſtantinopoli rediens, faciem S. Johannis Baptiſtæ ſecum deferens, Ambianis eam repoſuit in Eccleſia Cathedrali. DIDACUS Oxomenſis Epiſcopus, expletâ prædicatione contra hæreticos biennio, ad ſuam reverſus Eccleſiam, poſt dies paucos deceſſit. Solus autem frater DOMINICUS cum paucis ſibi abſque profeſſionis vel voti vinculo ad-

Facies ſanctæ Johannis Baptiſtæ Ambianis reponitur.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGLIÆ

Adhærent multi ob vitæ ſanctitatem B. Dominico,

hærentibus, per decennium ferè in continuatione prædicationis indefeſſa permanſit. Quo tempore multa ab hæreticis perpeſſus, non eſt fraudatus Apoſtolorum gloria, quia dignus habitus eſt pro nomine Jesu contumeliam pati. Fidelium verò apud eum creſcebat devotio, & apud Prælatos Eccleſiarum pro ſui ſanctitate ingenti dignus habebatur honore.

MCCVII.	INNOCENTII III. IX.	OTHONIS IV. IX.	PHILIPPI VI XXVI.	JOHANNIS I. VIII.

Stephanus Card. fit Archiep. Cantuar.

INNOCENTIUS Papa utriuſque Cantuarienſis Eccleſiæ quaſſatis electis, Magiſtrum STEPHANUM de Langedono tituli ſancti Chryſogoni Preſbyterum Cardinalem, poſtulantibus Monachis ejuſdem Eccleſiæ præficiens quinto-decimo Cal. Julii in Archiepiſcopum conſecravit. Super quo indignatus Rex JOHANNES qui partem Norwicenſis Epiſcopi fovebat, per Falconem de Cantelupo & Petrum de Cornhulle Monachos de ſuo Monaſterio expulit, & Stephano Archiepiſcopo, ne accedendo ad ſuam Eccleſiam intraret Angliam interdixit. Quinimmo Prælatos tam majores quàm minores Clericóſque Archiepiſcopo faventes coëgit in exſilium, rebus eorum omnibus confiſcatis.

Renuit Rex Angliæ.

OTHO Dux Saxoniæ in Regem Romanorum quamvis in diſcordia electus, in Angliam ad Regem Johannem avunculum ſuum venit, pro cujus ſubſidio Rex Angliæ à Clericis & laïcis tertiam-decimam partem bonorum accepit. PHILIPPUS Francorum Rex in exheredationem Regis Angliæ non ſegniter agens, ne qui prædatur non prædaretur, multas ei in Aquitania munitiones abſtulit, quarum quaſdam evertit, quaſdam in manu Mareſcalli ſui Willelmi de Rupibus dereliquit, terras etiam Vicecomitis Toarcenſis ingreſſus, Partheniacum cepit, & alia loca plura. Eodem anno apud Wintoniam in die S. Remigii, Johanni Regi natus filius, quem vocavit Henricum in memoriam patris ſui.

Digitized by Google

An. Dom.	Pap.	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCVIII.	INNOCENTII III. X.	OTHONIS IV. X.	PHILIPPI VI. XXVII.	JOHANNIS I. IX.

ANGLIA per Papam Innocentium interdicto ſuppo-nitur undecimo Calendas Aprilis, exſequentibus Papale mandatum Willelmo Londonienſi, Euſtachio Elienſi, & Malgero Wigornienſi Epiſcopis, quia Rex Johannes Archiepiſcopum Stephanum ad ſuam Eccleſiam accedere non permiſit, qui tempore ſui exſilii manſit in Monaſterio Pontiniacenſi inter viros religioſos, glorioſiſſimi Martyris Thomæ prædeceſſoris ſui veſtigia imitatus. OTHO Dux Saxoniæ, Regis Angliæ ex ſorore nepos, regnum Alemanniæ pacificè obtinuit, Philippo Duce Sueviæ, qui cum Othone diu contenderat de Imperio, Landecravio Turingiæ interfecto. Johannes de Brennia in Regem Jeruſalem coronatur. Obierunt Philippus Dunelmenſis & Galfridus Ciſtrenſis Epiſcopi.

Papa interdicto Angliam ferit quia Rex Archiepiſc. Cantuar. nolebat recipere.

MCCIX.	INNOCENTII III. XI.	OTHONIS IV. XI.	PHILIPPI VI. XXVIII.	JOHANNIS I. X.

JOHANNI Regi Angliæ natus eſt filius ſecundus in vigilia Epiphaniæ, quem in fratris ſui memoriam appellavit Ricardum. Hoc anno idem Rex apud Merleberge Comitum & Baronum aliorum de ſe tenentium per totam Angliam ſuſcepit fidelitates & homagia iteratò. Hoc anno ex præcepto Regis de palatio Weſtmonaſterii juxta Londonium uſque Northamtoniam ſcaccarium eſt tranſlatum. Audito autem quòd Willelmus Rex Scotorum filiam ſuam Comiti Bolonienſi junxiſſet connubio, quia irrequiſito ſuo aſſenſu factum fuerat, ægrè tulit. Propter quod circa feſtum Mariæ Magdalenæ coadunato copioſo exercitu uſque Berewicum proceſſit, bello aggredi Regem Scotorum diſponens. Sed ilico reformatâ pace, acceptis duabus filiabus Regis Scotiæ obſidibus, in Angliam rediit propoſito immutato. OTHO Rex Romanorum in Italiam veniens, imperialem benedictionem ab Innocentio recepit, qui ſtatim cum Romanis pugnam habuit, & contra voluntatem domini Papæ regnum in-

Otho Imper. Regnum Apuliæ à Frederico auferet.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

travit Apuliæ, auferens illud Regi Siciliæ Frederico.

Cruce signantur multi contra Albigenſes,

Crux contra Albigenſes de mandato domini Papæ in Francia prædicatur. Multitudo igitur Gallicorum contra fidei refugas profecta, adjuncto ſibi Comite Toloſano,

Id eſt Bitegias,

Viterim* primò ac deinde Carcaſonam obſident & expugnant. Móxque reverſuri ad propria, Comitem Monfisforti SIMONEM, virum armis ſtrenuum, & conſilio diſcretum toti præficiunt regioni. Cui admodum familiaris erat beatus Dominicus propter communem zelum adverſus hæreticorum perfidiam. Contra quos ille materiali gladio, iſte ſpirituali qui eſt verbum Dei aſſiduè dimicabant. Hugo Wellenſis Archidiaconus, germanus Jocelini Bathonienſis, fit Lincolnienſis Epiſcopus.

MCCX	INNOCENTII III. XII.	OTHONIS. IV I, XII.	PHILIPPI VI. XXIX.	JOHANNIS. I, XJ.

Imperator, & Rex Angliæ. excommunicantur,

INNOCENTIUS Papa in Othonem Imperatorem Eccleſiæ Romanæ rebellem excommunicationis ſententiam fulminavit, Principéſque Teutoniæ ab ejus fidelitate abſolvit, ac ne quis eum Imperatorem appellaret interdixit ſub interminatione anathematis. Excommunicavit etiam Johannem Regem Angliæ, pro eo quòd Archiepiſcopum Stephanum ad ſuam Eccleſiam accedere non permiſit. JOHANNES verò Rex eodem anno circa feſtum ſancti Johannis Baptiſtæ profectus in Hiberniam, expulit inde Hugonem de Laci, & in ſuam ditionem redegit terram totam, Catholo Rege Connaciæ triumphato. Judæi per totum regnum Angliæ captivantur, & bonis eorum omnibus confiſcatis, de terra ſub edicto publico expelluntur.

Elinandus Monachus quid ſcripſerit,

His temporibus claruit in territorio Belvac. ELINANDUS Monachus, qui Chronicam ab initio mundi uſque ad tempus ſuum diligenter conſcripſit: edidit & duos libros, unum de regimine Principum, & alium quem de planctu Monachi voluit appellari. HENRICUS Græcorum Imp. coadunato exercitu terram pervagans, reſiſtentes ſubje-

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGLIÆ

cit, & ſubjectos pacificè vivere coëgit, dominationis ſuæ terminos undique amplians & dilatans. JOHANNES Rex Angliæ de Hibernia quarto Calendas Sept. proſperè reverſus, de Abbatiis aliiſque Religioſorum domibus, & præcipuè Ciſtercienſium exegit tallagium nimis grave.

MCCXI.	INNOCENTII III. XIII.	OTHONIS IV. II. XIII.	PHILIPPI VI. XXX.	JOHANNIS I. XII.

OTHONE auctoritate Apoſtolicâ condemnato, Principes Alemanniæ FREDERICUM Regem Siciliæ, Henrici quondam Imperatoris ex ſorore Conſtantia nepotem, filium Willelmi quondam Regis Siciliæ, in Regem eligunt Romanorum. Qui Romam veniens, honorificè ſuſcipitur, & tranſſcenſis Alpibus Alemanniam ingreſſus, apud Maguntiam in Regem Alemanniæ coronatur. Rex Angliæ JOHANNES Galenſes rebellantes ſubegit, qui nihilominùs reſumptis viribus iterum eodem anno Angliam infeſtabant. Nuntii mittuntur in Angliam à Papa Innocentio PANDULFUS & DURANDUS, ut ſi quo modo poſſent, pacem inter Regem & Archiepiſcopum procurarent. Eodem anno ſub edicto publico Prælati & Clerici, qui cedentes malitiæ temporum Angliam deſeruerant, ad propria revocantur; caſtrum verò Londonienſis Epiſcopi, quod Scorteforde dicitur, à Rege evertitur. ALEXANDER Regis Scotorum primogenitus Londonias veniens, à Rege Johanne militaribus armis accingitur. INNOCENTIUS Papa videns Regem Johannem Eccleſiaſticâ diſciplinâ nullatenus emolliri, ſcripſit Regi Francorum & aliis Principibus conterminis, ut Regem Angliæ inquietarent, quatinus ſaltem per hujuſmodi fractus exercitium rigorem animi conceptum remitteret, & ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam rediret tædiis & auguſtiis undique moleſtatus.

Frederius Rex Romanorum eligitur, &c.

Rex quidam Saracenorum Meramomelinus dictus, fines Hiſpaniæ cum magno eſt ingreſſus exercitu, contra quem Rex Caſtellæ, venientibus ei in adjutorium Regi-

De Rege Saracenorum victoriam inſignem refert Rex Caſtellæ.

Digitized by Google

bus Aragonum & Navarræ, procedens prælio commisso, favente Domino victoriam obtinuit & triumphum : in cujus pompam Rex Aragonum lanceam & vexillum Meramomelini Romam misit, quæ usque hodiè in beati Petri Apostoli Basilica reservantur. Ferrandus filius Regis Portugaliæ uxorem accepit filiam Baldewini Imperatoris Constantinopolitani, Flandriæ Comitissam.

SUBORTA inter Regem Francorum Philippum & REGINALDUM Boloniæ Comitem discordiâ, Comes de terris suis expellitur, & de regno Franciæ auctoritate regia exbannitur. PHILLIPPUS etiam Rex convocata Suessionis concione Procerum, tractare cœpit de transfretando in Angliam ad bellandum Regem Johannem, quod ipse titulo justitiæ, eo quòd esset rebellis Ecclesiæ, & à suis odio habitus, colorabat. Rex autem JOHANNES eodem anno exercitum duxit in Walliam, repressísque Wallensium incursibus, revertitur in Angliam circa festum Assumptionis Virginis glorioſæ. Eodem tempore cœperunt Barones à Rege Johanne deficere, prætendentes libertates eis debitas minimè conservari, de quibus per Regem acti sunt in exilium ROBERTUS filius Walteri, & STEPHANUS Ridel qui in Galliis morabantur. GALFRIDUS verò de Norwico apud Notingham carceri mancipatur. Hi tres creduntur fuisse contra Regem capitanei factionis.

S. Franciscus Ordinem instituit.

Hoc anno beatus FRANCISCUS natione Tuscus de civitate Assisii, post lasciviam juvenilis ardoris & negotiorum sæcularium vanitates mente compunctus abiit, & venditis universis quæ habuit, pecuniam cuidam ad Ecclesiæ suæ reparationem obtulit Sacerdoti. Quam cùm ille removeret abjiciens, Christo in paupertate voluntaria servire decrevit. Ab hoc anno conversionis beati Francisci institutio Ordinis fratrum Minorum, cujus ipse fundator exstitit primúsque Minister, incipit annotari. MALGERUS Wigornienſis apud Pontiniacum obiit.

PHILIPPUS

Digitized by Google

An. dom.	Papæ	Imp.	Franc.	Angl.
MCCXIII.	INNOCENTII III. XV.	FREDERICI II. II.	PHILIPPI II. XXXII.	JOHANNIS I. XIV.

PHILIPPUS Francorum Rex cöadunato navigio apud Galerium, perpendens FERRANDUM Flandrensium Comitem Regi Anglorum favere, divertit in Flandriam, ut eâ priùs subjugatâ, liberiùs deinde Angliam occuparet. Interim JOHANNES Rex Angliæ copiosâ classe navium paratâ, & præpositis eidem Willelmo de Longa-Spata Saresberiensi, REGINALDO de Dammartino Bolonienſi Comitibus, ac nobili viro HUGONE de Novavilla cum viris navalii belli peritis, transmisit eam in Flandriam, ut Regis Francorum navigium destruerent, & ipsum ab impugnatione Comitis Frandrensis impedirent. Ingressi igitur prædicti nobiles portum Damonis cum classe sua, totam ferè multitudinem navium Gallicarum, victualibus onustarum & armis, in Angliam abduxerunt. Rex autem Francorum tam subito consternatus eventu, relictas (timens ne in usum cederent adversariorum) in ira vehementi præcepit comburi, & acceptis de Gandavo obsidibus, villisque quibusdam redditis versus Parisius dirigit iter suum.

Exercitum navale Franc. profligarunt Angli.

JOHANNES Rex Angliæ videns Barones suos contra se insurgere, utpote qui cum Rege Francorum per litteras ligias fecerant, spondentes regnum Angliæ Ludowico filio Regis ejusdem, offensámque domini Papæ super se de die in diem aggravari, flexus est animo, & in primis Archiepiscopum Stephanum ad suam permisit sedem accedere, ac liberè in omnibus fungi sibi debitâ dignitate. Cupiens etiam contra hostes tam domesticos quàm extraneos Ecclesiasticâ protectione muniri, procurante Pandulfo Apostolicæ Sedis Legato, totum regnum suum Angliæ & Hiberniæ Deo & beato Petro Apostolo, ejúsque Vicario Catholico Innocentio Papæ tertio, successoribúsque Catholicis, in remissionem peccatorum suorum totiúsque generis sui, in mille marcis, scilicet pro Anglia septingentis, & pro Hibernia

Reconciliatur Rex Angliæ Innocentio Papæ.

Digitized by Google

trecentis constituit censuale, supérque hoc chartam* suam fecit subscriptum continentem tenorem.

* *Ampliorem vide in Tom. V. Spicilegii, pag. 574.*

» IOHANNES Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hiber-
» niæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes Ande-
» gaviæ, Omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos
» præsens scriptum pervenerit, salutem. Universitati vestrę
» notum fieri volumus, quòd cùm Deum & matrem san-
» ctam Ecclesiam in multis offenderimus, & propter hoc
» plurimum indigere divinâ misericordiâ noscamur, nec
» quid dignè offerre possimus pro satisfactione Deo & Ec-
» clesiæ debitâ faciendâ, nisi nos ipsos habeamus* & Regna
» nostra: volentes humiliari pro illo qui se humiliavit pro
» nobis usque ad mortem, gratiâ Spiritus sancti inspirante,
» non vi inducti vel timore cõacti, sed nostrâ bonâ sponta-
» neáque voluntate, ad optimum consilium Baronum no-
» strorum, offerimus & liberè concedimus Deo & sanctis
» Apostolis suis Petro & Paulo, & sanctæ Romanæ Ecclesię
» matri nostræ, ac domino nostro Papæ INNOCENTIO, ejús-
» que Catholicis successoribus totum regnum Angliæ & to-
» tum regnum Hiberniæ, cum omni jure & pertinentiis suis,
» pro redemptione peccatorum nostrorum, & totius ge-
» neris nostri, tam pro vivis quàm pro defunctis, & amodò
» illa à Deo & Ecclesia Romana tamquam feodarius reci-
» pientes & tenentes in præsentia prudentis viri PANDULFI
» domini Papæ Subdiaconi & familiaris, fidelitatem exin-
» de domino Papæ prædicto Innocentio ejúsque succesſo-
» ribus Catholicis, & Ecclesiæ Romanæ, secundùm sub-
» scriptam formam, & homagium ligium eidem fecimus,
» sicut in præsentia domini Papæ faciemus, coram eo
» quandocumque esse poterimus. Successores nostros de
» uxore nostra in perpetuum obligantes, ut simili modo
» Pontifici qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ
» sine contradictione debeant fidelitatem præstare, & ho-
» magium recognoscere. Ad indicium hujus perpetuæ
» nostræ obligationis & concessionis volumus & stabilimus,
» ut de propriis & specialibus reditibus prædictorum no-

f * exhibeamus.

Digitized by Google

ſtrorum pro omni conſuetudine, quam pro ipſis facere « debemus, ſalvo per omnia denario ſancti Petri, Eccleſia « Romana mille marcas Sterlingorum percipiat annua- « tim; primò in feſto ſancti Michaëlis quingentas, & in « Paſcha quingentas; ſeptingentas pro Regno Angliæ, & « trecentas pro Regno Hiberniæ. Salvis nobis& heredi- « bus noſtris juſtitiis, libertatibus,& Regalibusnoſtris. Quę « omnia ſupradicta rata eſſe volentes, & perpetua atque « firma, obligamus nos & ſucceſſores noſtros contra non « venire. Et ſi nos vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum hoc « attemptare præſumpſerit, quicumque fuerit ille, niſi « admonitus reſipuerit, cadat à jure Regni, & ut charta « obligationis & conceſſionis noſtræ ſemper firma perma- « neat: Ego JOHANNES Dei gratiâ Rex Angliæ, dominus « Hiberniæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, Comes « Andegaviç, ab hac hora inantea ero fidelis Deo & beato « Petro, & Eccleſiæ Romanæ, & domino Papæ Innocen- « tio, ſucceſſoribúſque ejuſdem catholicè intrantibus: « nec ero facto, dicto, conſenſu, conſilio, ut vitam perdant, « vel membra, vel malâ capiantur captione, eorum dam- « num ſi ſcivero impediam, & removere faciam ſi potero. « Alioquin eis quàm citiùs potero intimabo, vel tali perſo- « næ dicam quam eis credo pro certo dicturam. Conſilium « quod mihi tradiderint per ſe vel per Nuntios ſuos vel per « litteras ſuas, ſecretum tenebo, & ad eorum damnum « nulli pandam me ſciente. Patrimonium beati Petri « & ſpecialiter regnum Angliæ & Hiberniæ adjutor ero « ad tenendum & defendendum contra omnes homines « pro poſſe meo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta « Evangelia. Teſte meipſo apud domum Militiæ Tem- « pli juxta Doveriam, anno Regni noſtri quarto-de- « cimo.

His peractis JOHANNES Rex à ſententia excommuni- cationis abſolvitur publicè in Eccleſia Cathedrali Win- tonienſi, præſtitâ juratoriâ cautione de reſtitutione ablatorum tam Clericis quàm Laïcis facienda: & de reci-

Digitized by Google

piendis omnibus in plenam gratiam & amorem. Exinde PANDULFUS Legatus in Galliam transiens, Francorum Regi Philippo sub anathematis interminatione prohibuit, ne transiret in Angliam neu Regem Angliæ jam reconciliatum Ecclesiæ, quominùs regnum suum pacificè possideret, aliquatenus per se vel per alios infestaret. Duravit tamen adhuc interdictum in Anglia, Clero illud relaxari nolente, quousque de ablatis satisfactum esset ad plenum.

Urbes & munitiones quasdam recuperat Rex Angl.

JOHANNES Rex eodem anno transfretans, susceptus est honorificè in Rupella. Nec multò pòst reconciliatis sibi Comite Marchiæ & GALFRIDO de Laudunano, cepit urbem Andegavensem, & castrum quod dicitur Bellum-forte, aliásque munitiones quamplures. Turba militum ejus trans Ligerim missa, ad prædandum Robertum Comitis Drocarum filium & milites quatuordecim cum eo in armis sibi occurentes ceperunt.

JOHANNES Rex impetratis à Sede Apostolica quinque annorum induciis super restitutione ablatorum, ita quòd singulis annis usque ad complementum una pecuniæ portio solveretur, invito Clero relaxationem obtinuit interdicti, quod jam sex annis, mensibus tribus, & diebus septem & decem duraverat. Urbem verò Andegavensium quam nuper ceperat usque ad Medianam fortissimo muro cinxit. Exinde progressus ulteriùs, castrum quod Rupes-monachi dicitur, à Willelmo de Rupibus Andegaviæ Marescallo ob tuitionem itineris constructum obsedit; sed superveniens Ludovicus Regis Francorum primogenitus cum exercitu valido, obsidionem dissolvi coëgit, discedentiúmque cum celeritate papiliones & alia utensilia occupavit. Urbs Andegavis Regi Anglorum infida Ludowico se reddidit, qui muros ejus noviter constructos à Rege, ad solum diruens com-

Urbem Andegavens. obsidione factâ ab Anglis solvit Ludovicus Regis Franc. filius.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGL.

planavit. Attendens autem Anglorum Rex Pictavenſes & Andegavenſes plus parti Gallicorum quàm ſuæ favere, in treugas quinquennales à Rege Franciæ per Robertum domini Papæ Legatum & Ranulfum Ceſtriæ impetratas conſenſit. Eodem anno OTHO ab Imperio judicio Eccleſiæ depoſitus, aſſociatis ſibi Duce Brabantiæ ac Comitibus nonnullis, cum Philippo Rege Francorum apud Bovinas congreſſus, & inferior factus ſuæ ſaluti conſuluit fugiendo. Capti ſunt à Gallicis in hoc prælio Comites FERRANDUS Flandrenſis, WILLELMUS de Longa Spata Sareſberienſis, & REGINALDUS de Dammartino Bolonienſis, & alii multi Milites & Barones.

Induciæ inter Reg. Franc. & Angl.

Imperator victus à Rege Franc.

Obiit Willelmus de Glawille Epiſcopus Roffenſis. Ricardus Decanus Sarum in Ciſtrenſem, & Walterus Cancellarius Regis in Wigornienſem Epiſcopos conſecrantur.

MCCXV.	INNOCENTII III. XVII.	FREDERICI II. IV.	PHILIPPI VI. XXXIV.	JOHANNIS I. XVI.

OTHO adverſante ſibi fortunâ poſt bellum quod ad Bovinas commiſſum eſt, in Saxoniam reverſus, privatam vitam toto ævo ſuo duxit in Ducatu qui ſibi jure hereditario competebat. Tandem dyſenteriæ morbo laborans, convocatis Epiſcopis alióque Clero inſtanter cum lacrimis abſolutionem ſuper ſua rebellione petiit, & accepit. Miles quidam Anglicus, dictus Johannes de Bonavilla, qui ſub iſto Othone pluribus militaverat annis, ſæpe de illo cum magna devotione referre ſolebat, quòd cùm inſtante morte viaticum recipere, (quia nihil retinere poterat) non auderet, tamen corpus Chriſti ad inſtantiam ejus, ut illud videret, allatum humiliter adoravit, cùm quaſi amplexaturus brachiis expanſis, nudato pectori approximaret: hoſtia illa in loco ubi cor latuit ſubitò factâ aperturâ, intravit proſiliens de manibus Sacerdotis, & abſque omni cicatricis veſtigio reclùſus eſt locus, ſícque decumbens ſpiritum reddidit.

Piè moritur Otho Imp.

Corpus Chriſti miraculo ſuſcepit.

Digitized by Google

FREDERICUS Siciliæ Rex qui adnisu INNOCENTII Papæ Maguntiæ in Regem Romanorum fuerat coronatus, auditâ fugâ Othonis apud Bovinas, collecto exercitu de partibus Sueviæ ubi tunc morabatur, Aquisgranum contendit, & civitatem obsidens tandem cepit, & in eadem octavo Kalendas Augusti in Regem Romanorum iterum coronatur. JOHANNES Rex Angliæ unà cum Comitibus Cestriæ, de Rebeye, aliisque nobilibus crucem accepit à Willelmo Londoniens. Episcopo in Ecclesia S. Pauli, verùm adversante fortunâ non licuit ei tam utili vacare proposito, insurgentibus contra eum Baronibus suis post Pascha, eo quòd libertates & jura ab eo petita, & ut dicebant promissa non persolverit nec impleverit in effectum: unde & per quemdam Canonicum regularem ipsum diffidarunt apud Redingiam tertio Nonas Maii. JOHANNES Rex Willelmum de Longa Spata Comitem Saresberiensem à Gallicis captum, mutatione Roberti filii Comitis Drocarum redemit, licèt ex quibusdam causis hoc priùs facere renuisset. Civitas Londoniarum à Rege deficiens decimo-sexto Calendas Julii se transtulit ad Barones. Rex Johannes multos de Baronibus & militibus in castro Roffensi, quod sibi post aliqualem obsidionem redditum fuerat cepit, & ad castrum insigne de Corf captivos transmisit. Barones LUDOWICUM Regis Francorum filium in suum subsidium evocant, eidem Rege Johanne expulso regnum Angliæ promittentes. Eodem anno mense Septembri multi viri nobiles Brabantini & Flandrenses, profusis Regis Anglorum stipendiis allecti, volentes transfretare in Angliam, passi naufragium inter fluctus periclitantur marinos.

Rex Angliæ Cruce acceptâ impeditur à suis Baronibus, quòd in ipsum insurrexerint, ne se itineri committeret.

Hoc anno mense Novembri sub Papa INNOCENTIO Lateranense celebratur Concilium, in quo lata est sententia excommunicationis in omnes, qui Regem Angliæ satagebant de regno suo modo quolibet exturbare. RAYMUNDUS Comes Tolosanus cum filio suo Raymundo pravitate pollutus hæreticâ condemnatur: Quem post-

Concil. Lateran. celebrat Innocentius Papa.

Digitized by Google

modùm Rex Franc. expugnans, Toloſanum obtinuit Comitatum. Libellus de Trinitate quem Abbas JOACHIM contra Magiſtrum Petrum Lumbardum Pariſienſ. Epiſc. edidit, reprobatur. Damnatus eſt & AMALRICUS quidam cum ſua doctrina impia & perverſa. Aſſeruit namque ideas in mente divina & creare & creari : ideóque Deum dici finem omnium, quòd omnia ſunt reverſura in eum, ut in Deo immutabiliter quieſcant, & unum individuum in eo atque incommutabile permanebunt: & ſicut alterius naturæ non eſt Abraham, alterius Iſaac, ſed unius ac ejuſdem; ſic dixit omnia eſſe unum, & omnia eſſe Deum. Dixit enim Deum eſſe eſſentiam omnium creaturarum, & eſſe omnium. Iterum dixit, quòd ſicut lux non videtur in ſe, ſed in aëre; ſic Deus nec ab homine, nec ab Angelo videbitur, ſed tantùm in creaturis. Iterum aſſeruit, quòd ſi homo non peccaſſet, in duplicem ſexum partitus non fuiſſet, nec generaſſet, ſed eo modo quo Angeli multiplicati ſunt, multiplicati fuiſſent & homines. Et quòd poſt reſurrectionem uterque ſexus adunabitur, ſicut (ut aſſerit) fuit priùs in creatione: & talem dixit Chriſtum fuiſſe poſt reſurrectionem. Qui omnes errores inveniuntur in libro* qui intitulatur Peri-phyſeos : qui liber Pariſius ponitur inter alios libros damnatos. Iſte Amalricus Pariſius cum ſuis ſequacibus fuit combuſtus. Dixerat etiam inter alia, quòd in caritate conſtitutis nullum peccatum imputabatur. Unde ſub tali ſpecie pietatis ejus ſequaces omnem turpitudinem committebant

Amalricus & ejus hæreſes damnantur,

* *Johan. Scotti.*

Comburitur Pariſiis,

Inſtante tempore quo Prælati ad Concilium ſe parabant, civis quidam Toloſanus nomine Petrus ſe & domos ſuas ædificiis ſpectabiles quas habebat juxta caſtrum, beato DOMINICO obtulit, ut in eis cum ſibi adhærentibus habitaret. Fulco verò Toloſanus Epiſcopus fidei zelator eximius, ſextam partem decimarum de conſenſu Capituli beato Dominico & ſuis, qui jam moribus religioſorum ſe cœperant conformare, dedit, ad libros & alia

Multa ſancto Dominico conferuntur ad inſtituendos Religioſos,

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

necessaria, sperans se de eis habiturum fideles fidei pugiles ad hæreses extirpandas. Cum hoc Episcopo beatus Dominicus Concilium adiit Lateranense, ut confirmationem Ordinis à summo Pontifice impetraret, qui Prædicatorum diceretur & esset. Sed cùm Papa super hac petitione redderet se difficilem, visum est ei nocte quadam quòd cùm Lateranensis Ecclesia minaretur ruïnam, beatus Dominicus cadentem humeris sustentavit, & à lapsu cohibuit, eam in statu debito detinendo: qua visione inclinatus est ad hoc ut Ordinem confirmaret: mandavítque beato Dominico, ut ad Fratres suos rediens, de eorum assensu Regulam aliquam eligeret approbatam.

Ordinis sui confirmationem petit in Concilio Lateranensi.

MCCXVI.	INNOCENTII III. XVIII.	FREDERICI II. V.	PHILIPPI VI. XXXV.	JOHANNIS I. XVII.

INNOCENTIUS Papa cùm inter Januenses & Pisanos pro subventione Terræ sanctæ pacem intenderet reformare, in itinere constitutus moritur Perusii, cùm sedisset annis decem & septem, mensibus quatuor, diebus viginti tribus, & in Ecclesia sancti Laurentii tumulatur. Hic inter alia fecit Hospitale Spiritûs sancti, & renovavit Ecclesiam sancti Sixti, composuit & Decretales, Sermones, Librúmque de misera conditione humani generis, & multa alia gloriosa. Item dedit singulis Ecclesiis in Roma unam libram argenti pro singulis calicibus eorum, quæ non habuerunt calices argenteos, tali pacto quòd eos vendere non possent. Hujus temporibus Livonia conversa est ad fidem. Post mortem hujus Innocentii statim electus est Honorius III. natione Romanus, qui & Decretales dicitur compilasse, & Ecclesiam S. Laurentii extra muros, Basilicámque quæ Sancta Sanctorum dicitur renovasse.

Moritur Innocentius Papa.

Ejus res gestæ & scripta.

Honorius Tertius in ejus locum subrogatus.

GUALO Apostolicæ Sedis Legatus, tituli sancti Martini Presbyter Cardinalis, venit Parisius, Philippum Regem studiosè exhortans, ut filium suum Ludowicum à transitu

Digitized by Google

transitu in Angliam cohiberet, super quo etiam nihilominus auctoritate Apostolicâ ipsum monuit Ludowicum, denuntians tam patri quàm filio sententiam excommunicationis latam in Lateranensi Concilio in omnes, qui Johannem Regem Angliæ, ut à regno dejicerent, expugnabant. Promulgatâ Excommunicationis sententiâ in eos qui Angliam turbarent.

Ludovicus spretâ monitione Legati à cœptis nequaquam destitit, sed apud Calesium Flandriæ portum classem coadunari præcepit pro exercitu in Angliam transfretando. Gualo Legatus in Angliam tendens & Ludovicum præveniens, saregit inter Regem & Barones toto nisu pacem componere licèt frustra. In crastino Assensionis Ludovicus naves conscendens cum exercitu suo applicuit in Insulam quæ Thanatos appellatur, ubi recreatis aliquantulum militibus, feriâ secundâ Sandwicum pervenit, concurrentibus sibi ibidem Baronibus suæ partis, & eum deducentibus usque Roffam, cujus castrum redditum est eidem. Feriâ quintâ in hebdomada Pentecostes veniens Londonias, cum processione sollemni receptus est in Ecclesia sancti Pauli, ubi cùm suscepisset homagia civium, usque Westmonasterium transiens, suscepit homagia Procerum adhærentium parti suæ, cum quibus progrediens cepit castra Raygate, Gildeforde, Fernaham civitatémque Wintoniæ in crastino sancti Johannis Baptistæ, & eodem die tam Regis quàm Episcopi castra reddita sunt eidem: revertendo cepit castrum de Odiham. Nihilominus Ludovicus Franc. Regis filius Angliam cum exercitu ingreditur. Capit urbem & castra.

Gualo Legatus Ludovico plurimùm conabatur obsistere excommunicando & interdicendo: sed parum proficere potuit, populo ferè toto in Regis sui odium nimiùm provocato. Interim Johannes Rex valido collecto exercitu proposuit cum Ludowico & ejus fautoribus prælio decertare: sed in ipso belli apparatu morbo correptus decubuit, & post paucos dies defungitur apud Newerk, quarto decimo Kalendas Novembris, Rex Angliæ defungitur.

Digitized by Google

cùm regnaſſet annis decem & ſeptem, menſibus quinque ac decem diebus. Sepultus eſt autem Vuigorniæ coram altari magno, in medio inter ſacro-ſancta corpora Oſwaldi & Vulſtani Pontificum beatorum. Hic Rex Abbatiam Ciſtercienſis Ordinis in Vuintonienſi diœceſi, quæ Bellus-locus dicitur, & Monaſterium Virginum apud Godeſtowe in Lincolnienſi diœceſi pro anima Roſamundæ, quæ aliquando patris ſui fuerat concubina fundavit: propter quod putant nonnulli ad illum Merlini fatidici vaticinium referri quo dixit: *Virginea munera virginibus donabit. Promerebitur inde favorem Tonantis, & inter beatos collocabitur.*

S. Dominicus electâ Regulâ Ordinis approbationem obtinet.

Eodem anno beatus Dominicus electâ à Fratribus Regulâ beati Auguſtini Doctoris eximii, Romam reverſus defuncto Papâ Innocentio, ab ejus ſucceſſore Honorio confirmationem Ordinis qui Prædicatorum diceretur obtinuit, cujus ipſe primus Fundator exſtitit & Magiſter. Data eſt hoc anno Fratribus Eccleſia S. Romani in Toloſa, ubi & prima Domus Ordinis eſt fundata.

Expliciunt geſta IOHANNIS *Regis Anglorum.*

Digitized by Google

INCIPIUNT GESTA TEMPORUM HENRICI TERTII REGIS ANGLORUM,

Qui fuit filius JOHANNIS, *qui fuit quartus eorum Regum, qui à Comitibus Andegavensibus duxerunt originem secundùm lineam masculinam*

HENRICUS filius JOHANNIS Regis ex ISABELLA filia Comitis Engolismensis, annum ætatis decimum agens, post patrem defunctum, anno Domini millesimo ducentesimo decimo sexto sublimatur in Regem, & præsentibus GUALONE Apostolicæ Sedis Legato, cum Episcopis Jocelino Bathonensi, Willelmo Conventrensi, aliisque Prælatis pluribus, Reginâque Isabella cum Comitibus Willelmo Marescalli, Willelmo de Ferrariis, magnâque aliorum Nobilium multitudine, per Petrum Wintonensem Episcopum quinto Kalendas Novembris, in die videlicet Apostolorum Simonis & Judæ, in Eccleſia beati Petri Monachorum Gloverniæ inunctus in Regem sollemniter coronatur. LUDOWICUS Regis Francorum filius cùm jam castrum Doveriæ obsedisset diebus quindecim, nihil proficiens Londoniam revertitur, ubi in die sancti Leonardi redditur ei Turris. Progressus verò de Londonia, castrum de Herford cepit in die Apostoli Andreæ, & castrum de Berchamstede in die sanctæ Luciæ. Et exinde acceptæ sunt treugæ inter

MCCXVI. Henricus III. Rex Angliæ coronatur.

Digitized by Google

Regem juvenem Henricum & Ludowicum usque ad festum Fabiani & Sebastiani Martyrum beatorum, quibus firmatis, Ludowicus in Gallias transfretavit. Interim verò multitudo magna Baronum & Militum, rupto fœdere quo se Ludowico adstrinxerant, eâ mentis levitate quâ à patre desciverant, ad filium revertuntur.

Rupto fœdere cum Ludovico Angli Henrico fidelitatem promittunt,

MCCXVII. | LUCII III. I. | FREDERICI II. VI. | PHILIPPI VI. XXXVI. | HENRICI III. I.

POST lapsum treugarum Ludowicus in Angliam rediens & applicans Dovoriæ, castrum ejus obsedit, sed intentione frustratus, usque Windelsoram castrum insigne contendit. Quod cùm ad capiendum non proficeret, ordinatis dietis cum exercitu valido versus Lincolniam dirigit iter suum. Sabbato verò in hebdomada Pentecostes, exercitus Regis juvenis brevi tempore vehementer auctus, Ludowico in Lincolnia existenti superveniens bellum indixit. Igitur juxta civitatem gravissimo conserto prælio, nutu divino juveni Regi Henrico cessit victoria & triumphus, fugiente Ludowico nempe cum suis. Interfecti sunt de Gallicis milites ut fertur quadringenti, inter quos cecidit nobilis ille Comes Thomas de Perticis, quem cùm ex sorore Othonis Imperatoris utriusque Regis Francorum scilicet & Anglorum consanguineus esset, paci potiùs quàm bello in exheredationem sanguinis decuerat studuisse. Feruntur etiam captivati quinquaginta duo milites de complicibus Ludowici, de quorum numero erat Gilbertus de Clare vir inclytus, quem cepit Willelmus Marescalli, & Gloverniam deduci fecit custodiæ mancipandum: cui posteà sedatis rebus pacéque reflorente Isabellam filiam suam matrimonio copulavit. Lapsis post hoc prælium diebus paucis, cæsus est ab Anglicis navalis exercitus Ludowici: Huic præerat Eustachius quondam ut fertur Monachus, qui ut decebat apostatam, suam ostendens inconstantiam, sæpe de uno Rege transiit ad alium, & tanquam

Conserto prælio cessit victoria Regi Anglorum,

Digitized by Google

de Monacho factus dæmoniacus, dolo & perfidiâ plenus fuit: cujus caput abscissum, delatum est per diversa loca Angliæ super palum.

Pacem petit & obtinet Ludovicus Regis filius: ipsúmque ab excommunicatione solvit A. S. Legatus.

Ludowicus Londoniæ receptus terrâ marique sibi comperiens detrimenta augeri, adversámque partem de die in diem roborari, pacem petiit necessitatis articulo compellente. Convocatis igitur ad præsentiam domini Gualonis Apostolicæ Sedis Legati Prælatis & Proceribus Angliæ in quadam insula, juxta villam de Kingestone, per mediationem eorum pax & concordia in integrum reformatur. Ludowicus enim præstito juramento, quòd mandatis pareret Ecclesiæ, à sententia excommunicationis absolvitur: Sícque renuntians regno Angliæ, præstitóque juramento quòd adepto regno paterno, omnia per patrem suum Regibus Anglię injustè ablata restitueret, liber cum suis omnibus remeavit.

Petrus Autissiod. Comes fit Imperator Constantinop.

Honorius Papa Petrum Autissiodorensem Comitem, in Imperatorem Constantinopolitanum coronavit in Ecclesia S. Laurentii extra muros. Qui cum Johanne de Columna Presbytero Cardinali in Græciam transfretans, Durachium civitatem obsedit, sed post non multos dies à Duce ejus urbis Theodoro captivatur. Eodem anno insurgentibus Tolosanis contra Comitem Montisfortis, beatus Dominicus electo Fratre quodam nomine Matthæo in Abbatem, qui primus & ultimus fuit in Ordine, Fratres dispersit, quosdam mittens in Hispaniam, quosdam verò Parisius. Ipse autem Romam adiens, Domum Sororum apud sanctum Sixtum instituit, ubi dum moram faceret, nepotem cujusdam Cardinalis equo lapsum, factúmque exanimem vitæ restituit: architectum etiam quemdam præcipitatum ad mortem mirabiliter suscitavit. Illis diebus morabatur in curia Magister Reginaldus Decanus sancti Aniani Aurelianensis, Doctor Juris Canonici, qui beato Dominico admodum familiaris, ingressum Ordinis vehementer habebat in voto; sed intercedente ex causis dilatione, tam

S. Dominicus patrat miracula.

Digitized by Google

gravi febris vexatione correptus est, ut invalescente morbo relinqueretur à medicis penitùs desperatus. Qui orante pro eo beato Dominico, vidit gloriosam Matrem Dei ad se venire, comitantibus eam duabus Virginibus admodùm speciosis: quæ extensa manu virgineâ oculos sibi & nares, ósque, renes ac pedes perunxit unguento quod secum attulerat salutari, verba proferens propria ad singulas unctiones, de quibus tantùm illa retinuit, quæ ad renes dicebantur & pedes, quorum ad renes erant: *Stringantur renes tui cingulo castitatis*; ad pedes verò, *Ungo pedes tuos in præparationem Evangelii pacis.* Tandem ei habitum quo nunc utuntur Fratres ostendens, ait: Hic est habitus Ordinis tui. Mane igitur facto venienti ad se beato Dominico narravit per ordinem visionem. Illa verò cœlestis unctio virum sanctum non modò celeriter ab æstu febrium sanavit, sed & carnem ejus sic ab ardore concupiscentiæ temperavit, ut nec primus libidinis motus in ea (sicut ipse fassus est postmodùm) pullularet. Sanus autem effectus, habitum Ordinis qualem sibi ostensum viderat suscepit, & Deo se totum offerens, professionis vinculo Dominico se adstrinxit. RICARDUS Ciceſtrensis Episcopus translatus est usque Sarum. Obiit WILLELMUS de Vernon Comes Devoniæ.

MCCXVIII. | LUCII III. II. | FEDERICI II. VII. | PHILIPPI VI. XXXVII. | HENRICI III. II.

NOBILES multi Francorum & Anglorum devotione allecti, peregrinationem Jerosolymitanam sunt aggressi, inter quos fuerunt RANULFUS Ceſtriæ & WILLELMUS de Rebeye Comites, viri strenui & famosi. JOHANNES Rex Jerusalem & Dux Austriæ coadunato exercitu valido ex multitudine peregrinorum nationum diversarum civitatem Damiatam obsederunt. Ceperant autem priùs cum labore maximo turrim quandam munitissimam in alveolo fluminis sitam. STEPHANUS Cantuariensis diu Romæ detentus, tandem impetratâ licen-

Digitized by Google

tiâ in Angliam rediit cum honore. Septimo Idus Julii apud Wigorniam beati Wlſtani Confeſſoris corpus venerabile in capſam transfertur argenteam. Circa feſtum Beati Clementis Martyris PANDULFUS venit in Angliam, Gualone ad Curiam revocato. SIMON Comes Montisfortis in obſidione Tholoſæ ictu petrariæ percuſſus decedit. Ranulfus quidam fit Epiſcopus Ciceſtrenſis. Beatus autem Dominicus poſt receptionem fratris Reginaldi profectus in Hiſpaniam, duas in ea domos Fratrum fundavit. Eodem anno cùm Fratres miſſi Pariſius ſtarent in quadam domo conducta inter domum Epiſcopi & domum Dei; Univerſitas attendens eorum religioſam converſationem & vitam ſtudioſam acceptans, contulit eiſdem domum ſancti Jacobi, ubi nunc manent, cujus uſque in præſens penes ſe retinet patronatum.

URBS Jeroſolymitana licet inexpugnabilis videretur, à Coradino filio Saladini capta eſt, cujus muros cum turribus evertit, & in lapidum acervos redegit: Templo tantùm & turri David detulit, Dominicóque ſepulcro. Credunt namque Dominum JESUM magnum fuiſſe Prophetam, & de Virgine natum, ingentiáque miracula feciſſe, prout in eorum legitur Alcorano. Chriſtiani verò in obſidione Damiatæ frequentes dantes aſſultus, per totam æſtatem plurimùm laboraban t, proficientes parum aut nihil. In die verò Decollationis ſancti Johannis, Saraceni copiam fecerunt pugnæ, in qua multi Chriſtianorum nobiles occiſi ſunt & capti. Superveniente verò peregrinorum auxilio, quorum SAVARICUS de Malo-leone erat Capitaneus, reparatur obſidio. Nonis verò Novembris annuente Domino IESU-CHRITO, & domino Pelagio Albanenſi Epiſcopo ſollerter agente, capitur Damiata in oculis Regis Babylonis, qui divino terrore perculſus, milites Chriſtianos more conſueto

Urbs Jeroſol. capitur deſtruiturque.

Damietam capiunt Chriſtiani.

Digitized by Google

aggredi non eſt auſus. Eſt autem Damiata civitas Ægypti maritima in terra Geſſen, inter Rameſſe & Campotaneos * ſita, antemurale totius Ægypti Helipolis dicta olim.

* Campum Tanеos.

Hoc anno WILLELMUS Mareſcalli ſenior defungitur, & in craſtino Adſcenſionis apud novum Templum Londoniæ ſepelitur. Hic prole felix, quinque habuit filios, quorum Willelmus fuit paternæ hereditatis ſucceſſor; & quinque filias, quarum ſeniorem Matildem Hugoni Bigoth, ſecundam Iohannam Garino de Monte-camiſii, tertiam Iſabellam Gilberto de Clare, quartam Sibillam Willelmo de Ferrariis Comiti Derebeye, quintam Evam Willelmo de Brehuſe dum adhuc viveret maritavit. Ad quarum heredes, deficiente fratribus ſucceſſione, totius Mareſcalliæ hereditatis ampliſſima eſt devoluta.

MCCXX. | LUCII III. IV. | FREDERICI II. IX. | PHILILPI VI. XXXIX. | HENRICI III. IV.

FREDERICUS Romanorum & Siciliæ Rex, ab Honorio Papa in Baſilica beati Petri Apoſtoli Imperiali diademate coronatur. In feſto Pentecoſtes Rex HENRICUS Londoniis coronatur. Treugæ quatuor annorum inter Philippum Francorum & Henricum Anglorum Reges circa Cathedram ſancti Petri pro Pictavia ſunt acceptæ. Hoc anno inchoatum eſt novum opus Weſtmonaſterii, cujus in propria perſona Rex primam poſuit lapidem fundamenti. De ſingulis autem carucis Angliæ dati ſunt Regi duo ſolidi pro relevamine ſtatus ſui. STEPHANUS Cantuarienſis crucem prædicans apud Weſtmonaſterium, canoniſationem S. HUGONIS Lincolnienſis Epiſcopi publicavit à Papa Honorio nuper factam. Nonis Julii corpus venerabile beati Thomæ Martyris præſentibus Henrico Rege, & Pandulfo Apoſtolicæ Sedis Legato cum multitudine Prælatorum & Procerum tranſlatum, & in capſa pretioſa diligentiſſimè collocatum.

Latini

Digitized by Google

Latini qui morabantur in Græcia, detento adhuc in carcere Petro Imperatore, missis sollemnibus nuntiis ad filium ejus Comitem Namurcii, ut veniret & eis imperaret suppliciter invitarunt. Qui honorem sibi oblatum respuens, fratrem suum juniorem HENRICUM nomine ad eos transmisit, quem illi gratanter admittentes, Imperiali honore & diademate sublimarunt. Hoc anno ceperunt Christiani civitatem Ægypti Tanis non minori miraculo quàm priùs ceperant Damiatam. Hoc anno in itinere peregrinationis Jerosolymitanæ HENRICUS de Boun Herfordensis, & socrus Dequenti Wintonienſis Comites obierunt.

In Ordine Prædicatorum cœperunt haberi Capitula generalia, quorum primum Bononiæ hoc anno sub beato Dominico celebratur. Statutum est in hoc Capitulo ne possessiones & reditus amodò reciperentur in Ordine, & quòd illis renuntiarent, quas habebant in partibus Tolosanis. Unde tria castra quæ beato Dominico pro sustentatione Fratrum suorum collata erant, data sunt sororibus Monasterii Pruliani. Hoc anno Clerici qui infra castrum Regis apud veterem Sarum manebant, unà cum Sede Episcopali ad villam Episcopi, quæ nunc Nova-sarum dicitur, & privilegio civitatis donata est, à Rege Henrico transferuntur procurante negotium Episcopo Saresberiensi Ricardo, & eodem Rege devotiùs annuente

ISABELLA mater Regis Angliæ, irrequisito filii vel consilii sui consensu, transfretans in Gallias, nupsit Comiti Marchiæ, filio Hugonis Brun, qui statim quædam castra Regis in Pictavia in manu expugnans valida occupavit. Eodem anno WILLELMUS de Fortibus Comes de Alba-marla, in Comitatu Lincolniæ multos ad rebellionem commovit: qui dum ad pacem Regis ve-

Digitized by Google

Principes Angliæ coacti reddunt Regi Comitatus, castra, &c.

nire contemnit, à domino Pandulfo, Apostolicæ Sedis Legato excommunicationis sententiâ innodatur: Quem etiam Rex cum fautoribus subigens, quosdam carcerali custodiæ, quosdam exsilio perpetuo condemnavit. Fuerunt quidam alii viri magni, qui munitiones & castra possessionésque alias Regis injusto dominio usurpabant: inter quos præcipui erant FAUKESIUS de Breaute, qui Comitatus Northamtoniæ, Oxoniæ, Bukingham, Bedefordiæ cum castris & forestis adjacentibus; PETRUS de Malolacu, qui castra de Corf & de Schirebourne cum Comitatibus Somersetensi & Dorsetensi, custodiis & forestis; PHILIPPUS de Mark qui castra de Notingham de Pecto cum Comitatibus Notinghamiæ & Dereberiæ ac forestis; ENGELARDUS de Ciconia, qui castra de Windelesore, & de Odiham in Regis injuriam detinuerant, & nunc coacti sunt omnia resignare regiæ voluntati. HUBERTUS de Burgo Comes Cantiæ, sororem Regis Scotiæ accepit uxorem: qui ob probitatem & fideliatem eximiam custos Regis juvenis & totius Angliæ Justitiarius factus est, omnium de regno Majorum assensu.

PELAGIUS Apostolicæ Sedis Legatus in terra sancta, in festo Apostolorum Petri & Pauli cum magna parte exercitûs versus Babylonem profectus, cùm ad locum medium, ubi Nilus in tria magna flumina scinditur, veniisset; occupato ponte quem Saraceni construxerant, in planitie litoris tentoria figi jussit. Soldanus Christianos ferventes esse attendens ad pugnam noluit aperto Marte confligere, sed ut exercitum affligeret inediâ, prohibuit apportationem victualium, viarum aditibus undique custoditis. Supervenit & inundatio Nili, quæ totam terram ubi erat exercitus Domini occupans, usque ad genuum profunditatem resolvit in cenum. Quibus malis coacti sunt Christiani (eâ pactione quòd pars crucis Dominicæ quam Soldanus Babylonis & Damasci asportaverat de Jerosolymis, eis redderetur, liberarentúrque omnes Christiani captivi, dato salvo conductu usque Achon) Damia-

Exercitus Christianorum coguntur Terram sanctam relinquere.

Digitized by Google

tam Saracenis reddere, induciásque in octo annos firmare. Sícque Damiata capta cum sumptu maximo & labore, & per annum à Christianis possessa, in Nativitate Virginis gloriosæ Saracenorum dominio iterum est subjecta. Eodem anno Tartari Georgiam & Armeniam majorem vastantes, suo eas dominio subjecerunt.

De secundo Capitulo generali Fratrum Ordinis Prædicatorum, quod sub beato Dominico celebratum est Bononiæ, hoc anno missi sunt Fratres prædicatores in Angliam, qui numero tredecim, habentes Priorem Fratrem GILBERTUM de Fraxineto, in comitiva venerabilis Patris domini PETRI de Rupibus Wintonienſis Episcopi, Cantuariam pervenerunt: ubi cùm se domino Stephano Cantuarienſi Archipræsuli præsentâssent, audito quòd Prædicatores essent, statim Fratri Girberto imposuit, ut coram se sermonem faceret in Ecclesia quadam, in qua ipsemet proposuerat eodem die prædicare. Cujus verbis admodùm ædificatus Pontifex, toto suo tempore religionem Fratrum Prædicatorum & officium prosecutus est gratiâ & favore. Progredientes autem Fratres de Cantuaria, venerunt Londonias in festo sancti Laurentii, & ulteriùs Oxoniam in festo Assumptionis Virginis gloriosæ, in cujus honore oratorium construxerunt, & habebant Scholas illas quæ nunc sancti Edwardi dicuntur, in cujus parochia locum acceperant, in quo tempore aliquo morabantur. Sed cùm non esset opportunitas locum sufficienter dilatandi, transtulerunt se ad locum à Rege eis concessum, ubi nunc habitant extra muros.

In Angliam mittuntur Prædicatores Dominicani, ac diversis in Regni locis instituuntur.

Eodem anno octavo Idus Augusti beatus DOMINICUS Ordinis Prædicatorum institutor, primúsque Magister, in Conventu Bononiensi dies suos in bono, & annos suos complevit in gloria: acceptóque denario diurno, tamquam fidelis servus & prudens in gaudium Domini sui fideliter introivit: cujus vitæ sanctitatem in memoriam

Digitized by Google

æternam miraculorum gloria proteſtatur. Tranſitus autem ejus Fratri Gualæ Priori Brixiæ, qui poſteà fuit ejuſdem civitatis Epiſcopus, revelatus eſt per hujuſcemodi viſionem. Eâdem namque horâ quâ beatiſſimi Patris anima migravit à corpore, ſicut poſteà compertum eſt, vidit aperturam in cælo per quam dimittebantur candidæ ſcalæ duæ, quarum unius ſummitatem tenebat Chriſtus Dominus, alterius Mater ejus: Angeli autem lucis diſcurrebant adſcendentes per eas: & ecce inter utramque ſcalam ſedes poſita erat in imo, & ſupra ſedem ſedens, & qui ſedebat ſimilis erat Fratri habenti faciem velatam capucio, quemadmodum in Ordine moris eſt Fratres mortuos ſepelire. Trahentibus autem ſcalas illas Chriſto Jesu & Matre trahebatur & ſedes pariter cum ſedente, donec pſallentibus Angelis cælo illatus eſt. Receptis igitur in cælum ſcalis, & ſede cum eo qui in ſede fuerat collocatus, cæli apertura clauſa eſt. Stephanus de Faukenberge factus eſt Londonienſis Epiſcopus.

MCCXXII. | LUCII III. VI. | FREDERICI II. II. XI. | PHILIPPI VI. XLI. | HENRICI III. VI.

Concilium Oxoniæ.

Stephanus Cantuarienſis Præſul primum Concilium ſuum tenuit Oxoniæ, in quo Diaconus quidam apoſtata convictus, degradatus eſt, & manui ſæculari traditus, flammis ultricibus eſt abſumptus. Ruſticus etiam quidam ſeipſum crucifigens, ac ſtigmata vulnerum Chriſti ſuperſtitione quâdam circumferens, perpetuò immuratur.

Hoc anno in Capitulo Fratrum Prædicatorum generali tertio quod Pariſius celebratum eſt, ſucceſſor beati Dominici in Magiſterio Ordinis Fratrum Prædicatorum factus eſt frater Jordanus natione Teutonicus diœceſis Maguntiæ, qui cùm Pariſius in ſcientiis ſæcularibus, & præcipuè in Mathematicis magnus haberetur, libros

Digitized by Google

duos admodum utiles, unum de ponderibus, & alium de lineis datis dicitur edidiſſe. Poſteà ad ſtudium Theologię ſe transferens, tandem ad prædicationem Fratris Reginaldi, de quo ſupra facta eſt mentio, Ordinem Prædicatorum ingreſſus in die Cinerum, dum Fratres illam Antiphonam, *Immutemur habitu*, decantarent. Circa ea tempora multi viri ſcientiâ & ſanctitate illuſtres, abjectis ſæcularium divitiarum copiis, Chriſtum pauperem imitari conantes, ad Prædicatorum & Minorum Ordines confluxerunt. Inter quos erant Johannes de ſancto Ægidio, & Alexander de Hales Doctores in ſacra Theologia ambo & Anglici natione: quorum Johannes in Domo Fratrum Prædicatorum ſermonem faciens ad Clerum, cùm ſuaſiſſet paupertatem voluntariam, ut verba ſua exemplo confirmaret, deſcendens de ambone, habitum Fratrum recepit, & in eodem regreſſus ad Clerum ſermonem explevit. Occaſione ejus habuerunt Fratres duas Scholas infra ſępta ſua, reſumente eo lectiones ſuas poſt Ordinis ingreſſum ad importunam inſtantiam auditorum. Suaviſſimus quippe moralizator erat, ut ſatis conſiderare poterit qui libros ejus inſpexerit manu propriâ emendatos. Fuit nihilominus in arte medicinæ expertiſſimus, ut potè qui tam Pariſius, quàm in Montepeſſulano rexerat in eadem. De cujus curis & pronoſticationibus referuntur plurima admiranda. ALEXANDER verò qui Fratrum Minorum Ordinem ingreſſus eſt, Summam Theologiæ illis temporibus perutilem conſcripſerat cum diligentia maxima & labore. Obiit Radulfus Ciceſtrenſis Epiſcopus.

Plures viri inſignes inſtituta SS. Dominici & Franciſci arripiunt.

Digitized by Google

Anni Dom	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCXXIII.	LUCII III. VII.	FREDERICI II. III. XII.	PHILIPPI VI. XLII.	HENRICI III. VII.

JOHANNES Rex Jeruſalem in Italiam veniens, filiam ſuam quam unicam habebat heredem regni, Frederico Imperatori matrimonio copulavit, de qua Imperator filium ſuum genuit nomine Conradinum. Obiit PHILIPPUS Francorum Rex, cui filius LUDOWICUS ſucceſſit, qui cum uxore Blanca octavo Idus Auguſti, à Guillelmo Remenſi Archiepiſcopo inunctus, Regni diademate inſignitur. JOHANNES Rex Jeruſalem factâ peregrinatione ad S. Jacobum, tranſiens per Regem Caſtellæ, ſororem ejus Berengariam accepit uxorem. LEWLINUS Princeps Vualliæ confœderato ſibi Hugone de Laci cum aliis quibuſdam, pacem Angliæ perturbavit, inquietando Vuillelmum Mareſcalli juniorem, Baronéſque alios Regi fideliter adhærentes. Quorum machinationes Rex collecto exercitu diſſipavit in brevi, & eos ad deditionem potenter coëgit. HENRICUS Frederici Imperatoris filius ex ſorore Regis Aragoniæ, puer decennis de mandato patris in regnum Alemanniæ coronatur. Obiit Simon Oxonienſis Epiſcopus, cui Vuillelmus de la Bruere ſucceſſit. Vualterus Mauclerk fit Epiſcopus Karleolenſis, qui poſt aliquot annos impetratâ à domino Papa cedendi licentiâ, Ordinem Fratrum Prædicatorum ingreſſus eſt, nullâ ſibi de Epiſcopatu proviſione penitùs reſervatâ. Qui inter Fratres in Conventu Oxoniæ religioſa converſatione conſeneſcens, multa in ædificiis & aliis memoranda reliquit. Obiit Vuillelmus Epiſcopus Ceſtrenſis.

Mortuo Philippo Regi Francorum ſucceſſit Ludovicus.

Digitized by Google

An. Dom.	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCXXIV.	LUCII III. VIII.	FREDERICI II. IV. XIII.	LUDOVICI VIII. I.	HENRICI III. VIII.

LUDOWICUS Francorum Rex postposito juramento, quod olim in Anglia præstiterat, cœpta patris contra Regem Angliæ prosequens, villam S. Johannis Angeliaci cepit, & per SAVARICUM de Malo-leone castrum de Mordum in Pictavia suæ commissum custodiæ, salvo ipso & suis, redditum est Regi Francorum. Obsedit etiam Ludowicus Rupellam, quam cum trecentis militibus præfatus nuper intraverat Savaricus. Qui primò se viriliter defendentes etiam Regis exercitum pluries molestabant. Sed tandem reddita est villa Francorum Regi, Savarico de Malo-leone in Angliam transfretante, qui cùm inter navigandum cogitaret se haberi apud Regem Angliæ proditionis suspectum, navem suam convertit in Franciam, & factus transfuga Regi Ludovico totaliter se submisit. Eodem anno FAUKESIUS de Breaute contra Regem Angliæ insurgens, castrum Bedefordiæ armis munivit & victualibus, viríque strenuis & ad bella fortissimis. Quod cùm Rex obsidione cinxisset, & in Assumptione Virginis gloriosæ violenter cepisset, omnes qui illud contra voluntatem regiam tenuerant suspendi fecit ad aliorum terrorem. Faukesius verò subitò fortunæ ictu à summa opulentia dejectus, in tantam infra annum incidit egestatem, ut qui paulò antè ceteros Angliæ Proceres divitiarum gloriâ anteire videbatur, jam actus in exsilium tenuem in Gallicis quæritando victum, etiam capitis reclinatorium non haberet. Suppressis igitur per Angliam inimicis, cœpit Rex pacifice administrare Regnum, sed nondum ei ad recuperanda perdita in partibus Galliarum suppetebat facultas. Hoc anno à Papa Honorio confirmatus est Ordo Minorum.

Soluto fœdere Rex Franc. urbes & castra Regis Angliæ capit.

Digitized by Google

An Dom.	Pap.	Imp.	Regis Franc.	Regis Angl.
MCCXXV.	Lucii III. IX.	Frederici II. V. XIV.	Ludovici VIII. II.	Henrici III. IX.

LUDOVICUS Francorum Rex, Prælatíque ac Proceres quamplurimi in Francia, à domino Diacono Cardinali signum Crucis accipiunt contra hæreticos Albigenses. RICARDUS Comes Cornubiæ frater Regis, & avunculus ejus Willelmus, Comes Sarum*, cum multis Proceribus in Vasconiam proficiscentes, prosperè res gesserunt.

* Saresberiensis, *ita passim in hoc Chronico.*

MCCXXVI.	Lucii III. X.	Frederici II. VI. XV.	Ludovici VIII. III.	Henrici III. X.

HONORIUS Papa moritur, & in sanctæ Mariæ Majoris Ecclesia sepelitur. Hic Imperatorem FREDERICUM quem coronaverat, sibi rebellem comperiens, & Ecclesiæ Romanæ adversarium, anathematizaverat, & ab ejus fidelitate Barones absolverat. Huic successit Hugolinus Ostiensis Episcopus, apud Septi-solium electus, & GREGORIUS IX. vocatus. Moritur Lodovicus Francorum Rex, & successit eidem filius ejus S. LODOWICUS, coronatus in Regem cùm esset annorum quatuordecim. Moritur WILLELMUS de Longa-spata primus, qui cùm esset filius Regis Henrici secundi nothus, donante Ricardo duxit uxorem Elam, filiam & heredem Willelmi Comitis Saresberiensis, ex qua genuit Willelmum de Longa-spata juniorem, & Nicolaum posteà Saresberiensem Episcopum. Hic Willelmus in Ecclesia Saresberiensi est sepultus. Obiit eodem anno Episcopus Eliensis, cui germanus Justitiarii Huberti de Burgo successit.

Gregorius Papa IX. S. Ludovicus Franc. Rex.

Beatus FRANCISCUS post diutinos vitæ præsentis labores, solutis carnis vinculis, ad cælestia regna migravit, cujus animam unus ex Fratribus lunæ mensuram habentem, & quasi solis non modicam claritatem cæli secreta penetrantem adspexit. Discordia orta est inter Regem & Barones propter Hubertum de Burgo, quem Barones

Digitized by Google

ANNI DOM. | PAPÆ | IMPERATORIS | Regis FRANC. | Regis ANGLIÆ

Barones ab officio dejicere Rege contradicente volebant. Henricus fratri suo Ricardo in Vasconia moranti quingentos transmisit Walenses, & pecuniæ magnam summam. Obiit Ricardus de Martus Episcopus Dunelmensis.

MCCXXVII. | GREGORII IX. I. | FREDERICI II. VII. XVI. | LUDOVICI IX. I. | HENRICI III. XI.

LODOWICUS Francorum Rex de consilio Blanchæ matris suæ Episcopos & Milites in terram Albigensium misit, per quos urbem Tolosam cum toto obtinuit Comitatu. Ela Comitissa Sarum*, relicta Willelmi de Longa-spata, Monachos Cartusienses fundatos per maritum suum apud Heytrop, transtulit usque Hentonam Bathonienſis diœcesis.

* Saresberiensis.

MCCXXVIII | GREGORII IX. II. | FREDERICII II VIII. XVII. | LUDOVICI IX. II. | HENRICI III. XII.

FREDERICUS Imperator Saracenos per diversa loca Siciliæ dispersos, in locum unum Apuliæ congregans, civitatem unam ex ipsis quæ Luceria Saracenorum dicitur, tributariam sibi fecit. Obiit STEPHANUS Cantuarienſis Archiepiscopus. Hic super totam Bibliam postillas fecit, & eam per capitula quibus nunc utuntur moderni distinxit: qui dum Parisius in Theologia regeret, factus tituli sancti Chrysogoni Presbyter Cardinalis, demum factus Archiepiscopus, inter alia bona quæ fecit, etiam pulcram aulam quæ est in palatio Cantuariæ ædificavit. Fratres Prędicatores habito Bononiæ generaliſſimo Capitulo, immutabili firmaverunt decreto, ne reditus & possessiones in Ordine admittantur. Hoc anno mense Augusto beatus FRANCISCUS Sanctorum catalogo adscriptus est à Papa Gregorio, cujus antequam esset Papa tutor fuerat & protector.

Stephanus Cantuar. Archiep. Bibli. in capitula distinxit.

Digitized by Google

An. Dom.	Pap.	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCXXIX.	GREGORII IX. III.	FREDERICI II. XVIII.	LVDOVICI IX. III.	HENRICI III. XIII.

GREGORIUS Papa Imperatorem Fredericum excommunicavit, & per totam Christianitatem excommunicatum denuntiari præcepit. Eâdem tempestate beatus ANTONIUS de Ordine Minorum, & S. ELIZABETH filia Regis Hungariæ, uxor Landegravi Thuringiæ sanctimoniâ vitæ clarent. Robertus de Bingeham factus est Episcopus Saresberiensis. Ricardus Magnus consecratus est apud Cantuariam Episcopus futurus Cantuariensis. Abbas sancti Eadmundi factus est Episcopus Eleniſis.

MCCXXX	GREGORII IX. IV.	FREDERICI II. XIX.	LVDOVICI IX. IV.	HENRICI III. XIV.

IMPERATOR FREDERICUS Nuntios misit ad Soldanum Babyloniæ, per quos fama erat quòd cum eo amicitias contraxisset. Fratres Prædicatores cœperunt in Anglia Capitula provincialia tenere, quorum primum est Oxoniæ celebratum. HENRICUS Anglorum Rex transfretavit in Britanniam, suadente Duce ejusdem Petro, ut à Rege Francorum terras per patrem ejus & avum sibi & progenitoribus suis injustè ablatas repeteret. Qui die quo naves adscensurus erat, pauperes & infirmos humiliter visitans, leprosósque deosculans, largas eis eleëmosynas erogavit.

MCCXXXI.	GREGORII IX. V.	FREDERICI II. XX.	LVDOVICI IX V.	HENRICI III XV.

IMPERATOR FREDERICUS in terram sanctam proficiscitur, durante adhuc in eum sententia excommunicationis, majorem desolationem quàm consolationem afferens terræ eidem. Henricus Rex Angliæ intento suo frustratus, de Britannia in Angliam remeavit. Obiit hoc anno WILLELMUS Marescalli junior, cui succeſſit in hereditate Ricardus ejusdem germanus. RICARDUS Frater Regis desponsavit Comitissam Gloverniæ, sororem WILLELMI Marescalli, marito ejus Gilberto anno præ-

Digitized by Google

ANNI DOM	PAPÆ.	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGLIÆ

cedenti defuncto. Obiit hoc anno RICARDUS Cantuarienſis Archiepiſcopus de curia redeundo.

MCCXXXII.	GREGORII IX. VI.	FREDERICI II. XXI.	LUDOVICI IX. VI.	HENRICI III. XVI.

IMPERATOR FREDERICUS de terra ſancta rediit, initis cum Saracenis treugis decem annorum. HUGO de Burgo Comes Cantiæ, quibuſdam gravibus contra eum propoſitis, carceri mancipatur. Clarebat his temporibus in Anglia Magiſter EADMUNDUS de Abindonia, Cancellarius Sareſberienſis, vir ſapientiâ & ſanctitate inſignis, cui dominus Papa ob famam ſapientiæ & doctrinæ ejus prædicationem crucis commiſit, concedens ei ut procurationes de Eccleſiis, in quibus prædicaret poſſet accipere. Sed vir Dei uti noluit iſtâ poteſtate. Obiit RANULFUS Comes Ceſtrenſis. ELA Comitiſſa Sareſberienſis fundavit Abbatiam Canoniſſarum de LACOK Sareſberenſis diœceſis.

MCCXXXIII.	GREGORII IX. VII.	FREDERICI II. XXII.	LUDOVICI IX. VII.	HENRICI III. XVII.

GREGORIUS Papa beatum Dominicum, qui primus Ordinem Prædicatorum inſtituit, catalogo Sanctorum adſcripſit: cujus corpus eodem anno in Capitulo Fratrum generali Bononiæ, præſentibus Archiepiſcopo Ravennate, aliiſque quatuor Epiſcopis, ac Poteſtate Bononienſi cum multitudine civium, ad eminentiorem tranſlatum eſt locum. In cujus ſanctitatis teſtimonium ſublato quo tegebatur corpus ejus lapide tanta emanavit odoris fragrantia, ut non tam ſepulcrum quam cella videretur aromatum patuiſſe, nec ſolùm oſſibus aut pulveri ſacri corporis vel capſæ inerat, verumetiam in re circumquaque congeſta, ita ut ad longinquas poſtmodum regiones delata odorem ipſum longo tempore retineret. Fratrum verò manibus maximè aliquid de ſacroſanctis reliquiis tangentibus ſic inhæſit, ut quantumcumque lotæ

S. Dominicus SS. catalogo adſcriptus.

Ipſius corporis tranſlatio.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Reg ANGLIÆ

vel etiam confricatæ per plures dies conſervatæ fragrantiæ teſtimonium præſentarent.

RICARDUS Mareſcalli contra Regem inſurgens Vualliam commovit ad guerram, qui etiam Hubertum de Burgo, qui de caſtro de Diviſes evaſerat ad Eccleſiam, ut captum in Vualliam ſecum duxit: Hic etiam in Hibernia contra Regem conſurgens, conſilio Galfridi de Mariſco occiditur, & in Fratrum Prædicatorum Eccleſia apud Kilkenniam ſepelitur: cui ſucceſſit in Comitatu Gilbertus ejuſdem germanus.

MCCXXXIV.	GREGORII IX VIII.	FREDERICI II. XXIII.	LUDOVICI IX. VIII.	HENRICI III. XVIII.

LODOWICUS Francorum Rex MARGUARETAM filiam Comitis Provinciæ accepit uxorem. THEOBALDUS Comes Campaniæ avunculo ſuo Rege Navarræ ſine herede de corpore ſuo defuncto, ſucceſſit in regnum. Magiſter EADMUNDUS de Abindonia in Cantuarienſem Archiepiſcopum electus, à ſummo Pontifice confirmatur, & à ſuis Suffraganeis conſecratur. Obiit Hugo Epiſcopus Lincolnienſis.

MCCXXXV.	GREGORII IX. IX.	FREDERICI II. XXIV.	LUDOVICI IX IX.	HENRICI III. XIX.

IMPERATOR FREDERICUS ſororem Henrici Regis Anglorum, nomine ISABELLAM uxorem accepit. Fames admodum magna invaluit in Gallia, maximè in partibus Aquitaniæ, ita ut homines herbas campeſtres, ſicut animalia bruta comederent. HENRICUS Rex Anglorum ALIANORAM filiam ſecundam Comitis Provinciæ apud Cantuariam deſponſavit.

Digitized by Google

An. dom.	Papæ	Imp.	Franc.	Angl.
MCCXXXVI.	GREGORII IX. X.	FREDERICI II. XXV.	LUDOVICI IX. X.	HENRICI III. XX.

PETRUS* de Monte Rex Haſſaſinorum, miſit in Franciam Nuntios, ut per eos occideretur Rex Lodowicus: ſed poſtea facti pœnitens, per alios Nuntios Regem ipſum de prioribus præmunivit. Fratres Prædicatores Pariſius hoc anno ſecundum Capitulum generaliſſimum habuerunt, poſt quod uſque in præſens non eſt aliquod celebratum. ELA Sareſberienſis Comitiſſa ſpreto ſæculo, habitum Canoniſſarum apud LAKOK accepit, inter quas effecta eſt poſtea Abbatiſſa. Ad prædicationem cujuſdam Fratris Prædicatoris Vuintoniæ, in præſentia Regis & Baronum Ricardus Frater Regis, & Comes Mareſcalli Gilbertus cum multis aliis crucis characterem ſuſceperunt. Obierunt hoc anno Henricus Roſſenſis, Vuillelmus de Bleis Vuigornienſis, Thomas de Blundeſwik Norwicenſis Epiſcopi.

* Vetulus

MCCXXXVII.	GREGORII IV. XI.	FREDERICI II XXVI	LUDOVICI IX. XI.	HENRICI III. XXI

JOHANNES Scotus ultimus Comes Ceſtriæ moritur, & deficiente herede devolutus eſt in poſſeſſionem regiam Comitatus. Multi de regno Franciæ nobiles, quorum Capitaneus THEOBALDUS Navarrorum Rex efficitur, adeunt terram ſanctam. Frater JORDANUS Magiſter Ordinis Prædicatorum ſecundus, in terram ſanctam tendens, pro perituris æterna, & pro terrenis cœleſtia commutavit. Cujus dum viveret tanta erat in labiis diffuſa gratia, ut de verbis quæ procedebant de ore ejus, vix auditores poſſent ſatiari. Miraculis quoque poſt mortem claruit plurimis, de quibus ad ædificationem legentium duo ſufficit annotare. Magiſter iſte dum viveret, in quodam Monaſterio Sororum Ordinis, quamdam excellentis vitæ Sororem inſtituerat Prioriſſam, quæ poſtea percuſſa paralyſi, facta impotens, in lecto continuè decumbebat, propter quod inſtantiſſimè petebat per Supe-

Jordani Ord. Præd. Magiſtri acta percurruntur.

Miracula.

Digitized by Google

riores ſuos, ab officio quod exſequi non poterat abſolvi; ſed reclamante Conventu, cui videbatur utilior ſic languida, quàm alia quæcumque, non potuit obtinere. Auditis itaque miraculis multis, quæ ad invocationem nominis Fratris Jordanis in diverſis partibus contigerant, Conventu perſuadente fecit ſe in geſtatorio quodam ad Eccleſiam à Sororibus deportari. Deinde emiſſis Sororibus devotè rogavit Fratrem Jordanum, quem indubitanter credebat regnare cum Chriſto, ut ſibi impetraret à Domino, vel ab hac vita celeriter exui, vel ab officio per Superiores ſuos abſolvi, vel ſibi ſanitatem conferri, per quam fieret idonea ad impoſitum officium exſequendum. Móxque ſenſit quamdam virtutem ſibi divinitus infuſam, quâ confortata primò pedem unum, deinde alterum extra geſtatorium cœpit ponere; tandem erecta cœpit per Chorum ambulare, quaſi an verè eſſet ſanata tentaret. Deinde audita nolâ refectorii, ſentiens ſe greſſu firmatam, proceſſit obviam Conventui cantando *Miſerere* ad Eccleſiam venienti. Quam juniores primò occurrentes mirabantur, ſi Prioriſſa eſſet, quæ ſic ambularet erecta. Cantoriſſa verò certis perpendens indiciis miraculum quod contigerat, omiſſo pſalmo *Miſerere*, *Te Deum* altiſſimâ voce intonavit. Commoti vicini altitudine cantûs inſueti conveniunt, & cognita re geſta, Deum cum eis pariter laudaverunt.

In Praga verò quæ eſt Metropolis Boëmiæ, uxor cujuſdam nomine Elizabeth imprægnata, cùm poſt tempus aliquod more mulierum gravidarum animatum ſenſiſſet fetum, tamen appropinquante horâ partûs, nullum motum fetûs ſenſit per triduum ante partum. Unde multùm conſternata cùm in pariendo graviter laboraret, devovit infantulum, ſi maſculus eſſet fratri Jordano, affirmans impoſſibile eum non eſſe virum ſanctum, qui tantâ puritate vitæ & doctrinâ ut audiverat claruiſſet. Si autem femina foret devovit eam ſanctæ Elizabeth, quæ à Papa Gregorio canonizata fuerat tunc de novo. Deni-

Digitized by Google

que natus est infans masculus, sed mortuus: quod ut certius experirentur obstetrices, cùm esset tempus hiemale, in aqua frigidissima puerum posuerunt, sed nec sic in eo percipere potuerunt aliqua signa vitæ. Super quo mater inconsolabiliter ejulans à medio pænè noctis ad orationem conversa, continuè adspici faciens infantem, Beati Jordani patrocinium invocavit. Cùm autem diesceret, apparuit infans vivus, pro quo Deo & S. Jordano gratias agens, in testimonium miraculi, ipsum infantem in baptismate Jordanum constituit appellari.

Obiit Ricardus Dunelmensis Episcopus. OTHO Legatus venit in Angliam. Data est hoc anno Regi triceſima pars bonorum.

MCCXXXVIII. | GREGORII IX. XII. | FREDERICI II. XXVII. | LUDOVICI IX. XII. | HENRICI III. XXII.

ROBERTUS germanus Regis Franciæ, Attrebatensis Comes efficitur. OTHO Apostolicæ Sedis Legatus in Anglia, cùm in Abbatia de Oseneya juxta Oxoniam receptus fuisset, à Scholaribus Oxoniæ obsessus & insultum passus, ad campanile transfugit, qui postea Londonis in Scholares Oxoniæ sententiam excommunicationis fulminavit, studiúmque dispersit. Unde factum est ut quidam villam Northamtonæ, quidam novam civitatem Saresberiensem elegerint ad studendum.

Obiit ALEXANDER Cestrensis Episcopus, qui cùm aliquando Tolosæ in Theologia regeret, ex visione septem stellarum sibi dormienti ostensarum, Beatum Dominicum cum sex sociis Scholas suas quodam die intrantem cognovit. Qui cùm super Psalterium postillas scriberet, super illum versum: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*, talem ponit narrationem: Scholaris quidam Bononiensis bene instructus, sed vanitati admodum deditus, quadam nocte vidit in somnis se in quodam campo tempestate nimiâ comprehensum. Confugiens verò ad quamdam domum, dum

Alexander Cest. Episc. commentarium edidit in Psalterium ex quo nonnulla hîc referuntur.

Digitized by Google

ibi pulsat ut recipiatur à domina domûs, hujuscemodi audivit responsum: Ego justitia hîc habito, & quia tu justus non es, nequaquam intrare poteris domum meam. Dolens ille aliam domum conspexit, ad quam cùm fugisset, sic eum allocuta est domina domus illius: Ego veritas hîc habito, nec te volo recipere, quia non diligis veritatem. Discedens itaque, venit ad domum tertiam, à cujus domina hæc audivit: Ego sum pax, quæ te non admitto, quia *non est pax impiis, dicit Dominus*, sed tantùm hominibus bonæ voluntatis. Verùm quia *cogito cogitationes pacis & non afflictionis*, consilium utile tibi dabo. Ultra me habitat soror mea, quæ miseris solet præstare auxilium: accede ad eam, & monita ejus comple: Accedenti itaque ad domum quartam occurrit Misericordia, sic enim vocabatur domina domus, & petenti hospitium, hoc respondit: Si ab imminente tempestate salvari desideras, vade ad sanctum Nicolaum, ubi habitant Fratres Prædicatores, & invenies ibi stabulum pœnitentiæ, & præsepe continentiæ, & pabulum doctrinæ, & asinum simplicitatis, & bovem discretionis, MARIAM illuminantem, & JOSEPH proficientem, & JESUM puerum te salvantem. Hæc cùm evigilaret cum devotione ruminans, valde compunctus, quod sibi consultum fuerat mox implevit.

EADMUNDUS Cantuariensis Archiepiscopus Romam adiit. Obiit Petrus Wintonienſis Episcopus.

CORONA Domini spinea allata est in Franciam: Henrico Regi Angliæ natus est filius, quem ab Othone Legato baptizatum in honore glorioſſimi Confessoris & Regis Edwardi EDWARDUM vocavit. RICARDUS Regis Angliæ germanus, Comes Pictaviæ & Cornubiæ, unà cum WILLELMO de Longa-spatha in terram sanctam profectus, exercitium Francorum invenit sub Rege

Digitized by Google

Rege Navarræ THEOBALDO plurimùm desolatum, qui statui terræ plurimùm compatiens, cum Saracenis treugas iniit, Christianis, qui captivi tenebantur, omnibus liberatis. Comes Kantiæ Hubertus judicio contra eum procedente quatuor castra, videlicet Blaricum castrum, Grosmundum, Chenefreth atque Hatfelde Regiæ dominationi cogitur resignare. SYMON de Monte-forti filius Symonis Comitis, cujus suprà fecimus mentionem, Reginam Blancam Regis Francorum matrem sibi timens offensam, aufugit in Angliam, ubi gratiosè receptus à Rege Leicestriæ, obtinuit Comitatum cum Senescallia Angliæ, & Regis sororem quæ priùs castitatem publicè voverat in manu Episcopi, uxorem accepit. Qui etiam postea Senescallus Vasconiæ factus, Regem Angliæ induxit, ut terram Basclorum, cujus caput est civitas Baïona & olim regnum fuerat, recognosceret de feodo Regis Franciæ, ut sic Regis Castellæ actionem excluderet, qui terram illam ad feodum Regni Hispaniæ asseruit pertinere.

MCCXL. | GREGORII IX. XIV. | FREDERICI II. XXIX. | LUDOVICI IX. XIV. | HENRICI III. XXIV.

FREDERICUS Imperator Romipetis ponens insidias, Jacobum Prænestinum Episcopum de Francia, & Othonem Diaconum Cardinalem de Anglia ad Curiam revertentes capi fecit, & in custodia detineri. GREGORIUS Papa cùm Concilium tenere voluisset, captis per diversas partes Prælatis ab Imperatoris fautoribus, à suo proposito impeditur. Inter quæ mala ad extremam horam veniens in Domino obdormivit. Iste GREGORIUS cùm aliquando ab Imperatore, qui tunc ex magna parte patrimonium Ecclesiæ Romanæ occupaverat, obsideretur in urbe, videns Romanos pæne omnes per pecuniam esse corruptos, exhibens capita Apostolorum, processionémque à Laterano ad sanctum Petrum faciens, animos Romanorum sic revocavit, ut contra Imperatorem ferè omnes acciperent signum crucis. Quo audito Im- Imperator Papam persequitur.

Digitized by Google

Decretales in unum volumen redigi curavit Papa Gregor. per Raymundum,

perator qui jam se intraturum urbem credebat, timens sibi ab urbe longiùs retrocessit. Hic etiam Papa per Fratrem Raymundum de Ordine Prædicatorum, Capellanum suum ex pluribus voluminibus Decretalium compilavit volumen unum; mandans ubique Doctoribus illo uti. Fuit RAYMUNDUS Catalanus natione, qui ante ingressum Ordinis, in Jure Canonico Bononiæ rexerat excellenter. Post Ordinis verò ingressum à domino Papa Gregorio familiariter recollectus, Capellanus ejus efficitur ac Pœnitentiarius, petitionúmque pauperum expeditor, qui tandem cum difficultate obtentâ licentiâ redeundi ad terram suam, refutato in eadem Archiepiscopatu, post Fratrem Jordanum Magister effectus est Ordinis Fratrum Prædicatorum: qui ut rigor Ordinis etiam in minimis servaretur (attendens quòd qui minima negligit, paulatim decidit) apposuit magnam curam.

Quæ scripserit Raymundus,

Scripsit Summam de casibus, Confessoribus perutilem, ac Constitutiones Ordinis Prædicatorum, quæ priùs sub confusione habebantur, sub certis distinctionibus & titulis posuit. Post biennium verò ob impotentiam magisterio cedens, in Conventu Barchinonæ consenuit, tantâ religionis sanctitate pollens, ut post mortem miraculorum gloriâ habitus sit insignis.

Obiit B. Eadmundus sanctitate & doctrinâ illustris.

Cometa apparuit hoc anno, versùs Orientem dirigens comam suam. Beatus EADMUNDUS Cantuariensis Archiepiscopus in Galliis, apud villam quæ dicitur Seysi ægrotans, tandem præsentem miseriam exuens, ad æternæ viriditatis pascua introivit, ubi sequens agnum Dei quocumque ïerit, agonis sui palmam accepit. Hic à pueritia per sanctissimam matrem suam à mundi deliciis abstractus, jejuniis & vigiliis vacare, ac ad carnem uti cicilio informatur: quâ instillante tantam nominis Christi dulcedinem in tenella ætate præbiberat, ut proficiens virtutibus eam in senectute altissimè retineret. Doctor verò Theologiæ factus Oxoniæ, quamvis multis legendo proficeret, tamen assiduis prædicationibus, quibus plurimùm

Digitized by Google

vacabat, multò plures ad Dominum attrahebat. In comitiva sua Fratres Prædicatores habebat continuè, quorum unus valde senex & religiosus, hoc de eo nobis audientibus referre solebat. Cùm die quadam hospites magni ad mensam Atchiespicopi invitati fuissent, & ipse ad prandium præter solitum tardaret venire, Magister Ricardus Cancellarius ejusdem, qui familiarior ei erat inter ceteros, ad Capellam in qua orare solebat, ut eum vocaret accessit; apertóque aliquantulum ostio introspiciens, vidit eum per magnum spatium à terra elevatum, curvatis genibus, protensis junctísque palmis orantem. Mox verò ad terram demissus, & ad Cancellarium versus suspirando planxit, quòd eum à deliciis maximis impediset: adjecítque quòd in illa contemplatione suavissima, animas Regis Ricardi & Stephani Cantuarienſis Archiepiscopi vidit à Purgatorio liberatas. Asserebat enim idem Frater, quòd cùm esset miræ abstinentiæ, mensam tamen habuit refertam cibis delicatis, quibus nonnisi talibus utebatur salsamentis, per quæ saporis oblectamentum totaliter tolleretur. Hujus post mortem funus usque Pontiniacum deductum, sepultum est ibidem in Ecclesia Monachorum, ubi crebris admodum coruscat miraculis, & præcipuè in resuscitatione infantium oppressorum.

Miraculis claret in Pontiniacensi Monasterio sepultus.

Fuerat huic socius in schola Magister Robertus Bacun, qui Oxoniis regens in Theologia, Prædicatorum Ordinem estingressus. Post ingressum verò lectiones suas in scholis sancti Edwardi per plures continuavit annos, sub quo primus de Fratribus incœpit Frater Ricardus de Fissakre Oxonienſis diœcesis, legens unà cum fratre Roberto prædicto in scholis, quas Fratres infra locum quem nunc habitant, habuerant. Hic Ricardus super sententias scriptum temporibus suis perutile composuit, & super Psalterium usque ad psalmum septuagesimum postillas edidit pulcherrimas, moralitatibus intermixtas. Moritur eodem anno Lewlinus Princeps Walliæ, inter

Digitized by Google

cujus filios Griffinum nothum, & David ex legitimo toro natum, Regis Angliæ ex sorore nepotem, gravis pro Principatu suborta est dissensio, sed tandem Griffinus à fratre captus, carcerali custodiæ mancipatur. Moritur Papa Gregorius nonus, cui post vacationem duorum mensium & dierum sex, succedit CÆLESTINUS quartus, natione Mediolanensis, priùs dictus Galfridus, Episcopus Sabinensis, qui vitâ & scientiâ laudabilis, senex & infirmus electus post dies decem & octo moritur, & in Ecclesia beati Petri sepelitur. Cæleſtino verò defuncto vacavit sedes mensibus viginti duobus, diebus quatuordecim.

Cælestinus Papa IV.

MCCXLI. | VACATIONIS I. | FREDERICI II. XXX. | LUDOVICI IX. XV. | HENRICI III. XXV.

REX Angliæ pro reponendis reliquiis sanctissimi Regis & Confessoris EDWARDI, capsam auream in Ecclesia Westmonasterii parari fecit. Gravissima apud Achon inter Hospitalarios suborta est & Templarios discordia, quam sedare non potuit RICARDUS Regis Angliæ germanus, quamvis ad hoc plurimùm laboraret. ALFONSUS frater Regis Franciæ, Comes Pictavensis efficitur. Obiit GILBERTUS Marescalli in quodam torneamento verberibus conquassatus, cui in Comitatu successit WALTERUS germanus ejusdem, quo tandem sine herede defuncto, hereditas ejus inter quinque sororum filios, de quibus suprà mentionem fecimus, est divisa. Obiit soror Arthuri ALIANORA apud Bristollum, ubi cùm annis multis cælibem vitam duxisset, tandem moritura corpus suum inter Sanctimoniales Ambresbiræ sepeliendum legavit, quibus & annuente Rege manerium de Melkceham cum pertinentiis suis dedit.

Digitized by Google

An. Dom.	Pap.	Imp.	Regis Franc.	Regis Angl.
MCCXLII.	VACATIONIS II.	FREDERICI II. XXXI.	LUDOVICI IX. XVI.	HENRICI III. XXVI.

RICARDUS Regis Angliæ frater cum Comite Willelmo de Longa-Spatha revertitur de Terra ſancta. LODOWICUS Francorum Rex HUGONEM Marchiæ, qui matrem Regis Angliæ duxerat in uxorem infeſtavit propter homagium Alfonſo Pictavenſi Comiti denegatum. In cujus ſubſidium transfretans HENRICUS Rex Angliæ, unà cum Ricardo fratre ſuo Cornubienſi Comite, Comitatúmque Pictaviæ ex donatione patris vindicante, juxta Xantonas cum Rege Francorum pugnam commiſit. Videns verò Pictavenſes à ſe deficere, quorum fiduciâ ad partes illas acceſſerat, prælio ſe ſubtrahens, in caſtro quod Blavium dicitur ſe recepit. Urbem namque Xantonas (ſibi infidam præſentiens, utpotè quæ ſtatim poſt pugnam Regi Francorum ſe reddidit) ingredi recuſavit. Exercitus etiam Francorum Rege ſuo infirmato, ingraveſcentéque victualium penuriâ ad propria remeavit.

Comitem Marchiæ homagium denegantem armis Rex Franc. in officium redigere conatur.

Tartari ſubactis Georgiâ, Indiâ, Armeniâ majore ac Turkia, per unum de Principibus Poloniam & Hungariam ſunt aggreſſi. Cùm verò timerent intrare Hungariam, conſulentes Idola, dum hoſtias immolarent, tale accepiſſe feruntur reſponſum: Ite ſecuri, quia ſpiritus infidelitatis & diſcordiæ vos præcedent, quibus inter ſe turbati Hungari vobis minimè prævalebunt. Nec fefellit eos augurium. Nam ante Tartarorum introitum, Rex & Principes, Clerus & populus tantâ inter ſe diffidebant diſcordiâ, quòd dum neglecto apparatu belli, fugam coguntur inire, uſque ad multa milia occiduntur. INNOCENTIUS quartus natione Januenſis Anagniæ in Papam eligitur. Hic dictus erat priùs Senebaldus, ſancti Laurentii in Lucina Preſbyter Cardinalis. Obiit Jocelinus Bathonienſis Epiſcopus.

Innocentius Papa. IV.

Digitized by Google

Anni Dom.	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCXLIII.	INNOCENTII IV. I.	FREDERICI II. XXXII.	LUDOVICI IX. XVII	HENRICI III. XXVII.

HENRICUS Rex Angliæ munitiones quasdam in Vasconia rebellantes subegit: inter quas erat castrum quod Viternus vocatur. INNOCENTIUS Papa sedes Cardinalium à multo tempore vacuas, de personis electis ex diversis mundi partibus restauravit. Inter quas fratrem HUGONEM de Vienna, Doctorem in Theologia eximium vitâ & scientiâ præclarum, primum de Ordine Prædicatorum instituit tituli S. Sabinæ Presbyterum Cardinalem. Hic doctrinâ sanâ & perlucidâ totam Bibliam postillavit: Concordantiarum etiam Biblię exstitit primus auctor. INNOCENTIUS iste sententiam excommunicationis à Papa Gregorio prædecessore suo in FREDERICUM latam renovans confirmavit. Templarii in Achon Hospitaliaros obsidentes & persequentes crudeliter, treugas cum Soldano Babyloniæ per Regem Ricardum fratrem Regis Angliæ initas, in eorum infregerunt odium, cum Soldanis aliis ut dicitur fœdere sociati. Hoc anno Magister Ricardus de Wichia Wigornienſis diœcesis, quondam beati Eadmundi Archiepiscopi Cantuarienſis Cancellarius, fit Episcopus Ciceſtrenſis. Willelmus de Ralegh Northwicenſis, ad Wintonienſem Episcopatum transfertur. Dominus Papa Rogero Præcentori Sareſberienſi Romæ existenti Bathonienſem contulit Præsulatum.

MCCXLIV.	INNOCENTII IV. II.	FREDERICI II. XXXIII	LUDOVICI IX. XVIII.	HENRICI III. XXVIII.

DAVID Princeps Vualliæ, Regis Angliæ ex sorore nepos, Innocentio Papæ suggeſſit, Principatum Walliæ ad Eccleſiæ Romanæ feodum pertinere, ſéque de Rege Angliæ tenere compulsum injuſtè. Propter quod scripsit summus Pontifex Abbati de Abertoun super hoc negotio, de quo pleniùs instructus sub dissimulatione transivit. Soldanus Babyloniæ super treuga interrupta

Digitized by Google

graviter indignatus, conductis Coraſinis qui inter Saracenos pugnatiores putantur, Chriſtianos bello aggreditur ac de eis multitudinem magnam cruentiſſimâ cæde ſtravit: In quo prælio etiam tam Prior Hoſpitalis quàm Magiſter militiæ Templi ab hoſtibus captivantur, Saraceníque civitatem Jeruſalem, ſepulcrúmque Dominicum deſtruxerunt. Rogerus Præcentor Sareſberienſis conſecratus eſt in Epiſcopum Bathonienſem Rabingiæ ab Epiſcopo Wintonienſi. Obiit etiam BALDEWINUS de Ripariis Comes Devonienſis. Natus eſt Regi filius ſecundus, dictus Eadmundus.

MCCXLV. | INNOCENTII IV. III. | FREDERICI II. XXXIV. | LUDOVICI IX. XIX. | HENRICI III. XXIX.

INNOCENTIUS Papa poſt magnum tractatum cum Imperatore de pace habitum, cùm ipſius contra Eccleſiam contumaciam perpendiſſet, auxilio Januenſium devenit in Gallias, & celebrans Concilium in Lugduno, ipſum velut hoſtem Eccleſiæ privando Imperio condemnavit. Miſſi ſunt ad hoc Concilium per Regem Angliæ de conſilio Prælatorum, Comitum & Baronum, viri nobiles HUGO Bigod, JOHANNES filius Galfridi, WILLELMUS de Cantelupo, PHILIPPUS Baſſeth, dato eis Advocato Magiſtro Willelmo de POWIK, ut conceſſioni Regis Johannis de annuo cenſu pro Anglia & Hibernia contradicerent, & quòd de regni aſſenſu non proceſſerat, ſed per Cantuarienſem Archiepiſcopum vice totius regni fuerit reclamatum. Sed Papa hoc indigere morosâ deliberatione reſpondens, negotium poſuit in ſuſpenſo. Prælati Angliæ hoc anno conqueſti ſunt Regi de oppreſſione Eccleſiæ Anglicanæ, cujus ferè proventus omnes & redditus extranei occupabant, propter quod Magiſtro MARTINO domini Papę tunc conſanguineo, qui inter ceteros major aliorúmque in negotiis hujuſmodi tutor videbatur & defenſor, ut regnum indilatè evacuet regio mandatur edicto. BONIFACIUS de Sabaudia Reginæ

Concilium Lugdunenſe, ubi Fredericus privatur Imperio.

Miſſi ad hoc Concil. Nobiles Angli qui cenſum negarent Papæ.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

Anglię conſanguineus, ad Archiepiſcopatum Cantuarienſ. procurante Rege ex dono ſummi Pontificis ſublimatur. ODO Tuſculanus Epiſcopus crucem prædicavit in Francia pro paſſagio Regis Francorum in Terram ſanctam. In partibus etiam Hanoniæ multi crucem accipiunt in ſubſidium Landegravii Turingiæ, in Regem Romanorum procurante domino Papa nuper electi, contra Henricum filium FREDERICI depoſiti patrem contra Eccleſiam defendentem. CAROLUS, frater Regis Franciæ filiam quartam Comitis Provinciæ accepit, per quam totum poſteà habuit Comitatum. Tertia verò filiam ejuſdem Sanciam nomine duxerat Ricardus frater Regis Angliæ, defuncta priore uxore Iſabella, relicta quondam Gilberti de Clare, de qua genuerat filium nomine Henricum. Magiſter Ricardus Blundi fit Epiſcopus Oxonienſis.

Provinciæ Comitatum obtinet frater Regis Franc.

MCCXLVI.	INNOCENTII IV. IV.	I.	LUDOVICI IX. XX.	HENRICI III. XXX.

BEATUS EADMUNDUS Cantuarienſis Archiepiſcopus ab Innocentio Papa canonizatur Lugduni. Turci & Armenii cum Tartaris fœderantur. CAROLUS frater Regis Franciæ Andegavenſem obtinet Comitatum.

MCCXLVII	INNOCENTII IV. V.	II.	LUDOVICI IX. XXI.	HENRICI III XXXI.

BEATUS EADMUNDUS apud Pontiniacum in ſolemniorem locum transfertur. Eccleſia Anglicana pro relevamine ſtatus ſui undecim milia marcarum domino Papæ ſolvit. Moritur Landegravius Turingiæ nuper in Regem Romanorum electus, in cujus locum WILLELMUM Comitem Hollandiæ Innocentius Papa eligi procuravit. Obiit Rogerus Epiſcopus Bathonienſis.

Rex

Digitized by Google

Anni Dom.	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCXL-VIII.	INNOCENT. IV. VI.	VVILLELMI I. I.	LUDOVICI XI. XXII.	HENRICI III. XXXII.

REx Franciæ in terram ſanctam proficiſcens per Lugdunum tranſiens, à domino Papa litteras prohibitorias ad Regem Angliæ, ne terras ſuas inquietaret peregrinationis tempore, impetravit, qui mari pertranſito apud Tunitum hiemavit*: obieruntque ibi de Francia Milites multi nobiles & famoſi. Moneta Angliæ renovatur. Magiſter Willelmus de Butthonia fit Epiſcopus Bathonienſis.

Rex Franciæ in Terram ſanctam proficiſcitur.

* *Fallitur Auctor, & duas Ludovici expeditiones transmarinas confundit.*

MCCXLIX.	INNOCENTII IV. VII.	VVILLELMI I. II.	LUDOVICI IX XXIII.	HENRICI III. XXXIII.

PAssus Dominicus per quemdam Fratrem de Ordine Prædicatorum allatus in Angliam, repoſitus eſt in Conventu Ordinis ejuſdem Briſtolli, quem Henricus Rex à Fratribus ſibi præſentatum contulit Abbatiæ Vueſtmonaſterii, ubi uſque in præſens in veneratione habetur. Rex Francorum cepit Damiatam, & in ea æſtatem peregit. Menſe verò Novembri procedens ad civitatem Maſſoram eam obſedit, ubi de exercitu Chriſtiano per Saracenos plurimi occiduntur.

Damiatam capit.

MCCL.	INNOCENTII IV. VIII.	VVILLELMI I. III.	LUDOVICI IX. XXIV.	HENRICI III. XXXIV.

REx Francorum exercitu ſuo in obſidione Maſſoris peſte laborante ac fame, dum Damietam revertitur, ſuperveniente Saracenorum exercitu in itinere, captus eſt cum duobus fratribus, Alfonſo Pictavenſi, & Carolo Andegavenſi Comitibus, & multis aliis viris magnis. Robertus verò Atrebatenſis Comes, tertius frater Regis ſubmergitur fugiendo. Multi etiam prælio decertando occiduntur, de quorum numero erat Willelmus de Longa-ſpata Sareſberienſis Comes, qui viriliter dimicando cecidit aggravatâ manu hoſtium

Expugnantur capiuntúrque Rex & multi Nobiles à Saracenis.

Digitized by Google

ſuper eum. Cujus mater Abbatiſſa de Lakok, ut prædictum eſt, nocte præcedente diem quo filius ejus interfectus eſt, vidit cælos apertos, & filium ſuum armatum ab Angelis elevatum cum gaudio introire. Hujus Willelmi filiam unicam & heredem duxit Henricus de Laci Comes Lincolniæ, Sareſberienſem cum eadem accipiens Comitatum. In Dacia Henricus Dacorum Rex inclytus ab Abel fratre ſuo juniori, ut pro eo regnaret, ſuffocatur in mari. Obierunt Willelmus de Ralegher & Aimericus. Frater ejus Henricus ex matre fit Wintonienſis Epiſcopus.

Hoc anno primo celebratum eſt Londoniis ſub Magiſtro Johanne Epiſcopo Fratrum Prædicatorum Capitulum generale. Hic Magiſter cùm eſſet in quadruplici lingua, videlicet Teutonica, Gallica, Italica, & Latina Prædicator egregius, de Priore Provinciali Hungariæ factus eſt Epiſcopus Boſonenſis; ſed à Papa Gregorio cùm in deſiderio haberet ſecretum contemplationis, per magnam inſtantiam ceſſionem obtinuit, nullâ penitus ſibi proviſione retentâ. Cùm autem in Magiſtrum Ordinis electus eſſet, & ut prælationem talem refugeret, pontificalem vellet ordinem allegare, porrecta eſt in contrarium littera Papalis decernens, quòd cùm abſolutus eſſet à cura paſtoralis regiminis, & per conſequens ſub obedientia Ordinis conſtitutus, debuit in recipiendo officium Ordini obedire, ſed tamen cùm in multis privilegiis procuratis per eum dominus Papa ſcribat ei, non tantùm *Filium* ut alios Magiſtros, ſed ut ceteros Epiſcopos *Venerabilem Fratrem* appellat. Fredericus filium ſuum Henricum accuſatum per Romanos de rebellione contra eum, carceri mancipavit, in quo poſt breve tempus deceſſit.

Fredericus repulſus à Parmenſibus, quorum obſedit civitatem in Siciliam rediens, mortuus eſt ibidem. Conradus autem filius ejus adſpirans ad Regnum Si-

Digitized by Google

ciliæ, cœpit in Apulia fortiter dominari. INNOCENTIUS Papa in Italiam reversus, apud Assisium morabatur, ubi sanctum STANISLAUM Cracovienſem Episcopum canonizavit, qui ab iniquo Principe fuerat interfectus. Rex Francorum procurante Reginâ BLANCA matre ejus, cui custodiam Regni reliquerat, dato pretio & restitutâ Damiatâ Saracenis liberatur, unà cum fratribus & aliis concaptivis, qui remissis in Franciam fratribus, transfretavit in Achon, cujus ac civitatum Joppes & Sidonis muros reparans, in terra illa per quinquennium moram fecit. Temporibus Frederici in Burgundia Imperiali, per terram solutam à montibus circiter quinque milia hominum suffocantur. Nam unus mons maximus se dividens ab aliis montibus, per plura miliaria cujusdam vallis cadendo se extendens, ad alios montes accessit, omnes in valle villas terrâ & lapidibus operiendo. Eo etiam tempore regnante Rege Castellæ FERDINANDO in Toleta Hispaniæ, Judæus quidam comminuendo rupem unam pro vinea amplianda, in medio lapidis invenit concavitatem unam, nullam penitus divisionem habentem aut sciſſuram, & in concavitate illa reperit unum librum quasi folia lignea habentem, qui liber tribus linguis scriptus, videlicet hebraïcè, græcè & latinè, tantum de littera habebat quantum unum psalterium, & loquebatur de triplici mundo ab Adam usque ad Antichristum, proprietates hominum uniuscujusque mundi exprimendo: Principium verò mundi tertii posuit in Christo sic: *In tertio mundo filius Dei nascetur ex Virgine* MARIA, *& pro salute hominum patietur.* Quod legens Judæus, statim cum tota domo sua baptizatus est. Erat etiam in libro, quòd tempore Ferdinandi Regis Castellæ liber debebat inveniri.

In medio lapide liber inventus.

Digitized by Google

An. Dom.	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCLI.	INNOCENTII IV. IX.	VVILLELMI I. IV.	LUDOVICI IX. XXV.	HENRICI III. XXXV.

PASTORES in Francia coadunata multitudine dicebant se Angelicâ visione monitos, ut proficiscerentur in Terram sanctam contra Saracenos & incredulos pugnaturi. Transeuntes verò Parisius, venerunt Bituricas, ubi subortâ discordiâ cum civibus fit conflictus, & multis occisis, reliqui disperguntur. ABEL Dacorum Rex cùm Frisones subjugare voluisset, interfectus est. CONRADUS captâ Neapoli ejus muros funditus destruxit, & similiter fecit de Capua, & Aquino.

MCCLII.	INNOCENTII IV X.	VVILLELMI I. V.	LUDOVICI IX. XXVI.	HENRICI III. XXXVI.

In numerum Sanctorum relatus est Petrus Martyr.

BEATUS PETRUS Veronensis ex Ordine Fratrum Prædicatorum, prosequendo inquisitionem pravitatis hæreticæ sibi ab Apostolicâ Sede commissam, ab ipsorum hæreticorum credentibus, inter Cumas* ubi Fratrum suorum Prior erat, & Mediolanum occisus martyrio coronatur. In cujus canonizationis litteris quæ eodem anno facta est Perusii, testatur Papa INNOCENTIUS ipsum ferè annos triginta vixisse in Ordine fultum catervâ virtutum, virginitatis etiam florem illibatum servasse, nulliúsque mortalis criminis unquam sensisse contagium suorum probatum testimonio Confessorum: cujus religiosa sanctitas crebris & in vita & in morte miraculis noscitur claruisse.

*Id est, Comum.

Egregiæ ejus virtutes.

Eodem anno statuit Papa INNOCENTIUS, ut Cardinales capellis rubeis uterentur. Magister ALBERICUS domini Papæ Notarius, ab eodem ad Ricardum fratrem Regis Angliæ mittitur, offerens ei Regnum Apuliæ, quo unà cum Imperio privaverat Fredericum. Sed Ricardo Comite negotium differente, supervenientéque citò pòst morte Papæ, non est res sortita effectum. ALEXANDER Scotorum Rex MARGARETAM filiam Regis Angliæ duxit uxorem, de qua genuit filium nomine Alexan-

Digitized by Google

drum, qui immaturâ morte patrem prævenit. Aliam filiam ejusdem Regis nomine Beatricem accepit Dux Britanniæ, de qua prolem genuit numerosam. Fuit autem iste annus in Anglia tanto caloris & siccitatis excessu notabilis, ut ab eo tanquam insigni termino consueverint aliquando homines tempora computare. A prima enim die Martii usque ad Assumptionem Virginis gloriosæ nulla cecidit pluvia super terram.

CONRADUS in Apulia infirmatus, clystere qui à medicis judicabatur fieri ad salutem, veneno mixto intulit sibi mortem. Reliquit autem filium nomine CONRADUM*, cujus sibi tutelam Manfredus ejusdem patruus usurpavit. Hoc anno tertio Nonas Aprilis beatus Ricardus Cicestrensis Episcopus laboris finem cursúsque sui metam attingens, præsentis incolatus miseriam exuit, & æternitatis bravium comprehendit: cujus vitam sanctitate insignem ac virtutibus gloriosam rudi quidem sed veraci stilo scripsit Frater quidam de Ordine Prædicatorum Radulfus nomine, quem dum adhuc viveret in suum elegerat Confessorem. Meritorum verò ejus magnitudinem & gloriam, crebrescentia post mortem ad tumbam ejus miracula certissimâ fide probant.

* Conradinum *aliàs dictum ab ætate, ut infrà.*

MCCLIII. | INNOCENTII IV. XI. | VVILLELMI I. VI. | LUDOVICI IX. XXVII. | HENRICI III. XXXVII.

HENRICUS Rex Angliæ ad instantiam Prælatorum, Comitum & Baronum chartas duas, unam de libertatibus quæ magna, & aliam quæ de foresta dicitur concessit. In partibus Angliæ quæ dicuntur Holondia & Holdernesse, alluvione maris insolitâ magna terræ portio cum domibus & earum habitatoribus est deleta. Moritur ROBERTUS Lincolniensis Præsul, qui cognominatus est à pluribus Grossum caput. Hic excellentis vir sapientiæ fuit, ac lucidissimæ doctrinæ, totiúsque exemplar virtutis. Qui licet de ima gente Sutfolchiæ Northwicensis diœcesis originem traxerit, tamen bonam naturæ indo-

Robertus Lincol. Episc. scientiis variis clarus.

Digitized by Google

lem præceptis Scripturarum exercens, produxit animum generosum. Qui cùm esset Magister in Artibus, super librum Posteriorum* compendiosè scripsit. Tractatus etiam de Sphæra & de arte computi, multáque alia in Philosophia utilia edidit. Doctor verò in triplici lingua eruditus, Latinâ, Hebræâ & Græcâ, multa de Glossis Hebræorum extraxit, & de Græco multa transferri fecit, ut putà Testamentum, duodecim Prophetarum & libros Dionysii, quorum novam translationem perlucidè commentavit. Hic Fratres Ordinis tam Prædicatorum quàm Minorum sincerâ caritate amplectens, eos habuit continuè in comitiva sua, delicias computans cum eis de Scripturis conferre. Præ ceteris etiam familiarem habuit fratrem Adam de Marisco Bathonienſis diœcesis, Ordinis Minorum in sacra Theologia Doctorem eximium & famosum, ob cujus affectionem libros suos omnes Conventui Fratrum Minorum Oxoniæ in testamento legavit. Huic Fratri Adam Bonifacius Cantuarienſis Archiepiscopus, quassato Elienſi electo, ejusdem Ecclesię contulit Præsulatum: sed appellatione ad Curiam Romanam interpositâ, Electus Episcopatum obtinuit, & Archiepiscopus sic conferendi Episcopatus perdidit potestatem.

* Analyticorum Aristot.

MCCLIV | INNOCENTII IV. XII. | VVILLELMI I. VII. | LUDOVICI IX. XXVIII. | HENRICI III. XXXVIII.

Filius Regis Angl. in Hispania uxorem ducit Alienoram, &c.

HENRICUS Rex Angliæ cum Regina ALIANORA in Vasconiam transfretans, Edwardum filium suum primogenitum cùm jam esset annorum quindecim transmisit ad Aldefonsum Regem Castellæ, ut cum nobili puella Alianora ejusdem Regis sorore iniret connubium. Quem ALDEFONSUS Rex ad civitatem Hispaniæ quæ vulgò Bures* dicitur venientem cum gaudio & honore suscipiens, militaribus armis cinxit, & nuptiarum sollemniis valdè honoratum, cum uxore ad patrem remisit. INNOCENTIUS Papa cum magno exercitu Apuliam in-

Lego Burges, *vulgò* Burgos.

Digitized by Google

greſſus moritur, cùm ſediſſet annis undecim, menſibus ſex, & apud Neapolim ſepelitur. Succeſſit ALEXANDER tertius, natione Campanus. Filii MARGARETÆ Comitiſſæ Flandrenſis, quos ſuſceperat de Burcarido* domino de Avenis, inſurrexerunt contra matrem, quia eos exheredare voluit, & heredem ſibi ſubſtituere filium ſuum GUIDONEM, quem de ea genuit maritus poſterior WILLELMUS de Dampetra. Comitiſſa verò in ſui adjutorium Carolum Andegavenſem Comitem accerſivit, conferens eidem Hannoniæ Comitatum, quem filii Comitiſſæ adjuvante eos Rege Romanorum Vuillelmo, aliiſque Teutoniæ Principibus fortiter oppugnabant.

Alexander III Innocentio Papæ ſucceſſit.

Vel Burcardo.

MORITUR WILLELMUS Rex Alemaniæ. Electores verò Imperatoris ab invicem diviſi ſunt, ita ut quidam Regem Caſtellæ eligerent, quidam verò Ricardum fratrem Regis Anglorum. Comites & Barones aſſentientibus Prælatis denuntiari fecerunt per ſingulos Comitatus, ut chartæ de libertatibus & foreſta inviolabiliter obſervarentur: ad quorum inſtantiam Archiepiſcopus Bonifacius ſententiam excommunicationis tulit in omnes eorum ſpontaneos tranſgreſſores. Lewlinus Princeps Walliæ collectâ manu validâ intravit Comitatum Ceſtriæ, quem Rex nuper Edwardo filio ſuo contulerat, & omnia cæde atque incendio uſque ad portas urbis Ceſtriæ devaſtavit. Ad cujus reprimendum impetum, miles ſtrenuus & famoſus dictus Stephanus cognomento Bavian, cum exercitu à Rege miſſus, cùm intraſſet terram cujuſdam Vualenſis nobilis nomine Reſi cognomento Vuauhan, id eſt parvi, multitudine hoſtium in locis paluſtribus circumventus, ſabbato in hebdomada Pentecoſtes occiditur. Reliqui autem de ejus exercitu vel præliando cum Duce ſuo cadunt, vel vivi capti, vinculis mancipantur, exceptis paucis qui per fugam evadere po-

Digitized by Google

tuerunt. Hoc anno puer quidam Christianus nomine Hugo à Judæis Lincolniæ captus est, & in improperium Christiani nominis crudeliter crucifixus.

Guillelmus de S. Amore condemnatur.

ALEXANDER Papa Magistrum Vuillelmum de Sancto-amore, Canonicum Belvacensem suúmque Capellanum, propter persecutionem injustè commotam contra Religiosos mendicantes & præcipuè Prædicatores, Anagniæ condemnavit, privans eum Capellaniâ suâ, & omni beneficio Ecclesiastico habito & habendo: libellum etiam quem *De mundi periculis* intitulavit, in quo contra Ordines pauperum multipliciter invehitur, reprobans in Ecclesia Cathedrali comburi fecit, excommunicans omnes qui retinent librum illum. Ceteros etiam Magistros per dictum Vuillelmum concitatos, coëgit Fratres ad pacem recipere, & secundùm legem caritatis tractare. Pax inter Comitissam Flandriæ & filios suos per mediationem Regis Francorum sub hac forma firmatur. Videlicet quòd FLORENTIUS Comes Holandiæ, qui fovit partem filiorum prioris mariti, & nuper in bello filios posterioris mariti ceperat, & cum aliis Flandrensibus in carcere detinebat, in uxorem duceret filiam Comitissæ, & Comitatus Hannoniæ cum urbe Valentinensi, cedente Carolo ad rogatum Regis Francorum, concederetur filiis genitis de domino de Avenis: Comitatus verò Flandriæ cum terris aliis filiis Vuillelmi de Dampetra. Sub his pactionibus liberavit Comes Holandiæ Guidonem & fratres ejus filios Comitissæ de posteriori marito cum Flandrensibus aliis.

Digitized by Google

An. Dom.	Pap.	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCLVII.	ALEXANRRI IV. III.	RICARDI II.	LVDOVICI IX. XXXI.	HENRICI III. XLI.

RICARDus frater Regis Angliæ in Alemanniam transiens, Aquisgrani in Regem Romanorum sollemniter coronatur. CAROLUS Comes Andegaviæ Comitatum Provinciæ accipiens, Marsilienses rebellantes in manu forti repressit. Rex Angliæ filio suo Edwardo Vasconiam, Hiberniam, villámque Bristolli dedit.

MCCLVIII.	ALEXANDRI IV. IV.	RICARDI III.	LUDOVICI IX. XXXII.	HENRICI III. XLII.

REx Angliæ Parliamentum Oxoniæ convocat, ad quod convenientibus Prælatis, Comitibus & Baronibus facta sunt statuta, quæ usque in præsens *Provisiones Oxoniæ* appellantur, ad quas inviolabiliter observandas Rex cõactus est corporale præstare sacramentum, cum omnibus ferè pòst jurantibus illud idem. Aymerius verò Wintonienſis Electus, Willelmus de Walentiis, Guido & Galfridus de Lizenim fratres Regis uterini, nolentes jurare cum aliis discedunt, & insequentibus eos Baronibus aliquibus cum equis & armis mare versus, Gallias transeunt indilatè. Vualterus Surreiæ fit Episcopus Exonienſis.

MCCLIX.	ALEXANDRI IV. V.	RICARDI IV.	LUDOVICI IX. XXXIII.	HENRICI III. XLIII.

REx Anglorum in Gallias transfretans, à Rege Francorum petiit restitutionem terrarum sibi ac patri suo injustè ablatarum per avum suum Philippum & patrem Ludovicum, & ab ipso injuriosè detentarum. Sed Gallicis contra Regem Anglorum multa alleganti-bus, & specialiter donationem Normanniæ antiquam non fuisse spontaneam, sed per primum Ducem Rollonem à Rege Francorum vi extortam (nec Regi Anglorum tutum videbatur jam prælio decertare, cùm sui in procinctu essent insurgendi contra eum) pacem subscriptam quodammodo compulsus admisit. Solutis namque sibi à

Angliæ Rex Normanniã, &c. coactus cedit Regi Francorum.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGL.

Rege Francorum trecentis milibus librarum Turonenſium parvorum, promiſsáque reſtitutione terrarum ad valorem viginti milium librarum annui cenſus, omnibus terris in manu Regis Francorum exiſtentibus reſignavit plenè & purè. Et exinde litterarum ſuarum abbreviavit titulum, ut nec Ducem Normanniæ, nec Comitem Andegaviæ deinceps ſe vocaret. MANFREDUS filius Frederici ſe fecit in Regem Siciliæ coronari, nepotis ſui Conradini morte confícta: quem Papa Alexander tamquam Regni invaſorem, fautorémque Saracenorum excommunicavit, omníque honore & dignitate ſententiâ judiciali privavit.

MCCLX.	ALEXANDRI IV. VI.	RICARDI V.	LUDOVICI IX XXXIV.	HENRICI III. XLIV.

JUSTICIARII Regis Angliæ qui dicuntur *Itineris*, miſſi Herfordiam pro ſuo exſequendo officio repelluntur, allegantibus his qui Regi adverſabantur, ipſos contra formam proviſionum Oxoniæ nuper factarum veniſſe. Florentini cõadunati ut civitatem Senenſem deſtruerent, à militibus Manfredi, & Jordano Comite qui partem fovit Manfredi vincuntur, captâque eorum civitate & in parte deſtructa, ipſi dominio ſubjiciuntur Senenſium & Manfredi. Inter Regem Ungariæ & Boëmiæ pro quibuſdam terris grave commiſſum eſt prælium, fugientibúſque Ungaris plurimi de eis occiduntur gladio, ſed multo plures ſubmerguntur in fluvio, quem tranſire oportuit fugientes. Itaque Rege Boëmiæ Ungariam intrante, Rex Ungariorum terras uſurpatas reſtituens pacem fecit, & mediante matrimonio amicitias in futurum firmavit.

MCCLXI.	ALEXANDRI IV. VII.	RICARDI VI.	LUDOVICI IX. XXXV.	HENRICI III. XLV.

ALEXANDER Papa Viterbii moritur, & in Eccleſia S. Laurentii honorificè ſepelitur. Hic canonizavit Anagniæ ſanctam Claram, quæ fuit Ordinis S. Damiani, reprobavit & duos libros peſtiferos, quorum unus dice-

Digitized by Google

bat, quòd Religiosi etiam verbum Dei prædicantes, de eleëmosinis viventes salvari non possent: alter verò dicebat inter cetera, quòd Evangelium & doctrina novi Testamenti neminem ad perfectionem perduxit, & evacuanda erat millesimo ducentesimo sexagesimo anno, & in sexagesimo anno deberet inchoari doctrina Joathan, quam conditor libri vocavit Evangelium æternum, totam perfectionem salvandorum in illo ponendo. Dicebat etiam quòd Sacramenta novæ legis hoc anno evacuarentur: quæ omnia & auctoritas Apostolica, & prædicti temporis sequens experientia exsufflavit. Alexandro succedit URBANUS natione Gallicus, de civitate Trecensi. Qui Saracenorum exercitum quem Manfredus in patrimonium Ecclesiæ miserat, per Crucesignatos fugavit. Rex Angliæ impetrata à Papa Urbano absolutione juramenti, quod pro observandis Provisionibus Oxonienſibus invictus præstiterat, multos earum articulos publicè revocavit. BALDEWINUS Græcorum Imperaror per Græcos & auxilium Januensium in odium Venetorum cum Francis expellitur & Latinis, & sic Græci recuperato Imperio, quemdam sibi præficiunt quem appellant Palæologum. Baldewinus verò fugiens exsul in Galliis morabatur.

Moritur Alexander Papa, qui diversas extirpavit hæreses.

Eligitur Urbanus IV.

MCCLXII. | URBANI IV. I. | RICARDI. VII. | LUDOVICI IX. XXXVI. | HENRICI III. XLVI.

PRINCEPS Vualliæ Regis Angliæ adversariis confœderatus, cœpit in terris Edwardi filii Regis iterum cædes & incendia exercere. PHILIPPUS Regis Francorum filius ISABELLAM filiam Regis Arragoniæ uxorem accepit. Marsilienses contra Carolum, favente eis quodam Castellano nomine Bonifacio, insurgentes occiderunt urbis custodes: propter quod Carolus Bonifacium expugnans, fugavit eum de Comitatu Provinciæ, castro ejus ad deditionem coacto. Marsilienses verò diutiùs obsidens, tandem subegit, & seditionis auctores in consi-

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

pectu populi capite plecti fecit. Papa URBANUS beatum RICARDUM Ciceſtrenſem Epiſcopum catalogo Sanctorum adſcripſit. Johannes Gervaſii, quaſſatis electis Monachorum, à domino Papa fit Epiſcopus Vuintonienſis.

MCCLXIII.	URBANI IV. II.	RICARDI VIII.	LUDOVICI IX. XXXVI.	HENRICI III. XLVI.

EDWARDUS filius Regis Angliæ, cùm exercitum copioſum contra Principem Vualliæ collegiſſet, & ille ad nemoroſa & paluſtria fugiens, copiam pugnæ non faceret, à patre in Angliam revocatur. In Regem inſurgunt multi Barones. SYMON Leiceſtriæ Comes, Capitaneus Baronum contra Regem inſurgentium factus, prædari cœperat bona Regi adhærentium, & præcipuè eorum qui Reginæ attinentes, per eam introducti fuerant in Angliam, quos alienigenas appellabant. Quidam etiam de parte Baronum Herfordenſem Epiſcopum Petrum natione Burgundum, in Eccleſia ſua Cathedrali captum, duxerunt ad caſtrum de Herdeſleya, theſaurum ejus pariter dividentes. Deinde duce Comite Symone progreditur exercitus Gloverniam, cujus caſtri cuſtodia fideliſſimo militi Mathiæ de Beſiller fuerat per Regem commiſſa. Occupatâ autem villâ cùm caſtro dantes inſultum Barones, portam primam verſus urbem confregiſſent, Mathias ut ſibi eſſent auxilio incarceratos diſſolvit: quorum proditione cùm ex altera parte caſtri patefactus eſſet ingreſſus, Mathias in turrim confugit: in quam inſequentes eum milites Symonis effractis foribus violenter irrumpunt, Mathiámque licèt repugnantem, nec metu mortis ſe reddere volentem vivum ceperunt, & vinctum quò volebant duxerunt. Exinde Comes Vuigorniam accedens, civitatem ipſam ſine ulla reſiſtentia cepit. Inde uſque Brugiam progrediens, cùm villam obſediſſet, villaníque primo die ſe viriliter defendiſſent, ſecundo die firmato pacto quòd Walenſes qui ex parte alia urbem oppugnabant, non introducerentur, opidum reddiderunt. Deinde profi-

Digitized by Google

ciſcitur Comes ad partes Regni auſtrales. Rex autem & Regina interim Londoniis morabantur in turri, quæ cùm ſe transferre volens ad caſtrum de Vuindelſore, per fluvium Thameſis adſcenderet in ſcapha, multitudo civitatis plebeia ad pōtem ſub quo tranſitura erat congregata, convicia & maledicta in eum confuſo clamore congeſſit, & jactu luti & lapidum ad turrim cōegit reverti.

Igitur inter Regem & Comitem ſub his conditionibus pax formatur, videlicet ut in primis Henricus Regis Alemanniæ filius, qui tunc parti Comitis contra Regem adhærens captus, & in cuſtodia detentus fuerat, liberaretur: deinde ut caſtra Regis omnia per totam Angliam Baronum cuſtodiæ traderentur: Item ut proviſiones Oxoniæ inviolabiliter ſervarentur, & quòd omnes alienigenæ infra certum tempus regnum evacuarent, exceptis his quorum moram fideles de regno aſſenſu unanimi acceptarent: Poſtremò ut indigenæ regno fideles & utiles negotia regni de cetero ſub Rege diſponerent. Sed his non obſtantibus, milites quidam de parte Regis caſtrum de Vuindelſore victualibus munierunt & armis. EDWARDUS verò filius Regis ad caſtrum Briſtolli venit, ubi inter milites ſuos & villanos ſubortâ diſcordiâ, avertitur ab eo villa, jam parans obſidionem ponere circa caſtrum, quod advertens Edwardus Vualterum Vuigornienſem Epiſcopum, qui partem Baronum fovit, accerſiri fecit, ut in ejus conductu patris curiam adiret, ſpondens ſe patri & ejus Conſilio ea quæ pacis erant efficaciter ſuadere. Profectus igitur cum Epiſcopo cùm appropinquaret caſtro de Vuindelſore, ingreſſus eſt illud, quod ſuſpectum habens Epiſcopus malè tulit. Comite tamen Symoni cum ſibi adhærentibus volentibus caſtrum obſidere occurrit Edwardus quaſi mediâ viâ circa villam de Kingeſton, pacis offerens tractatum eidem: ſed Comes fretus conſilio præfati Vualteri Epiſcopi Edwardum fruſtratum propoſito, redire volentem detinuit: redditúmque eſt caſtrum de Vindelſore Comiti, conceſsâ cuſto-

Pax inita paulò pòſt ſolvitur.

Digitized by Google

dibus ejus ad recedendum cum omnibus ſuis quò volebant liberâ facultate, alienigenis etiam volentibus tranſito mari redire ad propria ſalvus datur conductus. LEULINUS Princeps Vualliæ Comiti Symoni confœderatur, Comitatum Ceſtriæ & Marchiam ejus interim devaſtavit, duóque Edwardi caſtra Diſſard & Gannek diruens complanavit ad ſolum.

Poſt hæc Parliamentum Londonias convocatur, in quo dum multi qui hactenus Comiti adhæſerant, ad partem Regis ſe transferunt (inter quos precipuus erat HENRICUS de Alemannia, Ricardi Regis Romanorum de prima uxore filius) cœpit poteſtas regia aliquantulum reſpirare. Denique Rex Dovoriam accedens, ſategit caſtrum illud de manibus Comitis extorquere, ſed fruſtratus intento, diſceſſit. CAROLUS Comes Provinciæ in perpetuum urbis Romanæ eligitur Senatorem: cui etiam Papa Urbanus regnum Siciliæ uſque quartum heredem contulit ut illud auferret Manfredo.

MCCLXIV. | URBANI IV. III. | RICARDI X. IX. | LUDOVICI IX. XXXVII. | HENRICI III. XLVIII.

SANCTUS LUDOVICUS Francorum Rex, Anglicani Regni deſolationi compatiens, procurante Archiepiſcopo Bonifacio, qui Pariſius in ſermonibus publicis tam apud Prædicatores quàm apud Minores Regis Angliæ Comitiſque Leiceſtriæ proceſſus geſtáque declaravit, in concordatorem amicabilem pacíſque arbitrum ſe admitti permiſit*. Aſſentientibus itaque partibus, factáque ſubmiſione Regi Francorum, Rex Angliæ & Edwardus filius ejus cum Prælatis pluribus regni Anglorum, ad audiendum dictum & laudum præfati Regis circa feſtum S. Vincentii ſe Pariſius præſentârunt. Comes verò Leiceſtriæ ſive quia Regem Francorum propter matrem ejus ſibi offenſam ſuſpectum habuit, ſive alia de cauſa non ſatis nota præſentiam ſuam ſubtrahens, in Anglia proſequitur inchoata. Igitur extunc Rogerus de

* promiſit

Digitized by Google

Mortuo-mari, in rebus bellicis miles expertus, prædia Comitis Leiceſtriæ cœpit deprædari. Contra quem Comes adjuncto ſibi Principe Walliæ progreſſus, caſtrum de Radenore obſedit, & ad deditionem coegit. EDWARDUS filius Regis Angliæ de Pariſius regreſſus, caſtra Comitis Herfordiæ Hay & Huntingdoniam cepit, & caſtrum Breconiæ ſibi redditum Rogero de Mortuo-mari tradidit cuſtodiendum cum territorio adjacenti. ROBERTUS Comes Berbeiæ qui Comiti Symoni adhæſit, civitatem Wigorniæ obſedit, & per vetus caſtrum ingreſſus, bona civium diripuit, Judæóſque baptizari coëgit. Capta eſt & villa Gloverniæ à Baronibus aliis: quos inſecutus Edwardus à tergo reparato ponte ſuper Sabrinam, quem Barones poſt tranſitum ſuum verſus Gloverniam fregerant, caſtrum Gloverniæ cum ſuis intravit. In craſtino procurante Waltero Wigornienſi Epiſcopo, inter Edwardum & Barones qui villam ceperant induciæ ſunt acceptæ: quibus durantibus, fugerunt qui villam ceperant, Burgenſeſque ſe & ſua dederunt Edwardo.

HENRICUS Rex de Francia reverſus, Oxoniam veniens, perſonaliter orationis gratiâ ſanctam adiit Fredeſwidam. Armatus nempe fide recta, non veritus eſt ſuperſtitioſam opinionem illorum, qui putant illicitum Regibus, intrare villam, ultionem in eos virgine exercente. Ad quem cùm veniſſet filius ejus coadunato exercitu, diſpoſuit hoſtes in manu valida propulſare. Interim Londonienſes Juſtitiarios Regis ac Barones de Scaccario capientes, carceri manciparunt. Rex verò habens ſecum illuſtres Principes, RICARDUM germanum ſuum Regem Alemanniæ ac filium ſuum EDWARDUM, Vuillelmúmque de Valentiis fratrem uterinum, clariſſimóſque milites Johannem Comyn de Scotia, cum multitudine Scottorum, Johannem de Balliolo dominum Galwidiæ, Robertum de Brus dominum Vallis-Avandiæ, Rogerum

Rex Angl. de rebellibus. refert victoriam.

Digitized by Google

de Glifford, Phillippum Marnoun, Johannem de Vallibus, Rogerum de Leyborne, Henricum de Perey, Philippum Baſſeth, Rogerum de Mortuo-mari, cum exercitu progrediens villam Northamtonam obſedit, quam Dominica in paſſione effracto muro intravit, cepítque in illa milites vexilliferos quindecim; videlicet Symonem juniorem, Vuillemum de Ferrariis, Petrum de Monte-forti, Baldewinum Vualre, Adam de Novomercato, Rogerum Bertrandi, Symonem filium Symonis qui primus vexillum erexerat contra Regem, Berengarium de Vuatervile, Hugonem Gubion, Thomam Maunſel, Rogerum Boutevilein, Nicolaum Wake, Robertum de Newetonia, Philippum de Dribi, Grimbaldum de Paunſevot: de quibus Symonem juniorem ad caſtrum de Windelſore, reliquos verò ad alia caſtra tranſmiſit captivos. Capti ſunt & alii milites minoris gradûs circiter quadraginta, ſcutiferíque non pauci.

Perrexit inde Rex verſus Notingham, maneria Baronum cæde vaſtans & incendiis, ibíque recollegit Magnates ſuos, & ſuorum auxit numerum vehemẽter. Comes Symon his auditis Londonias pergit, & peractis machinis decrevit expugnare urbem Roffenſem, quam Comes Johannes de Warrenna tunc tenuit & defendit. Cujus cùm portam primam unà cum ponte cepiſſent Symon & ſui, nuntiatum eſt Regem venire Londonias, propter quod omiſſâ obſidione, in ejus occurſum celeriter redierunt. Rex autem declinans à civitate Londoniarum, cepit caſtrum de Kingſtone, quòd erat Comitis Gloverniæ, profectúſque Roffam, quoſdam qui in obſidione remanſerant fugavit, plurimis interfectis. Inde perrexit uſque Tunebregge, cujus caſtrum cepit, & Comitiſſam Glovernĭæ in eo, quam tamen liberam abire permiſit: relictáque ad cuſtodiam caſtri magnâ militiâ, perrexit Winchelſeyam, ubi Portuenſes recepit ad pacem. Profectúſque ultrà, pervenit uſque Lewes, receptúſque eſt ipſe in Prioratu, & filius ejus in caſtro. Ubi dum eſſet, ſcripſerunt ei

Digitized by Google

runt ei Barones litteras hujus tenoris :

EXcellentissimo domino suo HENRICO Dei gratiâ illustri Regi Angliæ, domino Hiberniæ, Duci Aquitaniæ, Barones & alii fideles sui, sacramentum & fidelitatem Deo & sibi observare volentes, salutem & debitum cum honore famulatum. Cùm per plura experimenta liqueat, quòd quidam vobis assistentes multa de nobis mendacia dominationi vestræ ingesserint, mala quanta possunt non solùm nobis, sed etiam vobis & toti regno vestro intẽtantes. Noverit Excellentia vestra, quòd salutem & sanitatem corporis vestri totis viribus & fidelitatem vobis debitam volumus observare, inimicos non solùm vestros, sed etiam nostros & totius regni vestri juxta posse gravare proponentes : illis si placet supradictis non credatis. Nos enim fideles vestri semper inveniemur, & nos Comes Leicestriæ, & Gilbertus de Clare ad petitionem aliorum pro nobis & ipsis signa nostra appossuimus. Baronum ad Regem epistola.

Rescripsit autem eis Rex litteras in hac forma :

HENRICUS Dei gratiâ Rex Angliæ, dominus Hiberniæ, Dux Aquitaniæ, SYMONI de Monteforti, GILEBERTO de Clare, & eorum complicibus. Cùm per guerram & per turbationem generalem in regno nostro jam per vos subortas, necnon incendia & damna enormia alia, appareat manifestè quòd fidelitatem vestram nobis non observatis, nec de securitate corporis nostri in aliquo curatis, eo quòd Magnates & alios fideles nostros, nostræ fidei constanter adhærentes enormiter gravastis, & ipsos pro posse vestro gravare proponitis, sicut per litteras nobis significastis, nos ipsorum gravamen nostrum proprium, & eorum inimicos æquè nostros reputantes, cùm tantùm præcipuè prædicti fideles nostri pro fidelitate sua observanda contra infidelitatem vestram nobis viriliter & fideliter assistant : de vestra fidelitate vel amore non curamus, sed vos tamquam nostros & eorum inimicos diffidamus, teste me ipso apud Lewes. Regis responsio.

Digitized by Google

Et Rex etiam Alemanniæ & EDWARDUS filius Regis nomine suo & aliorum Regi adhærentium scripserunt prædictis Comitibus, & eorum complicibus in hac forma:

Item Regis Aleman. Edvuardi filii Angliæ Regis.

RICARDUS Dei gratiâ Rex Romanorum semper Augustus, & EDWARDUS Illustris Regis Angliæ primogenitus, ceteríque Barones omnes & Nobiles, prædicto Regi Angliæ constanter & sincerâ fide atque operibus adhærentes, SYMONI de Monte-forti, GILEBERTO de Clare, ac ceteris universis & singulis perfidiæ suæ complicibus. Ex litteris vestris quas domino nostro Illustri Regi Angliæ transmisistis accepimus nos esse diffidatos à vobis, quamvis hujusmodi verbalis diffidatio satis fuerit in nos realiter antè vestrâ hostili in rerum nostrarum incendiis & bonorum nostrorum depopulationibus persecutione probata. Nos igitur scire vos volumus, à nobis universis & singulis vos tamquam hostes publicos ab hostibus diffidatos, qui deinceps personarum vestrarum & rerum dispendiis, ubicumque nobis ad hoc facultas fuerit, totis viribus & nisibus insistemus. De hoc quod falsa nobis imponitis, quòd nec fidele nec bonum consilium ipsi domino nostro Regi damus, nequaquam verum dicitis. Et si vos, domine Symon de Monte-forti, vel G. de Clare, hoc idem in curia Regis volueritis asserere, parati sumus vobis securum ad veniendum ad dictam curiam procurare conductum, & nostræ innocentiæ veritatem, & utriusque vestrûm sicut perfidi proditoris mendacium declarare per aliquem nobilitate & genere vobis parem. Omnes nos contenti sumus prædictorum dominorum sigillis; videlicet domini Regis Romanorum & domini Edwardi.

Barones hostes Rex persequitur.

Appropinquantes autem ad villam de Lewes Comites prædicti in manu armata, regios satellites qui pro quæritando equorum pabulo egressi fuerant, invadentes, plurimos peremerunt. Præmonitus Rex de adventu subito Comitum & Baronum, obviam pergit cum exercitu in tres partes diviso: quarum primæ præerat EDWARDUS Regis primogeninus, cum WILLELMO de

Digitized by Google

Valentiis Penbrochiæ & JOHANNE de Vuarenna Surreyæ & Suſexiæ Comitibus : ſecundæ Rex Alemanniæ cum filio ſuo HENRICO, tertiæ verò Rex ipſe HENRICUS. Baronum verò exercitus in quatuor partes diviſus erat, quarum primæ HENRICUS de Monte-forti cum Comite Herfordiæ, ſecundæ GILEBERTUS de Clare cum JOHANNE filio Johannis, & WILLELMO de Monte-caniſii, tertiæ in qua erant Londonienſes, NICOLAUS de Segrave, quartæ ipſe Comes SYMON cum THOMA de Pelveſtonia præfuerunt. EDWARDUS igitur cum acie ſua tanto impetu in hoſtes irruit, ut eos retrocedere cogeret : quorum multi fugientes ſubmerſi ſunt, ut ſcribunt aliqui, uſque ad numerum militum ſexaginta. Londonienſes etiam in fugam verſi ſunt, quos dum inſequitur Edwardus ad quatuor miliarium ſpatium, graviſſimam cædem inferendo, à reliquo ſeparatus exercitu diminuit robur ejus. Interim verò multi de acie Regis occiſi ſunt, captíque Rex Alemanniæ, ROBERTUS de Brus qui Scotos adduxerat, Rex etiam HENRICUS dextrario ejus occiſo captus, & in Prioratu appoſitâ cuſtodiâ eſt recluſus. Reverſus Edwardus gravi prælio excipitur, fugerúntque Comes Warranniæ, Vuillelmus de Valentiis, Guido de Liſiniaco frater Regis uterini, Hugo Bigod cum militia quę ad quadringentos loricatos adſcendit, omnes ad caſtrum de Peuneſie tendentes.

A Baronibus Reges Alem. & Angl. capiuntur.

Cùm autem hinc inde multi corruiſſent, Edwardus villam circumiens cùm patrem non inveniſſet in caſtro, Prioratum ingreſſus pervenit ad eum. Interim dato inſultu ad caſtrum, cùm incluſi viriliter ſe defenderent, ſubtrahunt ſe Barones, Edwardus audaciâ caſtrenſium animatus, recollectis ſuis iterum voluit prælíari. Quo cognito miſerunt Barones mediatores pacis, promittentes in craſtino velle de pace tractare cum effectu. In craſtino igitur diſcurrentibus inter partes Fratribus Prædicatoribus & Minoribus, ſic actum eſt, ut feriâ ſextâ ſequente Edwardus & Henricus pro patribus ſuis Regibus Angliæ & Alemanniæ ſe Comiti Symoni traderent, ſub

Pax proponitur ab utraque parte, ſed fruſtrâ.

Digitized by Google

ſpe quietis & pacis, ita ut cùm de liberatione tractaretur, quæ proviſionum & ſtatutorum eſſent pro utilitate Regni tenenda, & quæ delenda, & quòd interim captivi hinc inde abſque pretio redderentur. Sabbato ſequenti Rex omnes qui ſibi adhæſerant licentiavit ad propria: ſcripſítque de voluntate Comitis Symonis his qui erant in munitione de Tonebrugge, quòd redeuntibus ad ſua Baronibus non nocerent. At illi nonobſtante armati procedentes, cùm audiſſent Londonienſes qui de bello fugerant, apud Croindone receptos, illuc properantes, plurimis eorum peremptis ſpolia abſtulerunt. Exinde tendebant uſque Briſtollum, ubi uſque ad liberationem Edwardi in præſidio remanſerunt. Comes verò Symon Regem Angliæ filiúmque ejus Edvuardum ſecum circumduxit, quouſque caſtra terræ fortiora omnia occupaſſet, & extunc ad tractandum de pace ſecundùm formam præmiſſam difficiliorem ſe exhibuit, eo quòd Regem & Regnum totum in ſua habuit poteſtate. Denique Ricardum Regem Romanorum in turri Londoniarum, Edvuardum verò & Henricum Regum filios in caſtro Dovoriæ ſub cuſtodia poſuit, Regem Angliæ Henricum ſecum continuè circumducens.

Comes Symon Regem Regnúmque tenet in ſua poteſtate.

Interim milites inclyti & in armis expertiſſimi, videlicet Rogerus de Mortuo-mari, Jacobus de Andeliaco, Rogerus de Leyborne, Rogerus de Clifford, Haymo Extraneus, Hugo de Turberville cum aliis pluribus indignè ferentes Regem regiámque ſobolem ſic tractari, unanimi contra Comitem Leiceſtriæ inſurgunt conſenſu. Ad quorum compeſcendam audaciam Comes Symon aſſociato ſibi Principe Walliæ Levulino, caſtrum Herfordiæ intravit, illúcque Edvuardum captivum de Dovoria tranſtulit. Deinde caſtrum Comitis Herfordiæ, quod Hay dicitur recuperavit, & caſtrum de Lodelavue cepit, devaſtandóque terras Rogeri de Mortuo-mari, progreditur verſus Montem Gomeri, ibíque factâ pace inter Comitem Symonem & prædictos nobiles, datis ab

Digitized by Google

eis obsidibus, Comes ad partes australes revertitur, ut occurreret militiæ quæ de partibus Gallicanis in Regis subsidium dicebatur ventura.

URBANUS Papa turbationi Regni Anglicani compatiens, Legatum misit dominum Sabinensem Episcopum Cardinalem, qui Angliam intrare non valens, navigio quinque portuum mare occupante; quosdam Episcopos Angliæ ad se primò Ambianis, deinde Boloniam evocavit, quibus sententiam excommunicationis & interdicti auctoritate Papali in civitatem Londoniarum & quinque portus, omnésque pacem Regis Angliæ turbantes fulminatam, publicandam exsequendámque commisit. Dissimulaverunt nihilominus Episcopi negotium, de cujus causa non satis certa diversi variè opinantur.

Hoc anno apparuit cometa tam notabilis, ut scribit Frater Martinus in Chronicis suis, quòd tunc nullus vivens talem ante viderit. Ab oriente enim cum magno fulgore surgens usque ad medium hemisphærii versus occidentem comam perlucidam pertrahebat, & licèt in diversis mundi partibus multa fortè significaverit, hoc tamen unum pro certo compertum est, ut cùm plusquàm per tres menses duraverit, ipso primò apparente Papa Urbanus infirmari cœpit, & eâdem nocte quâ Papa mortuus est cometa disparuit. Obiit autem Perusii & sepultus ibidem. Urbano successit CLEMENS quartus natione Provincialis, qui primò uxorem habens & filios, famosus fuit Advocatus & Consiliarius Regis Francorum. Mortuâ verò uxore, propter vitam bonam, sanctam & laudabilem, primò Podiensis Episcopus efficitur, ac deinde Archiepiscopus Narbonensis, tandem ad Cardinalatum assumptus, fit Episcopus Sabinensis: qui cùm à Papa Urbano missus fuisset legatus in Angliam pro pacis reformatione, absens electus est in Papam. Clarent his temporibus Parisius Doctores eximii Frater THOMAS de Aquino inter Prædicatores, Bonaventura inter Minores.

Clemens IV. in Papam assumptus.

Digitized by Google

An. dom.	Papæ	Imp.	Franc.	Angl.
MCCLXV.	Clementis IV. I.	Willelmi I. XL.	Ludovici IX. XL.	Henrici III. L.

Causa dissensionis & belli inter Anglos.

INTER Comites Leiceſtriæ Symonem & Gloverniæ Gilbertum hâc occaſione dicitur ſuborta ſimultas. Comes enim Leiceſtriæ non eſt contentus Regem Angliæ à ſe captivum detineri, verùm caſtra regia in ditionem propriam accepit, diſponens pro libitu ſuo Regnum totum, & (quòd præcipuè offendebat) proventus Regni, redemptionéſque captivorum, emolumentáque alia quæ inter eos æquâ ſorte dividi debebant, ſibi ſoli totaliter vindicabat. A filiis quoque ejus in ſuperbiam erectis contemptui videbatur haberi. Super his per Comitem Gilbertum requiſitus, rogatúſque ut Regem Alemanniæ, quoſdam alios captivos nobiles, per ipſum & ſuos in bello captos, ſibi redderet: cùm leviter reſpondiſſet, inchoata diſcordia radicitus eſt firmata. Diſcedens quippe cum indignatione Comes Gilbertus Milites nobiles de Marchia, quorum ſuprà facta eſt mentio, quos jam Comes Symon edicto publico Regnum evacuare juſſerat, accerſitos fœdere ſibi jungit. Auxerunt eorum ſocietatem Johannes de Warenna Sureyæ & Suſexiæ, & Willelmus de Valentiis Peubrochiæ Comites, in occidentales partes Walliæ per mare devecti, & Penbrochiæ applicantes.

Comes SYMON Regem ſecum ducens, Herfordiam proficiſcitur, collectâ manu validâ prædictos Milites potenter diſponens opprimere. Interim per quoſdam elaboratum eſt Prælatos, ut Comites Leiceſtriæ & Gloverniæ ad priſtinam reducerentur unitatem: ſed nihil proficere potuerunt. Dum autem hæc aguntur, EDWARDUS filius Regis in caſtro Herfordiæ ſub cuſtodia detentus, equorum curſu ſe exercere in prato quodam extra urbem à cuſtodibus permittitur gratiâ ſpatiandi, qui tentatis pluribus & currendo fatigatis, tandem unum quem electum ſciebat adſcendens dextrarium, urgénſque eum calcaribus, cuſtodibus valedixit, tranſitóque flumine quòd Weye dicitur, cum duobus militibus & quatuor ſcutife-

Aufugit Eduardus filius Regis.

Digitized by Google

ris propoſiti ſui conſciis, verſus caſtrum de Wiggemor dirigit iter ſuum. Inſequentes verò cuſtodes cùm vidiſſent vexilla duorum Rogeri de Mortuo-mari & Rogeri Clifford, Edwardo in ſalutis præſidium occurrentium, deluſi Herfordiam revertuntur. Factum eſt iſtud in hebdomada Pentecoſtes conſilio & induſtriâ Militum prædictorum. Edwardus à cuſtodia liberatus, coadunato exercitu magno, multis ad eum confluentibus, Comitatus Herfordenſem, Wigornienſem, Salopienſem, Ceſtrenſem ſuæ parti confœderat & ſubjicit, cum pagis & villis, civitatibus & caſtellis: villam etiam Gloverniæ, quam nuper Comes Symon optimè munierat, expugnavit & cepit, fugientibus ad caſtrum cuſtodibus: qui poſt dies quindecim reddito caſtro, & præſtito juramento quòd contra Edvuardum arma de cetero non portarent, liberi dimittuntur. Comes verò Leiceſtriæ caſtrum Monemuthæ, quod Comes Gloverniæ nuper ceperat & munierat, coactis ad deditionem cuſtodibus ad ſolum proſtravit: ingreſſúſque terram ejuſdem Comitis quæ Glomergancia dicitur, occurrente ſibi Principe Walliæ in ſubſidium, omnia vaſtavit incendio atque cæde. Interim verò Edvuardus audiens, quòd multi de parte Comitis Symonis ad caſtrum quod Kenilvuorthe dicitur confluerent, adjuncto ſibi Comite Gloverniæ ſerò de Wigornia illuc tendens, citatóque gradu ſubitò ſuperveniens, cepit Comitem Oxoniæ cum militibus vexilliferis circiter tredecim, antequàm caſtrum eſſent ingreſſi, in quo ſe jam receperat Symon Comitis Symonis filius.

Arma ſumit contra hoſtes: urbes capit, &c.

Symon Comes Leyceſtriæ Regem ſemper habens in ſua comitiva, de auſtrali Vuallia reverſus, in feſto S. Petri ad vincula venit ad manerium Vuigornienſis Epiſcopi, quod Cemeſeya dicitur, & ibidem in craſtino morabatur. Edvuardus de Kenilvuorthe rediit Vuigorniam, quæ à prædicto manerio diſtat miliaribus tantùm tribus. Cujus adventu cognito, Comes Symon cum Rege in ipſo noctis crepuſculo diſcedens, in opido quod Evesham dicitur

Digitized by Google

fato ſubſtitit infelici. In craſtino namque qui erat dies Inventionis S. Stephani, EDWARDUS movens ſe de Vuigornia, tranſito fluvio juxta opidum quod dicitur Clive, viam Comiti verſus filium, qui erat in caſtro de Kenilworthe, filiíque ad patrem cum ſuo exercitu intercluſit. In craſtino verò appropinquavit opido Eveshamiæ ex parte una, venerúntque ex duabus partibus aliis Comes Gloverniæ cum acie ſua, & Rogerus de Mortuo-mari cum ſua turma, itaut Comes Leyceſtriæ undique concluſus, neceſſe habuerit vel ſe ſpontaneè dedere, vel cum iſtis prælio decertare. Feriâ igitur ſextâ quæ Nonis Auguſti contigit, occurrunt ſibi ambo exercitus in campo extra opidum ſpatioſo, ubi graviſſimo conſerto prælio cœpit pars Comitis ſuccumbere, qui aggravato ſuper eum pondere prælii, ibidem cecidit interfectus. Ceciderunt in ea pugna Milites vexilliferi duodecim, videlicet Henricus filius ejus, Petrus de Monteforti, Hugo de Diſpenſariis Juſtitiarius Angliæ, Vuillelmus de Maundevilla, Radulphus Baſſeth, Vualterus de Crepinge, Vuillelmus de Eboraco, Robertus de Treggor, Thomas de Hoſtele, Johannes de Campo-bello, Guido de Balliolo, Rogerus de Roules. Alii quoque minoris gradûs in multitudine magna, cum ſcutiferorum & peditum, & maximè Gallenſium numero exceſſivo. Edvuardus potitus victoriâ, Monachis illius loci poſt prælium mandavit, ut corpora defunctorum, & præcipuè majorum decenter humari curarent. Interfuit autem principaliter exequiis Henrici de Monteforti, quem pater ejus de fonte ſacro levaverat, & ipſe ſecum nutritum à puero familiariter dilexerat, cujus etiam funeri dicitur lacrimas impendiſſe.

Tandem Symon perduellis vincitur interficitúrque ab Eadmundo.

Denique triumphatis hoſtibus, Rex poteſtati regiæ reſtitutus, Vuintoniam de conſilio filii victoris aliorúmque Parliamentum convocat in Nativitate Virginis glorioſæ, ubi inito conſilio civitatem Londoniarum ob ſuam rebellionem privavit omnibus privilegiis libertatibúſque antiquis, capitaneóſque factionis contra Regem juxta voluntatem.

Rex libertati reſtitutus pœnis afficit rebelles.

Digitized by Google

voluntatem ſuam plectendos jubet carceri mancipari. In feſto verò S. Edwardi Regis omnes, qui contra dominum ſuum Regem cum Comite Symone ſteterant, edicto publico exheredantur, quorum mox terras Rex illis qui ſibi fideliter adhæſerant, contulit penſatis meritis ſingulorum. Exheredati verò coadunantes ſe paſſim deprædationes & incendia exercebant.

Eodem anno OTTOBONUS tituli S. Hadriani Diaconus Cardinalis, à domino Papa Clemente Legatus in Angliam deſtinatur. CAROLUS frater Regis Francorum Romam navigio devectus à domino Papa Clemente in Regem Siciliæ coronatur. Multitudo Gallicorum cruce ſignata contra Manfredum, habens Capitaneos GUIDONEM Autiſſiodorenſem Epiſcopum & ROBERTUM filium Comitis Flandrenſis, ac BOCARDUM Comitem Vindomienſem, in ſubſidium Caroli Romam venit.

Carolus Regis Franc. frater à Papa Rex Siciliæ coronatur.

Hoc anno dominica ante bellum Eveshamiæ, multitudo Wallenſium Somerſetiam deprædatura, Capitaneum habens Willelmum de BERKELE Militem nobilem, ſed malefactis famoſum, apud Mineheved juxta caſtrum de Doweſtore applicuit: quibus occurrens cuſtos caſtri dictus Adam Gurdun, plurimos occidit gladio, plurimóſque cum eorum Capitaneo compellens in fugam ſubmergi coëgit. Caſtrum Dovoriæ redditum eſt Edvuardo, in quod Guidonem de Monteforti tranſtulit ſub cuſtodia detinendum. OTTOBONUS Legatus vocato Concilio apud Norhamtonam, ſententiam excommunicationis tulit in omnes Epiſcopos & Clericos, qui Comiti Symoni contra Regem præſtiterant auxilium aut favorem, & nominatim in Johannem Wintonienſem, Walterum Vuigornienſem, Henricum Londonienſem, Stephanum Ciceſtrenſem: de quibus Vvigornienſis citò pòſt obiit ſexto Nonas Februarii, cui Nicolaus de Hely Cancellarius Regis ſucceſſit. Reliqui verò tres præfati Epiſcopi Romam adeuntes, domini Papæ gratiam exſpectabant. Eadem etiam ſententia ceteros quoſque Regi adverſantes publi-

Legatus Papæ in Anglia coacto Concilio in omnes perduelles excommunicationis fert ſententiam.

Digitized by Google

cè innodavit: ibi etiam conceſſionem domini Papæ de decima Eccleſiæ Anglicanæ ſolvenda Regi per annum ſequentem proximo publicavit. Cuſtos GUIDONIS de Monteforti in caſtro Dovoriæ corruptus, ipſum poſt Paſcha liberum dimiſit, mare tranſiens cum eodem. Guido partes Tuſciæ adiens Comiti RUFO adhæſit, cujus cùm in militia famoſus eſſet in uxorem accepit filiam & heredem. SYMON verò frater ejus ſenior paullò antè tempore Quadrageſimali de carcere evadens transfugit in Gallias. Rex in ſingulis Comitatibus Capitaneum unum conſtituit, qui unà cum Vicecomite prædonum qui plurimùm abundabant violentias coërceret. In vigilia Pentecoſtes Robertus de Ferrariis Comes Derboiæ, apud opidum quod Ceſtrefelde dicitur captus eſt per milites Regios, ſociis quos ad prædandum acciverat per fugam diſperſis. Exheredatorum quidam inſulam de Haxeholm occupantes, per dominum EADMUNDUM fratrem Regis in brevi ad deditionem coguntur. Miles quidam in partibus Vuintoniæ Adam dictus, cognomento Gourdun, exheredatus cum ceteris qui Comiti Symoni adhæſerant, ad pacem Regis renuens venire juxta viam inter villam de Aultonia, & caſtrum de Fernham, quam tunc in valle promuntoria nemoroſa reddebant tortuoſam, ac per hoc prędonibus opportunam, cum ſuis reſedit patriam rapinis infeſtans, & præcipuè terras illorum qui parti Regiæ adhærebant. Cujus vires & probitatem ex fama cognitas cupiens Edvuardus experiri, cùm in manu forti ſuperveniſſet eidem ſe ad pugnam paranti, præcepit ſuis, ne quis inter eos impediret ſingulare certamen. Congreſſi itaque mutuos ictus ingeminant, paríque ſorte neutro cedente alteri, diutiùs dimicant. Delectatus tandem Edvuardus Militis virtute & animo, inter pugnandum conſuluit ei ut ſe redderet vitam pollicens & fortunam. Cui Miles adquieſcens, abjectis armis ſe ilico reddit, quem eâdem nocte Guldefordiam Edvuardus tranſmiſit, Reginæ matri cum recommendatione ſupplici præſentandum, quem

Digitized by Google

postea hereditati restitutum, Edwardus semper carum habuit atque fidum.

Eodem anno multi de exheredatis castrum de Kenilworthe ingressi victualibus munierunt, & armis, disponentes illud defendere contra Regem. Rex autem illuc properans, in crastino S. Johannis Baptistæ obsidionem posuit circa castrum. Qua durante Rex personas duodecim eligi fecit, quibus commisit ut providendæ paci Regis atque Regni, latam in exheredatos sententiam moderarentur, jurejurando spondens se eorum ordinationes per omnia servaturum. Convenientes igitur personæ electæ apud Covintreiam unanimi decreverunt assensu, ut exheredati pœnâ pecuniariâ suas hereditates redimerent ab his qui eas occupaverant dono Regis, ita tamen quòd hæc redemptio proventus hereditatum in septennium non excederet, nec unius anni provētibus minor esset; sed intra hos taxarent terminos secundum quantitatem delicti. Ab hac tamen redemptione filii Comitis Symonis, & Robertus Comes Derebeię, quorum exheredationem censuerunt fore perpetuam, excluduntur. Qui autem modo prætaxato multandi essent pecunia, si taxatam redemptionem solvere nequirent, terras suas in manibus possessorum relinquerent, quousque de earum fructibus redemptio levaretur. Castrum de Kenelworthe ante Natalem Domini Regi redditum est, penuriâ victualium compellente, vita & membris ac supellectili necessaria his qui tenuerant illud salvis.

Ordinationes pro his qui exhereditati fuerunt à Rege

Multitudo Saracenorũ per mare in Hispaniam veniens, Christianis intulit magnam plagam, quæ tamen postea non sine multa effusione sanguinis est devicta. CAROLUS Siciliæ Rex ante Beneventum prælio decertat cum Manfredo, & ipso cum plurimis aliis occiso, multis etiam captis, victoriam obtinet & triumphum. Mortuo Godefredo Archiepiscopo Eboracensi, translatus est per dominum Papam ad eamdem sedem Walterus Episcopus Bathonienſis: cui succeſſit Willelmus de Buctona Archidiaconus Wellensis.

Digitized by Google

An. Dom.	Pap.	Imp.	Regis Franc.	Regis Angl.
MCCLXVII.	CLEMENTIS IV. II.	VVIILLELMI XII.	LUDOVICI IX. XLI.	HENRICI III. LI.

Exheredatos rebelles debellat Rex Angl.

QUIDAM exheredatorum non ferentes ordinationem de redemptione hereditatum apud Kenilworthe factam, quorum Princeps & Capitaneus erat Johannes de Eyvilla, cùm cepissent civitatem Lincolnienſem & ſpoliaſſent Judaiſmum*, mediamnem* Elienſem occupant contra Regem. Quorum egreſſum & impetum Rex collecto exercitu cùm plurimum impediſſet; Edwardus filius Regis factis ex ratibus & tabulis pontibus in locis opportunis, prout eum incolæ regionis illius inſtruxerant, inſulam cum ſuis militibus eſt ingreſſus: cui quidam ſe dederunt, aliis fugiendo diſperſis.

Id eſt Synagogam loci *Inſulam.

Dum hæc aguntur, Comes Gloverniæ Regi infidus, peracto exercitu in Wallia, favorem exheredatorum Londonias adiit, & occurente ſibi Johanne de Eyvile cum magna manu complicium ſuorum, civitatem faventibus civibus occupavit: móxque Legato qui turrim pro hoſpitio habuit, mandavit Comes per nuntios, ut eam ſibi redderet indilatè, & ut hoc maturaret facere, ne quis in turri eidem manenti victualia venderet interdixit. Legatus diſſimulato negotio, à turri diſcedens, prædicaturus Crucem procedit ad Eccleſiam ſancti Pauli. Ceſſavit iſte tumultus poſt dies paucos. Comésque Regi reconciliatur per mediationem RICARDI Regis Romanorum, ac illuſtris Militis PHILLIPPI Baſſeth, poſitâ pœnâ decem millium marcarum, ſi Comes in poſterum tumultum aliquem commoveret. Circa feſtum S. Michaëlis Rex cum magno exercitu venit Salopiam in Walliam progreſſurus, ut Principem ejus LEWLINUM, qui partem Comitis Symonis in ſua præſumptione contra Regem faverat, debellaret. At ille miſſis ad Regem nuntiis, tri ginta millia librarum ſterlingorum pro pace habenda Regi conceſſit: Sícque interveniente Legato reſtituta eſt Principi terra quatuor Cantredorum, quam Rex abſtulerat ei jure belli. SOLDANUS Babyloniæ

Digitized by Google

vastatâ Armeniâ, Antiochiam unam de famosioribus civitatibus Orbis abstulit Christianis, & tam viris quàm mulieribus occisis & captis, in solitudinem ipsam redegit. Obiit Johannes Gervasi Wintonienſis Episcopus, & Viterbii sepelitur.

OTTOBONUS Legatus Londoniis convocans Concilium, multa statuit ad reformationem statûs Ecclesiæ Anglicanæ. Non multum verò pòst cruce signatis apud Northamtonam filiis Regis EDWARDO & EADMUNDO, ac Comite Gloverniæ, cum multis Nobilibus ad curiam est reversus. EDWARDUS S. LODOWICO Francorum Regi impignorat Vasconiam, accipiens ab eo pecuniam necessariam pro itinere Terræ sanctæ. Corpus beati EDWARDI Regis & Confessoris, instante Rege Angliæ, in feretrum aureum quod ei paraverat est translatum. JOHANNES de Warenna Comes Surreiæ & Susexiæ Alanum la Souche Regis Justitiarium, in aula Vuestmonasterii subortis inter eos verbis manu propriâ interfecit. CONRADINUS nepos Frederici olim Imperatoris ex filio Conrado, patruo suo Manfredo mortuo, aspirans ad Regnum Siciliæ auxilio Teutonicorum, adjunctis eis quamplurimis Lumbardis & Tuscis Romam usque pervenit: ubi cùm Imperiali more sollemniter fuisset receptus, associato sibi Senatore urbis HENRICO fratre Regis Castellæ, & Romanis quamplurimis, contra Regem Carolum in manu forti Apuliam intravit. Sed pòst durum campestre bellum, Conradinus cum suis terga vertentibus capitur, & cum multis de sanguine suo Nobilibus jussu Regis Caroli decollatur. Henricus autem frater Regis Castellæ de prælio ad castrum fugit Cassinum: qui postea Carolo redditus carceri mancipatur. CLEMENS Papa à præsenti sæculo migrans, Viterbii moritur, & ibidem in Fratrum Prædicatorum Eccle-

Concilium Londonienſe.

Clemens Papa piis & sanctis virtutibus ornatus obiit.

Digitized by Google

ſia tumulatur. Hic Papa ita vigiliis, jejuniis & orationibus, ac aliis operibus bonis erat intentus, quòd multas tribulationes quas tunc ſubſtinebat Eccleſia Deus ſuis meritis creditur exſtinxiſſe. Qui etiam cùm multi ſtatum Regis Caroli pro deſperato haberent propter multitudinem exercitus Conradini, tum propter totius pene Regni Siciliæ rebellionem, in publico ſermone ei eventura prædixit. Hic Papa Viterbii in Eccleſia Fratrum Prædicatorum canonizavit ſanctam EADWIGAM Duciſſam Poloniæ viduam ſanctitatis mirandæ. Defuncto Papa Clemente, vacavit ſedes annis tribus, menſibus duobus, diebus decem. Hoc anno Rex Angliæ in Octava ſancti Martini Parliamentum tenuit apud Marleberge, in quo de aſſenſu Comitum & Baronum edita ſunt ſtatuta, quæ de Marleberge vocantur. Nicolaus de Hely Wigornienſis, poſtulatus & tranſlatus eſt in Epiſcopum* Vuintonienſem.

Potiùs Epiſcopatum.

MCCLXIX. | VACATIONIS I. | VVILLELMI XIV. | LUDOVICI IX. XLIII. | HENRICI III. LIII.

Iterum S. Ludovicus Terram ſanctam petit.

SANCTUS LODOWICUS Francorum Rex, non territus præteritis laboribus & expenſis quas fecerat ultra mare, iteratò cum filiis ſuis adjuncto ſibi Rege Navarræ, & quamplurimis Eccleſiarum Prælatis & Baronibus, pro recuperatione Terræ ſanctæ iter aſſumpſit. Verùm ad hoc ut Terra ſancta faciliùs recuperaretur, incidit ipſis conſilium, ut Regnum Tunicii quod in medio conſiſtens non parvum dabat transfretantibus impedimentum, primitus Chriſtianorum ſubjicerent poteſtati. Applicantes igitur in Regno Tunicii portum, & Carthaginem ad parvum redactam opidum juxta Tunicium de facili occuparunt. Hoc anno ſexto Idus Aprilis Eadmundus filius Regis duxit uxorem filiam VUILLELMI de Alba Marla Comitis de Halderneſſe, nomine Avelianam, quæ heres erat paternæ hereditatis & etiam maternæ: ratione cujus Comitatum Devoniæ & Vectæ Inſulæ dominicum

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGL.

fuerat habiturus, sed cum tota prole mortem parentum prævenit. Obiit hoc anno Vualterius de Laville Saresberiensis Episcopus: succesitque ei Robertus de Vvichamtonæ, ejusdem Ecclesiæ Decanus.

MCCLXX.	VACATIONIS II.	VVILLELMI XV.	LUDOVICI IX. XLIV.	HENRICI III. LIV.

EDWARDUS filius Regis Angliæ, cum Eadmundo germano suo aliisque pluribus nobilibus iter peregrinationis in Terram sanctam arripuit mense Maio. Mense verò Augusto infirmitas quæ maximè illo tempore circa confinia maris viguit, in exercitu Christianorum nimis invaluit. Inter Majores primò moritur JOHANNES Comes Nivernensis, Regis Francorum filius, posteà Episcopus Albanensis, Cardinalis & Apostolicæ Sedis Legatus, postremò beatus LODOWICUS Rex Francorum Christianissimus, in crastino S. Bartholomæi Apostoli à regno temporali transiit ad æternum. Quàm feliciter autem Rex iste terminaverit vitam, Rex Navarræ domino Tusculano per litteras intimavit. Nam in infirmitate sua laudare nomen Domini non cessavit, illam orationem aliquotiens interserebat: *Fac nos, quæsumus Domine, prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare.* Orabat & pro populo quem secum adduxerat dicens: *Esto Domine plebi tuæ sanctificator & custos.* Et cùm appropinquaret ad finem, suspexit in cælum dicens: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine:* Et hæc dicens, obdormivit in Domino. Cui successit in Regno filius ejus Philippus.

Moriuntur Rex Franc. & alii exercitûs Christianorum.

Exercitu verò de morte Regis plurimùm desolato, supervenit CAROLUS Rex Siciliæ, quem Rex Francorum adhuc vivens fecerat accersiri. Et cùm multo plures viderentur Saraceni quàm Christiani, tamen nullatenus ausi sunt bello generali aggredi Christianos, sed per quasdam astutias multa eis incommoda inferebant. Inter alia enim cùm regio sit multùm fabulosa, & tempore siccitatis plurimùm pulverosa, statuerunt Saraceni

Digitized by Google

plura milia hominum ſuper montem unum Chriſtianis vicinum, & ut ventus flaret ad partem Chriſtianorum, ſabulum moventes pulverem ſuſcitarunt, qui multam moleſtiam intulit Chriſtianis. Sed tandem pulvere per pluviam ſedato, Chriſtiani paratis machinis & variis inſtrumentis, Tunicium per terram & per mare oppugnare diſponunt, quod videntes Saraceni pacta cum Chriſtianis inierunt, concedentes ut omnes Chriſtiani in regno illo captivi, liberi dimitterentur, & quòd conditis Monaſteriis ad honorem Chriſti in omnibus civitatibus regni illius, fides Chriſti per Fratres Prædicatores & Minores, & per alios quoſcumque liberè prædicetur, & volentes baptizari liberè baptizentur: Sícque ſolutis Regum expenſis, & Rege Tunicii Regi Siciliæ facto tributario, treugis annorum plurium conceſſis, reverſus eſt exercitus Chriſtianus.

Edvuardus progreditur in Terram ſanctam.

EDWARDus filius Regis Angliæ poſt tranſitum in Gallias, ad Aquas-mortuas perveniens, & ibidem navibus ſe committens, decem dierum navigatione Tunicium pervenit, ſalvúſque cum tota ſua applicuit comitiva. Ac inde Rege Siciliæ navigante illuc periclitantibus gravi tempeſtate navibus pluribus, ſubmerſóque theſauro de Tunicio allato, Edwardus licentiato conſanguineo ſuo HENRICO de Alemannia, volente redire in Angliam, vela ſua direxit in Achon, illúcque poſt quindenam Paſchæ pervenit: quò niſi adveniſſet, infra* quartum diem ab adventu ſuo fuiſſet, ut dicebatur, urbs reddita Saracenis. Quidam mercatores Veneti apud Edwardum accuſati, quòd Saracenis arma & victualia detuliſſent, compertâ veritate ſecundùm ſua demerita puniuntur. Soldanus Babyloniæ qui civitatem Achon cœperat oppugnare, cum exercitu ad propria revertitur ſpe fraudatus. Henricus filius Ricardi quondam Regis Romanorum tranſiens per Tuſciam, cùm apud Viterbium Miſſarum ſollemniis intereſſet, in Eccleſia ſancti Laurentii à Guidone de Monte-forti occiditur.

*Id eſt * intra*

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

tur. Bonifacius Archiepiſcopus Cantuarienſis migravit ad Dominum, cujus in ſucceſſorem Prior eligitur Monachorum.

MCCLXXI.	VACATIONIS. III.	VVILLELMI XVI.	PHILIPPI III. I.	HENRICI III. LV.

EDWARDO filio Regis Angliæ in Achon commorante, aſſacinus quidam qui ſæpiùs ad eum nuntius Admiralii Joppenſis venire conſueverat, fingens ſe velle ei quædam referre ſecreta, omnibus à camera excluſis, ipſum ad feneſtram quamdam appodiantem, ex improviſo cultello vulnerat venenato. Quem Edwardus pede percuſſum, & ad terram proſtratum extorto de manibus ejus cultello occidit. In extractione verò cultelli violentâ, ſeipſum in manu vulnerat & in fronte. Vulnera verò ejus graſſante veneno, multis & variis adhibitis remediis vix curantur.

MCCLXXII.	GREGORII X. I.	VVILLELMI XVII.	PHILIPPI III. II.	HENRICI III. LVI.

THEOBALDUS Placentinus, Laudienſis Archidiaconus, qui devotionis causâ cum domino Edwardo tranſierat in Achon, in Papam eligitur, & GREGORIUS decimus appellatur. Hic in Achon decretum electionis ſuæ per Fratres Prædicatores & Minores ad hoc ſpecialiter miſſos recipiens, Viterbium, ubi exſpectabant eum Cardinales, cum celeritate acceſſit. Fecit autem unam ordinationem quinque Epiſcoporum Cardinalium plurimùm laudabilem; quia honeſtas & valentes perſonas aſſumpſit. Hic autem quaſſato Electo Cantuarienſi, Pontificatum ejuſdem Eccleſiæ contulit Fratri ROBERTO Kilewardeby, qui eodem anno à Prioratu provinciali Fratrum ſuorum quem undecim annis geſſerat abſolutus fuerat, & etiam ad idem officium reelectus. Qui non tantummodò religioſæ vitæ ſanctitate, ſed

Gregorius Papa X. eligitur.

Digitized by Google

ſcientiâ atque doctrinâ habebatur præclarus. Nempe ante Ordinis ingreſſum Pariſius rexerat in Artibus, cujus in his peritiam præcipuè quoad Grammaticam & Logicam redacta in ſcriptis edocent monumenta. Poſt Ordinis verò ingreſſum ſtudioſus in divinis Scripturis, originalibúſque ſanctorum Patrum, libros Auguſtini ferè omnes, aliorúmque Doctorum plurium per parva diſtinxit capitula, ſententiam ſingulorum ſub brevibus annotando. Exſtant Tractatus ejus de tempore, de univerſali, de relatione, & de ortu ſcientiarum curioſus utiliſque libellus. Conceſſit autem ei dominus Papa ut munus conſecrationis recipere poſſet à quocumque Epiſcopo Catholico, quem ad hoc duxerit eligendum. Elegit autem Willelmum Bathonienſem, qui famâ ſanctitatis inter ceteros plurimùm efflorebat: à quo præſentibus undecim Suffraganeis Dominica prima Quadrageſimæ Cantuariæ conſecratur.

RICARDUS Rex Romanorum frater Regis Angliæ, quarto Nonas Aprilis apud caſtrum de Berkhamſtede viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, cujus cor in Eccleſia Fratrum Minorum Oxoniæ, corpus verò in Eccleſia Monachorum Ordinis Ciſtercienſis de Hayles, quam ipſe impenſis propriis conſtruxit, ſepelitur. Eodem anno menſe Auguſti Cives Norvuicenſes Prioratum Monachorum invadentes, combuſſerumt Eccleſiam Cathedralem: ſuper qua re indignatus admodum Rex HENRICUS, ad vindictam malefactorum miſit illuc Juſtitiarium militem quemdam THOMAM Treveth dictum, qui & Juſtitiarius itineris fuerat de corona, cujus filius erat qui Chronicam iſtam ſcripſit: Urgente autem mandato regio horroréque facinoris, magna multitudo civium convicta de ſcelere tanto, ad caudas equorum tracti ſuſpendio perimuntur.

Pater ſcriptoris hujuſce Chronici.

HENRICUS Anglorum Rex menſe Novembri infirmitate correptus, in die ſancti Eadmundi Epiſcopi & Con-

Rex Angliæ obiit

fessoris in Domino obdormivit. In die verò beati Eadmundi Regis & Martyris apud Westmonasterium traditur sepulturæ. Iste Rex quantum in sæculi actibus putatur minùs prudens, tanto majori devotione apud Deum pollebat. Singulis namque diebus tres Missas cum nota audire solebat, & plures audire cupiens, privatim celebrantibus assistebat assiduè. Contigit autem aliquando sanctum Lodowicum Francorum Regem cum eo super hoc conferentem dicere, quòd non semper Missis, sed frequentiùs sermonibus audiendis esset vacandum. Cui facetâ urbanitate respondens ait: Se malle sæpiùs amicum suum videre, quàm de eo loquentem licet bona dicentem audire. Erat autem staturæ mediocris, compacti corporis, alterius oculi palbebrâ demissiore, ita ut partem nigredinis pupillæ celaret, robustus viribus, sed præceps in factis, in quibus tamen quia fortunatos & felices exitus habuerit, putant eum multi apud Merlinum fatidicum per lyncem designatum omnia penetrantem.

Pie vixit.

Ejus corporis & animi dotes.

Expliciunt gesta HENRICI III. *Regis Anglorum.*

Digitized by Google

INCIPIUNT GESTA TEMPORUM EDWARDI REGIS ANGLORUM, FILII HENRICI III.

Qui fuit quintus eorum Regum, qui à Comitibus Andegavenſibus duxerunt originem ſecundùm lineam maſculinam.

Edvuardi Regis prudentia & fortitudo in rebus gerendis.

EDWARDUS Rex Anglorum, Henrici ex Alianora filia Comitis Provinciæ primogenitus, ætatis ſuæ triginta tres annos & quinque menſes impleverat, die quo patri ſuo defuncto in Regno fuerat ſucceſſurus. Fuit autem vir expertæ prudentiæ in negotiis gerendis, ab adoleſcentia armorum exercitio deditus, quo in diverſis regionibus etiam famam militiæ adquiſierat, quâ totius orbis Chriſtiani ſui temporis Principes ſingulariter tranſſcendebat. Elegantis erat formæ: ſtaturæ proceræ, quâ ab humero & ſupra communi populo præeminebat, cæſaries in adoleſcentia à colore pæne argenteo vergens in flavum, in juventute verò declinans in nigredinem, ſenectutem in cygneam verſa canitiem venuſtabat, frons lata ceteráque facies pariliter diſpoſita, eo excepto quòd ſiniſtri oculi palbebra demiſſior paterni adſpectus ſimilitudinem exprimebat, lingua blæſa, cui tamen efficax facundia ad perſuadendum in rebus non perorandis. Brachiorum ad proportionem corporis flexibilis productio, quibus vivacitate nervica nulla erant ad uſum gladii aptiora: pectus ventri præeminebat tibiarúmque longa diviſio equorum nobilium curſu & ſaltu ſeſſoris firmitatem prohibuit infirmari.

Corporis forma.

Digitized by Google

Cùm vacaret ab armis, venationibus tam avium quàm ferarum indulgebat, & maximè cervorum quos in equis curſibus inſequi ſolebat, gladióque vice venabuli confodere apprehenſos. Quem commorari in protectione Dei altiſſimi notiſſimum eſſe poterit, non modò quòd adoleſcens cum milite quodam in camera teſtudinata ludo ſcaccarii occupatus, ſubitò nullâ occaſione præſtitâ inter ludendum ſurgens diſceſſerat, lapíſque immenſæ ingentitudinis qui ſedentem conquaſſaſſet, in eodem loco occiderit *, ſed variorum periculorum, quæ multotiens incurrit, (ut in ſequentibus notare poterit diligens Lector) exitu fortunato. Inerat ei animus magnificus injuriarum impatiens, periculorum obliviſci cogens dum vindicari cuperet, qui tamen facilè humilitate exhibitâ potuit emolliri. Cùm enim tempore quodam juxta quamdam ripariam falconum aucupio ſe exerceret, unum de comitibus ſuis ex altera parte fluvii negligentiùs ſe habentem circa falconem qui anatem inter ſalices corripuerat arguit, & argutioni minùs ut videbatur obedienti minas adjecit. At ille attendens nec pontem, nec vadum conſiſtere in propinquo, facilitate quadam reſpondit ſibi ſufficere, quòd eos ab invicem fluvius dividebat: quo exaſperatus filius Regis, aquam ignotæ profunditatis ingreſſus equo natante tranſivit, & crepidinem alvei fluminis decurſu cavatam cum difficultate adſcendens, gladio extracto inſequitur jam equo conſcenſo alterum fugientem, qui tandem per fugam evadere deſperans, regirato equo nudatóque capite collum protendens, Edwardi ſe obtulit voluntati. Quo facto ab impetu ſuo fractus filius Regis gladium repoſuit in vaginam, reverſíque inde pacificè falconis relicti curam egerunt.

Exercitia.

*Id eſt * occiderit.*

Virtutes.

Hic tempore quo pater defunctus eſt, in Terra ſancta commorans, obſequio Crucis inſiſtebat, abſénſque Regni adminiſtrationem exſequi non valebat, propter quod die proximo poſt patris ejus ſepulturam frater

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGL.

ROBERTUS Cantuarienſis Præſul, & GILBERTUS Glovernenſis Comes cùm aliis Prælatis ac regni Proceribus Londonias apud novum Templum convenientes, Edwardum abſentem dominum ſuum ligium recognoverunt, paterníque ſucceſſorem honoris, ordinaverúntque de aſſenſu Reginæ matris cuſtodes Regni, Miniſtróſque fideles qui regio fiſco præeſſent, & proventus regni ad opus Regis novi ex integro reſervarent, cujus pacem jam ubique fecerunt per Angliam proclamari. Eodem anno Eadmundus filius Regis, Comes Lancaſtriæ de Terra ſancta advenit in Angliam.

MCCLXXIII.	GREGORII X. I.	RADULFI I.	PHILIPPI III. III.	EDVVARDI III. I.

PRINCIPES Teutoniæ convenientes in unum RADULFUM Comitem Rufum elegerunt in Imperatorem Romanorum, qui anno eodem in Regem Alemanniæ ſollemniter coronatur. EDWARDUS in Achon Chriſtianorum & Tartarorum auxilio diutiùs fruſtra exſpectato, relictis ad terræ defenſionem ſtipendariis nonnullis, naves repatriaturus ingrediens, curſu velivolo Siciliam uſque pervenit, ubi à Rege Carolo honorificè ſuſceptus, cùm per dies aliquos recreandi gratiâ ſe & ſuos remaniſſet, rumores primò de morte ſui filii Henrici, ac poſtmodùm de morte patris accepit. Qui dum mortem patris anxiùs quàm filii plangeret, à Rege Carolo vice cõſolatoris aſſiſtente plurimúmque mirante ſuper hoc requiſitus, dicitur reſpondiſſe jacturam filiorum facilem, cum cotidie multiplicentur, irremediabilem verò eſſet parentum mortem qui nequeunt reſtaurari. Denique diſcedentem conduci fecit per Carolum filium ſuum uſque ad ultimos terminos Regni ſui. Cùm autem ad Urbem-Veterem ubi Papa cum ſua Curia reſidebat, adveniſſet, occurrentibus ei Cardinallibus omnibus cum honore maximo, ad domini Papæ præſentiam eſt deductus. Cui ſuper morte conſanguinei ſui HENRICI de Alemannia, anxiam depoſuit

Edvuardus Rex in Angliam redit

Filium Regis Anglorum aſſumit.

Digitized by Google

querimoniam, quem non modò in offensam juris humani, à Guidone de Monte-forti dum Missarum sollemniis assisteret, constabat interfectum, sed in contemptum Ecclesiæ & scandalum nominis Christiani. Papa igitur his commotus, Guidonem excommunicavit, omnésque eum receptantes, & quousque Ecclesiæ satisfieret, terras eorum suppositi interdicto.

Discedens denique Rex Edwardus à Curia per civitates Italiæ progreditur, ubique receptus à civibus cum gaudio maximo & honore. Ingressuro autem Sabaudiam Prælati ac Proceres Angliæ quamplurimi in descensu montium occurrerunt. Transitâ verò Sabaudiâ ad ludum militarem qui vulgò Torniamentum dicitur, per Kabillonensem Comitem invitatur. Optabat ille Comes cum multis aliis militiam Edwardi opere experiri, cujus jam fama repleverat orbem totum. Quorum votis condescendens Edwardus, se cum militibus suis licet longâ peregrinatione vexatis partem tenere velle contra Comitem & suos proclamari fecit ac quoscumque alios milites adventantes. Die itaque statuto congrediuntur partes, gladiísque in alterutrum ingeminantes ictus, vires suas exercent. Comes verò cuneum Edwardi penetrans, cum ipso cominùs congreditur, cui tandem abjecto gladio approprians, collum Edwardi brachio circumduxit, & tota fortitudine adstringens ab equo detrahere conabatur. Sed Edwardus inflexibiliter se tenens erectum, dum Comitem sibi sensit firmiùs adhærentem, equum urgendo calcaribus, Comitem à sella abstraxit, quem ad collum suum pendentem fortiùs à se excutiens, in terram dejecit. Commoventur exinde Burgundiones in iram (jámque exercitium armorum in hostilem insultum, cœptúsque ludus bellicum vertitur in tumultum) quorum, adversâ parte ut vices rependant fortiùs insistente, frangitur impetus, cæsíque cedunt. Posthæc paulùm refocillatus Comes secundò aggreditur, cujus super se manum sentiens aggravari se dedit eidem, sícque pe-

Experimentum dat Edvuardus suæ in armis industr æ ac fortitudinis.

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

regrinis conceſsâ victoriâ, partes ambæ in urbem pacificè revertuntur. Venit deinde Rex EDWARDUS in Franciam, & à PHILIPPO Rege ſuſceptus magnificè, homagium fecit ei pro terris ſuis quas de eo tenebat, ſub conditione reſtitutionis terrarum, patri ſuo in venditione Normanniæ promiſſarum. Poſt hæc in Vaſconiam proficiſcitur, ad compeſcendum quos in eadem GASTO de Bierna miles nobilis & ſtrenuus, ſed à fide domini ſui Edwardi deficiens, concitaverat novos motus, cujus terras Edwardus cum exercitu potenter ingreſſus, ipſum egit in fugam, & in quodam caſtro forti ac munito obſedit.

MCCLXXIV.	GREGORII X.	RADULFI	PHILIPPI III.	EDVVARDI III.
	II.	II.	IV.	II.

Lugdun. Concilium generale.

KALENDAS Maii apud Lugdunum ſub Papa Gregorio decimo generale celebratur Concilium, ad quod Græci & Tartari ſollemnes Nuntios tranſmiſerunt. Græci ad unitatem Eccleſiæ ſe redire ſpondebant: in cujus evidens ſignum, cùm cantaretur Symbolum, hortante domino Papâ trinâ vice Nuntii eorum, *Et in Spiritum ſanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre Filióque procedit* replicaverunt celebriter & devotè. Nuntii verò Tartarorum infra Concilium baptizati ad propria redierunt. Fuit autem Prælatorum numerus qui huic Concilio interfuerunt Epiſcopi quingenti, Abbates ſexaginta: Prælati verò alii circa mille. In hac ſacra Synodo inter alia quidam Ordines Mendicantium, qui poſt confirmationem Ordinum Prædicatorum & Minorum exorti ſunt, caſſantur Concilio approbante: prohibiti ſunt etiam bigami primam tonſuram deferre.

Quæ in hoc acta ſunt.

Numerus Prælatorum.

S. Thomæ Aquinat. obitus.

In via verſus iſtud Concilium venerabilis Doctor Frater THOMAS de Aquino, de Ordine Prædicatorum, in quadam Abbatia Monachorum Ciſtercienſium, quæ dicitur Foſſa-nova, diem clauſit extremum, cujus acutiſſimum ingenium, excellentémque ſcientiam laudibus extollere privatis ſupervacuum judicamus, cùm ſapientiæ ejus

Digitized by Google

ejus tam publica sint monumenta, ut Doctor communiter à viris Scholasticis nuncupetur. Hic natione Apulus, filius Comitis de Aquino, invitis parentibus, qui eum monachari nolebant, Prædicatorum Ordinem est ingressus, in quo tantùm profecit, ut missus ad Parisiense Studium Doctoris fungeretur officio, quo inter alios velut luna plena inter stellas clariùs noscitur effulsisse; qui non tantùm verbo præsentes, sed etiam absentes scriptis laboriosè & perutiliter editis studuit informare. In primis namque super libros Sententiarum quatuor scriptum fecit; scripsit & primam partem de quæstionibus disputatis de veritate & ultra, quas Parisius disputavit. Item secundam partem de quæstionibus disputatis de populo Dei & ultra, quas in Italia disputavit. Item & tertiam partem de Quæstionibus disputatis, quarum initium est de virtutibus, quas disputavit cùm secundò Parisius legeret. Item disputationes undecim de quolibet, quarum sex Parisius, & quinque determinavit in Italia. Item contra Gentiles quatuor libros scripsit. Item Summam Theologiæ quam in tres partes divisit, & secundam in duas partes. Morte autem præventus tertiam totius & ultimam non complevit. Quatuor Evangelia continuata expositione de dictis Sanctorum glossavit: litteralis etiam expositionis in Job edidit librum unum, super Epistolam verò ad Romanos, & super decem Capitula Epistolæ ad Corinthios. Item super Isayam, Jeremiam & Threnos postillas conscripsit. Libros Dionysii de divinis nominibus, & Boëtii de hebdomadibus exposuit; sed super librum ejusdem de Trinitate expositionem inchoatam nequaquam perfecit. Exposuit etiam libros Philosophiæ plurimos, putà Physicorum libros octo completè, cæli & mundi primum, secundum & tertium meteororum, primum & secundum de anima, secundum & tertium de generatione & corruptione, libros duos de sensu & sensato, de memoria & reminiscentia. Ethicorum libros, decem Metaphysicæ, duos libros Posteriorum, & primum Periermenias, princi-

Virtutes.

Doctrina.

Operum catalogus.

Digitized by Google

piúmque ſecundi edidit, & tractatus diverſos, putà de fide, ſpe & caritate ad fratrem Reginaldum ſocium ſuum. Item ad eumdem de Subſtantiis ſeparatis. Item contra Magiſtrum Wuillelmum de Sancto Amore, & impugnantes religionem tempore Alexandri Papæ. Item de occultis operibus naturæ. Item in quibus licitè poteſt homo uti aſtrorum judiciis. Item de principiis naturæ ad Fratrem Silveſtrum. Item de Regno ad Regem Cypri. Item de rationibus fidei ad Cantorem Antiochenum. Item de perfectione vitæ ſpiritualis contra Magiſtrum Geroldum. Item contra doctrinam Geroldinorum & Retrahentium à Religione. Item de ſortibus ad dominum Jacobum de Bonoſo. Item de forma abſolutionis ſacramentali ad Magiſtrum Ordinis. Item ad Urbanum Papam contra errores Græcorum. Item declarationem triginta ſex quæſtionum ad Lectorem Venetorum. Item declarationem quatuor quæſtionum ad Magiſtrum Ordinis. Item declarationum ſex ad Lectorem Biſuntinum. Item de ente & eſſentia ad Fratres & ſocios ſuos. Item de mixtione elementorum. Item de motu cordis ad Magiſtrum Philippum de Caſtro cæli. Item de unitate intellectus contra Averroiſtas. Item de æternitate mundi contra murmurantes expoſuit, & primam decretalem de fide catholica, & ſecundam *Damnamus**, ad inſtantiam Archidiaconi Tridentini. Fecit & tractatum de articulis fidei, & de ſacramentis Eccleſiæ ad Archiepiſcopum Panormitanum.

* *Sic incipit Decretalis cap. 2.*

Alia quidem inveniuntur ſibi attributa, quæ tamen ipſe non ſcripſit, ſed poſt eum legentem vel prædicantem ab aliis ſunt collecta, ut putà Lectura ſuper epiſtolam ad Corinthios, ab undecimo Capitulo uſque ad finem, & Expoſitio ſuper primum de anima, quas frater Reginaldus ejuſdem ſocius recollegit. Iterum Lectura ſuper Joannem & ſuper tertium Nocturnum Pſalterii, Collationes de Oratione Dominica & Symbolo. Item Collationes Dominicales & feſtivæ. Item Collationes de decem Præceptis, quas collegit Frater Petrus de Adria. Item Le-

S. Thomæ opera falsò attributa.

Digitized by Google

ctura ſuper Matthæum completa, quam partim idem Frater, partim Sæcularis quidam recollegit ejus ſtudio delectatus.

Tanto autem doctrinæ jubare mundum orbatum quantùm Univerſitas Pariſienſis planxerit, manifeſtant ejuſdem litteræ ad Fratrum Prædicatorum Capitulum generale, & ad Monachos inter quos ſepultus eſt directæ, quibus oſſa ejus ut inter Doctores humarentur Pariſius inſtantiùs poſtulavit. Sanctitati verò ipſius ac vitæ meritis atteſtantur miracula, quæ poſt ejus tranſitum, & in vita ipſius per eum plurima contigerunt. Nocte verò ipſa qua de hoc mundo tranſiit, apparuit in ſomnis germano ſuo Comiti de Aquino in habitu Ordinis ſui, tradens eidem in manu litteram quamdam clauſam, qui citò poſt excitatus, cùm ſe ſentiret litteram habere in manibus, camerarium ſuum advocavit, juſſitque ſibi lumen celeriter apportari, quo allato litteram aperiens, invenit ei aureis apicibus omne humanum artificium ſua formoſitate excedentibus hoc inſcriptum: *Hodie factus ſum Doctor in Ieruſalem.* Conſervatâ itaque litterâ, per nuntios ad inquirendum de ſtatu fratris THOMÆ miſſos, ipſum eâdem nocte qua ſibi apparuit, comperit ex hac luce migraſſe.

Miraculis Deus ſanctitatem illius declaravit.

Eodem anno PHILIPPUS Francorum Rex defunctâ primâ uxore filia Regis Arragonum, ſecundam accepit MARIAM nomine ſororem Ducis Brabantiæ. HENRICUS Rex Navarrorum moritur, unica filia relicta herede, cujus uxor Regina poſteà nupſit EADMUNDO germano Regis Angliæ, qui de ea tres filios procreavit, primogenitum THOMAM Lancaſtriæ Comitem, ſecundum HENRICUM de Lancaſtria dominum Monemuthæ, tertium JOHANNEM qui cum ſorore in Galliis morabatur. GASTO de Bierna à Rege Anglorum obſeſſus, cùm jam viâ evadendi ſibi præclusâ attenderet rem eſſe in foribus, ut ad deditionem cogeretur, ſuper negotio quod inter Regem EDWARDUM & ipſum vertebatur appellationem interpoſuit ad

Digitized by Google

Rex Franciæ arbiter inter Regem Angliæ & Gastonem de Bierna.

Curiam Regis Francorum: cui deferens Rex Edwardus, nolens Regem Francorum quem nuper dominum suum pro terris suis in Francia recognoverat, contra se partem facere, dissentientibus multis de suis obsidionem amoveri jussit, Ministris suis committens, ut in Curia Regis Francorum causam prosequerentur contra Gastonem: in qua tandem injuriosæ rebellionis convictus, per Regem Francorum Regis Angliæ addicitur voluntati.

Edwardus Rex postquàm obsidionem dimiserat, ordinatis pro articulo temporis rebus Vasconię in Angliam properavit, ubi à Clero & populo cum gaudio receptus maximo & honore, Dominicâ infra Assumptionem Virginis gloriosæ in Ecclesia Westmonasterii unà cum Alianora consorte sua, à fratre suo Roberto Cantuarienſi Archiepiscopo inungitur in Regem, & sollemniter coronatur. Coronationis sollemnitati interfuerunt Regina mater, Alexander Scotorum Rex, Dúxque Britanniæ, ambo Regis fororii, cum Prælatorum, Comitum & Baronum, aliorúmque Nobilium multitudine copiosa. Triceſimi sexti tunc ętatis suę anni Rex impleverat duos menses, qui in crastino coronationis suæ recepto à Rege Scotorum homagio, ipsum dimisit ad propria plurimùm honoratum. Walterus de Mertona quondam Henrici Cancellarius, hoc anno Episcopus fit Roffensis.

Edwardus Rex Angliæ consecratur.

Gasto de Bierna in Angliam veniens, cum reste circa collum ad Regis præsentiam est eductus, quem ad suam Rex misericordiam recipiens, morte condonata, in castro Wintoniæ per annos aliquot custodiæ mancipavit, qui tandem per Regis gratiam liber ad propria dimissus, Regi Angliæ semper in posterum gratus extitit & fidelis. Rex Principem Valliæ qui coronationi suæ licet invitatus noluit interesse, vocari fecit pro homagio sibi debito faciendo: qui fingens se non ausum

Digitized by Google

Angliam intrare, quibuſdam Majoribus ſibi inſidiantibus, pro ſecuritate ſua filium Regis & GILBERTUM Gloverniæ Comitem, ac ROBERTUM Burnelli Regis Cancellarium obſides poſtulavit. Quod Rex indignè ferens, diſſimulato negotio Londonias Parliamentum convocat, in quo inter alia multa quæ ad utilitatem Regni de aſſenſu Prælatorum, Comitum & Baronum ſtatuta ſunt, inhibitum eſt ne de cetero poſſeſſiones terrarum ſeu redituum, ſine ſpeciali Regis licentia ad manum mortuam devolvantur. Vocantur autem ſtatuta in hoc Parliamento edita ſtatuta Weſtmonaſterii prima. Poſt Parliamentum Rex ut Principi liberior ad ſe pateret acceſſus, Ceſtriam uſque quæ in confinio Walliæ ſita eſt progreditur, miſsíſque iterum Nuntiis homagium ab eo exegit: quo Regis mandatis parere detrectante, Rex exercitum convocat, diſponens denegantem ſibi homagium de ſuo feodo Principem expugnare.

Statuta condit Rex Angl.

Eodem anno in partibus auſtralibus Angliæ & occidentalibus terræ motus horibilis contigit, feriâ quartâ infrà octavam Nativitatis Virginis glorioſæ. Peſtilentialis etiam ægritudo oves conſumens ſcabie tunc incepit. Obiit hoc anno Johannes Brutoun Herfordenſis Epiſcopus, qui admodum peritus in juribus Anglicanis, librum de eis conſcripſit perutilem. Cui ſucceſſit Magiſter Thomas de Cantilupo, Doctor in ſacra Theologia, vir nobilisgenere, ſed multo nobilior moribus animíque virtute. Solvit hoc anno populus Regi quintam decimam partem bonorum, quæ patri ſuo dicebatur conceſſa.

Johannes Herford. Epiſc. librum de juribus Angl. edidit.

MCCLXXVI. | GREGORII X. IV. | RADULFI IV. | PHILIPPI III. VI. | EDVVARDI III IV.

COMITISSA Leiceſtriæ quæ marito occiſo, cum ſuis in Galliam fugerat, & in domo Sororum de Ordine Prædicatorum apud Montargis à ſorore viri ſui fundata morabatur, filiam ſuam tranſmiſit in Walliam Principi, ſicut patre puellæ vivente ſub certis pactis conventum

Digitized by Google

fuerat, maritandam. Ducem verò itineris ac procuratorem negotii AIMERICUM filium ſuum, germanum puellę, conſtituit, aſſignatâ eiſdem comitivâ honeſtâ, qui ſuſpectum habentes iter per Angliam, à litore Gallico navigantes, emenſo multo maris ſpatio ad inſulas Sillinas, quæ terminos Cornubiæ è vicino reſpiciunt devehuntur, ubi à quatuor navibus Briſtollenſibus ex inſperato ſupervenientibus comprehenſi, ad præſentiam Regis Angliæ deducuntur, qui retentâ puellâ honorificè in comitivâ Reginæ, Aymericum fratrem ſuum primò in caſtro de Corf, & poſteà in caſtro de Schirebourne ſub cuſtodia libera detinuit, ſed ſecura.

Mortuo Gregorio Papa ſuccedit Innocentius V.

GREGORIUS Papa apud Aretium defunctus, ibidem traditur ſepulturæ: ſuccedit INNOCENTIUS quintus, natione Burgundus de Tarentaſia, dictus antea Frater Petrus in Ordine Prædicatorum, ſtudio Scripturarum deditus, ac Doctor Theologiæ Pariſius factus, ſapientiæ ſuæ memoriam multa ſcribendo utilia poſteris dereliquit. Scriptum enim compendioſum ſuper libros quatuor Sententiarum edidit, & ſuper Epiſtolas Pauli poſtillas optimas, Decretáque abbreviatione perutili & fideli in ſummam parvulam cöartavit. Qui cùm eſſet vir religioſus eximiæ expertæque prudentiæ, primò Prior provincialis Fratrum ſuorum in Francia, deinde Epiſcopus efficitur Lugdunenſis, demúmque à Papa Gregorio ad Cardinalatum aſſumptus, conſtitutus eſt Epiſcopus Oſtienſis. Factus autem Papa, ſedit menſibus quinque diebus duobus, moritúrque Romæ, & in Lateranenſi Eccleſia ſepelitur. Cui eodem anno ſucceſſit ADRIANUS quintus natione Januenſis, dictus antea Ottobonus, qui tituli ſancti Adriani Diaconus Cardinalis, à Papa Clemente quarto Legatus in Angliam miſſus fuit. Hic Papa factus, ſtatim conſtitutionem quam Papa Gregorius decimus fecerat, de incluſione Cardinalium pro electione Summi Pontificis ſuſpendit, proponens eam aliter ordinare; ſed morte præventus, conſtitutio-

Cui Adrianus V. ſubrogatur, ſed mox obiit.

Digitized by Google

nem sic suspensam reliquit. Mortuus verò ante tempus ordinum, sacerdotium & consecrationem pontificalem est minimè assecutus, unde in bulla sua non Episcopum, sed electum Episcopum se vocavit. Adriano defuncto successit JOHANNES vicesimus primus, dictus Petrus Hispanus. Hic Episcopus Tusculanus erat antequàm Papa fuerit in scientiis diversis famosus: sed scientiarum florem, pontificalémque dignitatem quadam morum stoliditate deformavit, adeò ut naturali pro parte carere videretur industriâ. In hoc tamen quam plurimùm laudabilis fuit, quòd se tam pauperibus quàm divitibus communem exhibens, studiúmque literarum amplectens, multos in beneficiis Ecclesiasticis promovit egentes. Johannes XXI. Papa electus.

Rex Angliæ de Cestria in Walliam progrediens, cepit castrum quod dicitur Rodelanum, misítque in Walliam occidentalem Militem nobilem Paganum de Camurcis, qui cuncta cæde incendióque vastavit. Hoc anno Johannes de Derlingtonia Ordinis Prædicatorum, Confessor quondam Regis Henrici, auctoritate Papali in regno Angliæ collector efficitur decimarum: Cujus studio & industriâ editæ sunt concordantiæ magnæ, quæ Anglicanæ vocantur. Hoc anno sexto decimo Calendas Julii venerabile corpus beati Ricardi Ciceſtrensis Episcopi translatum est, & in capsa argentea deaurata honorificè collocatum.

MCCLXXVII. | JOHANNIS XXI. I. | RADULFI IV. | PHILIPPI III. VII. | EDVVARDI III. V.

JOHANNES Papa vicesimus primus, cùm sibi vitæ spatium in annos plurimos extendi crederet, & hoc etiam coram aliis assereret, subitò cum camera nova quam sibi Viterbii circa palatium construxerat, solus corruit, & inter lapides & ligna collisus sexto die post casum Sacramentis omnibus Ecclesiasticis perceptis moritur, & ibidem in Ecclesia sancti Laurentii sepelitur. Succedit Nicolaus tertius, priùs dictus Johannes Cajetanus Nicolaus Papa III. Johanni sufficitur.

Digitized by Google

de genere Urſinorum. Hic ſuper regulam S. Franciſci expoſitionem quamdam edidit, quam inter alias Decretales de verborum ſignificationibus inſeri ordinavit.

Pacem Princeps Vualliæ à Rege petit & obtinet.

Gallenſes Occidentales ad pacem Regis Angliæ venientes, Pagano militiæ Regis in partibus illis Capitaneo, caſtrum Deſtredewi cum adjacenti patria reddiderunt. Princeps etiam Walliæ videns ſe Regi Angliæ cotidie invaleſcenti non poſſe reſiſtere, pacem petiit & obtinuit ſub hac forma: videlicet quòd omnes captivi quos hactenus ratione Regis Angliæ detinuit in vinculis, ſimpliciter & ſine omni calumnia liberarentur. Item pro pace & benivolentia Regis habenda daret quinquaginta millia librarum ſterelingorum, quorum tamen ſolutio in voluntate & gratia Regis foret. Item quòd terra quatuor cantredorum ſine omni contradictione Regi Angliæ & ſuis heredibus, cum omnibus terris conquiſitis per Regem hominéſque Regios, excepta Inſula Angleſia, in perpetuum remaneret. Inſula enim Angleſia conceſſa eſt Principi ita quòd ſolvat pro ea ſingulis annis mille marcas, quarum ſolutio incipienda erat in feſto ſancti Michaëlis proximo tunc inſtantis: pro ingreſſu verò quinque millia marcarum daret. Et ſi Princeps ſine herede de corpore ſuo moreretur, Inſula illa in Regis Angliæ poſſeſſionem rediret. Item quòd Princeps veniret in Natali Domini in Angliam ad Regem, pro homagio faciendo. Item quòd omnia Homagia Walliæ remanerent Regi, præterquàm Baronum, qui in confinio Suowdoniæ morabantur. Se enim Principem convenienter vocare non poſſet, niſi ſub ſe aliquos Barones haberet. Item quòd nomen Principis tantùm haberet ad vitam ſuam, & poſt mortem ejus quinque prædictorum Baronum homagia Regi Angliæ fierent & ſuis heredibus in æternum. Pro aſſecuratione iſtorum tradidit Princeps decem obſides de melioribus Walliæ abſque incarceratione, exheredatione & termino liberationis, & de omni Cantredo & de Suowdonia, & de conſilio Principis

Pacis conditiones.

Digitized by Google

cipis viginti meliores jurabunt tactis sacrosanctis reliquiis, quòd quandocumque Princeps aliquem prædictorum articulorum infregerit, nisi admonitus se correxerit, abalienabunt se ab eo, & eidem in omnibus quæ poterunt hostes fient.

Item præter hæc, Princeps fratres suos quos læsit placabit. Habuit enim tres fratres, quorum OWENUM & RODERICUM posuerat in carcere. Tertius verò DAVID fugâ dilapsus multis annis cùm Rege Angliæ stetit, à quo contra morem gentis suæ Miles factus in ista guerra, ob probitatem & fidelitatem plurimùm erat Regi acceptus, unde & eidem castrum de Dimbey contulit in Wallia cum terris ad valorem mille librarum annui reditûs: insuper & uxorem dedit filiam Comitis Derbeiæ, quæ nuper alio viro fuerat viduata. Owenus ergo favore Regio liberatur à carcere, quem paulò antè fregerat Rodericus, fratrémque fugiens in Anglia morabatur. Rex autem in occidentali Wallia apud Lampadredevau, ad cohibendum irruptiones Wallensium castrum ædificavit insigne: In subsidium hujus guerræ concessa est Regi à populo vicesima pars bonorum.

MCCLXXVIII. | NICOLAI III. I. | RADULFI V. | PHILIPPI III. VIII. | EDVVARDI III. VI.

FRATER ROBERTUS Cantuarienfis Archiepiscopus ad Cardinalatum assumptus, factus est Episcopus Portuensis. Rex Angliæ filiam Comitis Leicestriæ apud Insulas Sillivas captam Principi Vvalliæ uxorem dedit, nuptiarum sollemnitatem impensis propriis agens, suáque ac Reginæ præsentiâ illas honorans. Hoc anno Judæi pro tonsura monetæ in magna multitudine ubique per Angliam suspenduntur. Rex parliamentum tenuit Gloverniæ in octava S. Johannis Baptistæ, in quo edita sunt statuta, quæ de Glovernia appellantur. Citò verò pòst in Gallias transiens, restitutionem aliquarum terrarum obtinuit, non tamen omnium quę in venditione Nor-

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

manniæ promissæ fuerat patri suo. Obiit hoc anno Regina Castellæ, mater Reginæ Angliæ, ad quam jure hereditario post mortem matris devolutus est Pontivii Comitatus. Hoc anno antequàm Rex transiret in Gallias, Rex Scotorum Alexander in Angliam veniens, Regem consuluit de negotiis arduis terræ suæ. Putant quidam eum tunc suum fecisse homagium, quod alii verius in crastino coronationis Regis Angliæ asserunt esse factum. Impetravit autem à Rege litteras testificantes auxilium in guerra Vualliæ præstitum, non nomine servitii factum esse. Hoc anno Robertus Burnel Episcopus Bathoniensis in Cantuariensem Archiepiscopum est electus: sed Papa electione cassatâ Lectori Curiæ Fratri Johanni de Pecham eamdem contulit dignitatem.

MCCLXXIX.	NICOLAI III. II.	RADULFI VI.	PHILLIPPI III. IX.	EDVVARDI III. VII.

FRATER JOHANNES de Pecham Ciceſtrenſis diœceſis, de Ordine Minorum, venit in Angliam, à domino Papa in Cantuarienſem Archiepiſcopum conſecratus. Hic Pariſius in Theologia rexerat, & Oxoniæ lectiones ſuas reſumpſerat: deinde Miniſter provincialis Angliæ, ac tandem Lector Palatii in Romana Curia factus fuit, qui Ordinis ſui zelator erat præcipuus, carminum dictator egregius, geſtus, affatúſque pompatici, mentis benignæ, & animi admodùm liberalis. Moneta Angliæ per tonſuram nimis deteriorata, ex mandato Regis renovatur, obolúſque qui priùs formam ſemicirculi habebat, tamquam pars denarii in medio diviſi, fit rotundus, juxta vaticinium Merlini dicentis, *Findetur forma commercii, dimidium rotundum erit.* Illuſtris Miles Rogerus de Mortuo-mari apud Kelingworthe ludum militarem quem vocavit rotundam tabulam, centum militum ac totidem dominarum conſtituit, ad quam pro armorum exercitio de diverſis regnis confluxit militia nimia.

Digitized by Google

ANNI DOM. | PAPÆ | IMPERATORIS | Regis FRANCIÆ | Reg. ANGLIÆ

Frater Robertus jam Episc. Portuensis, post adventum suum ad curiam graviter infirmatus, post paucos dies in Domino obdormivit. Frater Johannes de Derlingtona Confessor quondam Henrici Regis, ex collatione Papali efficitur Archiepiscopus Dublinensis, qui nondum à collectione decimarum per summum Pontificem sibi imposita totaliter expeditus, per annos aliquot in Anglia moram traxit. Obiit Vualterus Giffard Archiepiscopus Eboracensis : cui successit Magister Vuillelmus de Vinkewane, in Romana Curia consecratus. Obiit etiam Ricardus de Graveshende Lincolnienſis Episcopus. Frater JOHANNES Cantuarienſis Archiepiscopus, convocato Concilio apud Redingiam, Suffraganeis suis imposuit, ut statuta generalis Concilii facerent artiùs observari. Concilium Radingiæ.

MCCLXXX. | NICOLAI III. | RADULFI | PHILIPPI III. | EDVVARDI III.
III. | VII. | X. | VIII.

NICOLAUS Papa tertius moritur, succesſítque ei MARTINUS quartus, priùs dictus Symon Turonensis, Gallicus natione. EDWARDUS Rex hoc anno reversus de partibus Gallicanis, de lapidibus jaspidum quos secum attulerat paternum fecit reparari sepulcrum. Oliverus de Suttona fit Episcopus Lincolnienſis, qui priùs fuerat Ecclesiæ ejusdem Decanus. Frater Johannes Cantuarienſis convocat Concilium apud Lamhuthe, in quo Constitutiones Ottonis & Ottoboni quondam Legatorum in Anglia innovans, jussit eas ab omnibus custodiri. Item apud Lamhuthe.

MCCLXXXI. | MARTINI IV. | RADULFI | PHILIPPI III. | EDVVARDI III.
I. | VIII. | XI. | IX.

MARTINUS Papa Senator efficitur urbis Romæ, qui in Romaniolam exercitum misit contra Guidonem Comitem Montisfebri, qui in partibus illis terras Ecclesiæ occupavit. DAVID germanus Principis Vualliæ immemor beneficiorũ Regis Angliæ, qui eum promoverat, & contra fratrem persequentem protexerat, ad insur-

Digitized by Google

gendum contra Regem Vvalliam concitavit : útque Principem Nobiléſque Wallenſium ad ſeditionem faciliùs inclinaret, ipſe primus facinus aggreditur, Rogerúmque de Clifford Militem nobilem & famoſum nihil clam ſuſpicantem proditiosè in caſtro ſuo de Havordin Dominicâ in Ramis Palmarum cepit ; quoſdam milites ejus reſiſtere volentes inermes occidit. Exinde reverſus ad Principem, collecto exercitu, unà cum eo Rodolanum venit, obſidionémque poſuit circa caſtrum. Rex Paſchalem ſollemnitatem eo tempore in diœceſi Sareſberienſi tenuit apud Diviſas, ubi ſuper hac commotione rumoribus auditis juſſit congregari quantociùs exercitum, militiam quam tunc in promptu habebat uſque Rodolanum præmittens.

Ipſe verò clam Ambreſburiam adiit, ut matrem ſuam ſalutaret, quæ tunc in illo Monaſterio morabatur. Contigit autem dum ibi eſſet, ut quidam ad matris ejus præſentiam adduceretur, qui per tempus aliquod ſe cœcum finxerat, viſúmque ſibi ad Henrici quondam Regis tumulum reſtitutum. Noverat hunc Rex Edwardus ab antiquo malitiis famoſum, fraudibúſque ab olim & mendaciis aſſuetum. Matri verò narrationibus ejus plurimùm applaudenti ne crederet diſſuaſit, quæ in iram verſa filium graviſſimè redarguit, camerámque ſuam evacuare præcepit. Cui juſſis maternis humiliter parenti, dum egrederetur occurrit Prior provincialis Fratrum Prædicatorum Frater Hugo de Mamceſtria, vir magnæ diſcretionis, ac Magiſter in Theologia, qui & ipſi Regi familiariter notus erat, quem Rex ad partem trahens, offenſam matris omniáque quæ contigerant per ordinem enarrans, finaliter hoc adjecit : Ego, inquit, juſtitiam patris mei tantùm novi, quòd potiùs huic ſcurræ eruiſſet oculos integros, quàm tantæ iniquitati lumen perditum reſtauraſſet. Altera verò die acceptâ à matre licentiâ cum celeritate ad militiam quam præmiſerat in Vualliam properavit : cujus audito adventu, Princeps Vualliæ obſi-

Digitized by Google

ANNI DOM. | PAPÆ | IMPERATORIS | Regis FRANCIÆ | Reg. ANGLIÆ

dione ſolutâ, cum ſuis longiùs ſe ſubtraxit. Interim captum eſt caſtrum de Lampadervaur per Reſum filium Mailgonis & Griffinum filium Mereduci; capta ſunt etiam in illis partibus per alios Vuallenſium Nobiles caſtra plura.

Eodem tempore procurante fratre JOHANNE Archiepiſcopo Cantuarienſi AYMERICUS de Monteforti, quem Rex in cuſtodia detinuerat liberatur, ſpondente pro eo Clero, ſe velle de periculo regni cavere, qui transfretans in Gallias non multò pòſt Curiam Romanam adivit, ubi poſt aliquos annos renuntians Clericatui, miles efficitur, citóque pòſt defunctus eſt. Hoc anno tranſlatum eſt in locum eminentiorem venerabile corpus Hugonis quondam Lincolmienſis Epiſcopi. Archiepiſcopus Cantuarienſis in Suowdoniam profectus, Principem Walliæ & germanum ſuum ſategit ad pacem reducere, ſed intento fruſtratus, regreſſus in Angliam, excommunicationis in ipſos ſententiam fulminavit.

MCCLXXXII. | MARTINI IV. II. | RADULFI IX. | PHILIPPI III. XII. | EDVVARDI III. X.

REx Angliæ cum exercitu valido de Rodolano per Inſulam Angleſiam, quam per nautas portuum capi fecerat, verſus Suowdoneam progrediens, ut viam pararet exercitui, ultra maris brachium quod Inſulam dividit à continente, juxta Brangoriam conſtituit pontem fieri ex navibus invicem colligatis. Hoc anno PETRUS Rex Aragoniæ Regnum Siciliæ uxori ſuę jure hereditario vindicans, ſubitò cum navigio Siciliam ingreſſus, Karolum Regem cum ſuis expulit de eadem: qui in Franciam fugiens, à Rege nepote ſuo pro recuperando Regno ſubſidium imploravit. Papa MARTINUS in Petrum prædictum, & omnes ei faventes ſeu Regem appellantes excommunicationis tulit ſententiam, privánſque eum Regno Aragoniæ, contulit illud Karolo filio Regis Francorum. Petrus verò de Aragonia miſſis ad Regem Siciliæ

Petrus Rex Aragon. Siciliam expulſo Carolo occupat.

Petro excommunicato Sicilia Carolo reſtituitur.

Digitized by Google

nuntiis, petivit ut cum quadraginta tantùm militibus ad plana Burdegalæ secum tot tantùm milites habente dimicaturus, veniret ad diem certum, sub pœna certa se ad hoc obligans, dum tamen Karolus se modo simili obligaret, & cui in hoc conflictu cessisset victoria, ille sine contradictione Regno Siciliæ potiretur.

Debellatis Vualensibus Princeps interficitur.

GILBERTUS Comes Gloverniæ magnas cum militia sua Wallensium prædas faciens, juxta Lantilawir factâ copiâ apertæ pugnæ, cum eisdem duro prælio dimicavit: in quo multis de parte Wallensium occisis, ipse quinque milites perdidit: de quorum numero erat WILLELMUS de Valenciis junior, consanguineus Regis Anglorum. Discedente autem Comite Glovernię, Princeps Walliæ terram intrans de Kardigan & Stradewi, devastavit terras Resi filii Mereduci, qui cum Rege contra Principem tenuit in hoc bello. Progressus deinde Princeps versus terram de Bueld, se cum paucis ab exercitu reliquo separavit. Cui cum sua militia supervenientes nobiles viri, JOHANNES Giffardi & EADMUNDUS de Mortuo-mari, nihil suspicantes de Principe, ipsum cum sociis pugna aggredientes occiderunt feriâ sextâ ante festum beatę Lucię. Principis autem post mortem à quodam qui intererat agniti, caput abscissum Regi defertur, quod Londonias transmissum positum est per tempus aliquod super turrim. Circa idem tempus milites quidam de Regis exercitu pontem, quem Rex inchoaverat, nondum perfectum minùs prudenter accelerantes transire, à supervenientibus Vuallensibus territi, dum in multitudine conglobatâ revertentes fugiunt, submerguntur. Inter quos erat miles strenuissimus LUCAS de Thany, & duo germani ROBERTI Burtiel Bathonienses Episcopi, aliique quamplures.

B. Thomæ Herfordensis Episcopi sanctitate clari acta percurruntur.

Hoc anno beatus Thomas Herfordensis Episcopus, in via versus curiam de præsenti sæculo nequam ereptus ad regna migravit cælestia, cùm annis septem gregem sibi commissum sollicitâ curâ rexisset. Hic nobilibus ortus natalibus, à puero Deo vixit devotus. Studii autem exer-

Digitized by Google

citatione litterarum adquirens peritiam, primò in artibus liberalibus, deinde in jure rexit Canonico, tandémque ad Theologiam totam intentionem transtulit mentis suę, in qua Licentiatus ad Magisterium, cùm sub Fratre Roberto de Kilwardeby Ordinis Prædicatorum (quem dum Provincialis fuerat admodùm familiarem habuit) decrevisset incipere, incidit negotii dilatio medio tempore, præfato Fratre assumpto ad Cantuariensis Ecclesiæ Præsulatum: sub quo tamen post consecrationem ejus Oxoniæ veniente, in Ecclesia Fratrum Prædicatorum incœpit juxta desiderii sui complementum: in cujus commendatione, quæ solet ante principium post disputationem quę Vesperiæ appellantur, de Bachillariis fieri magistrandis, asseruit præfatus Archiepiscopus, quem dictus THOMAS abolim Confessorem habuerat, nullius ipsum mortalis criminis unquam sensisse contagium, quantíque meriti fuerit apud Deum, crebrescentium ejus miraculorum gloria indubitatâ fide demonstrarat. Post quem ad Ecclesiam Herfordensem Clericus consecratus est Glovernię Magister RICARDUS de Swenefeld, sacræ Theologię Doctor, vir jocundus in verbis & egregius Prędicator. Hoc anno cassato Electo Vuintonienſi Magistro Ricardo de Mora, ex dono Curię Romanę Magister Johannes de Pontisara in ejusdem Ecclesiæ Episcopum consecratur.

MCCLXXXIII. | MARTINI IV. III. | RADULFI X. | PHILIPPI III. XIII. | EDVVARDI III. XI.

REx Angliæ ponte jam peracto cum exercitu in Suowdoniam transiit, castra ejus omninò sine notabili resistentia capiens & comburens. Comes verò Penbrochiæ castrum de Bere quod Principis erat cepit, & citò pòst Wallia tota cum omnibus castris suis subacta est Regiæ voluntati. Ante festum verò S. Johannis Baptistæ captus est DAVID frater Principis, & Rodolanum adductus. quem Rex ad sui conspectum admittere renuens, licèt

Vuallia Regi Angliæ subacta.

Digitized by Google

hoc ipſe David inſtantiùs flagitaret, Salopiam tranſmiſit carceri mancipandum. Eodem tempore per quemdam ſecretarium Principis allata eſt Regi Crux dicta Neoti, magnam de ligno crucis Dominicæ continens portionem, quæ ideò Neoti dicitur, quòd per quemdam Sacerdotem ſic vocatum antiquitùs de Terra ſancta fuit in Walliam deportata.

Parliamentum poſt feſtum S. Michaëlis eſt habitum Salopiæ, in quo per deputatos ad hoc Juſtitiarios David judicialiter condemnatus, tractus & ſuſpenſus eſt, viſceribúſque combuſtis, corpus capite truncatum, & in quatuor partes eſt diviſum, quibus in civitatibus Angliæ majoribus ſuſpenſis, caput Londoniis ſuper palum fixum eſt ad terrorem conſimilium proditorum. Resus autem Vavahu nobiliſſimus Wallenſium auditâ captione David Comiti Herfordiæ ſe dedit, Regíque redditus, ad turrim Londoniarum miſſus carceri mancipatur. Eodem anno tranſlata eſt per Regem Abbatia de Albertorum ad locum alium, conſtructúmque eſt ibidem contra irruptiones Wallenſium Caſtrum forte, fundavit & Rex in Comitatu Ceſtriæ aliam Abbatiam Monachorum Ciſtercienſium, quam multis ditatam prædiis Wallem Regalem voluit appellari. Conceſſa eſt hoc anno Regi in guerræ ſuæ ſubſidium à populo triceſima, & à Clero viceſima pars bonorum.

Martinus Papa Guidonem de Monteforti à carcere liberans, in quo per Gregorium Papam decimum propter homicidium in Eccleſia commiſſum poſitus fuerat, miſit in Romaniolam, quam eo anno totam obtinuit, excepta civitate Urbinate, quam Guido incepit obſidere in manu potenti; ſed citò pòſt omiſſâ de licentia Papæ obſidione dictæ urbis, in Tuſciam rediit, ut hereditatem uxoris ſuæ, patre ejus Comite Rufo mortuo, occuparet.

Carolus Rex Siciliæ primâ die Junii venit ad plana Burdegaliæ, comitante eum Rege Francorum cum militia magna valde. De cujus adventu Petrus quondam Arago-

Aragonum Rex præmonitus, diem prævenit, coram Seneſcallo Vaſconiæ proteſtans ſe paratum tenere pactum; ſed non poſſe Rege Francorum veniente cum tanta multitudine militum contra formam. Reverſo poſt hæc Carolo Rege Siciliæ in Apuliam, Siculi contra Neapolim cum viginti ſeptem galeis venerunt armatis, adverſus quos KAROLUS filius Regis Karoli, tunc Princeps Achaiæ, egreſſus cum magna galearum multitudine ad pugnandum, obtinentibus victoriam hoſtibus, captus eſt cum multis aliis, & ad civitatem Meſſanam deductus captivus. Rex Angliæ apud Aitonam Burnel poſt feſtum S. Michaëlis Parliamentum tenuit, ubi editum eſt ſtatutum cognominatum à Loco. Eodem anno oſſa beati Willelmi Eboracenſis Archiepiſcopi in altiorem locum cum ſollemnitate maxima transferuntur. Antonius de Beco, defuncto Roberto de Inſula Dunelmenſi Epiſcopo, in ſucceſſorem ejus electus, ab Eboracenſi Archiepiſcopo conſecratur.

APUD caſtrum de Karnervan, quod nuper Rex Angliæ fortiſſimum fecerat, natus eſt Regi filius, ex nomine patris vocatus EDWARDUS. Rex de Suowdonia per Walliam occidentalem progrediens, intravit Glomorgantiam, quæ ad dominationem Comitis Gloverniæ noſcitur pertinere, receptúſque à Comite cum honore maximo, ab eodem propriis impenſis uſque ad terrarum ſuarum terminos eſt deductus. Rex Briſtollum veniens, ibidem feſtum Nativitatis Dominicæ tenuit eo anno.

Philippus filius Regis Philippi Francorum uxorem duxit Johannam filiam Regis Navarræ, privignámque Eadmundi germani Regis Angliæ, accipiens cum eadem Regnum Navarrorum & Campaniæ Comitatum. Mortuus eſt hoc anno KAROLUS Rex Siciliæ, cujus Regni ac filiorum tutórem Papa Martinus ROBERTUM Comitem

Filiam Regis Navarræ uxorem duxit filius Regis Franc. & unà Regnum Navarræ & Comitatum Campaniæ accepit.

Digitized by Google

Atrebatenſem conſtituit, largitus eidem pecuniæ magnam ſummam. Frater Johannes Dublinenſis Archiepiſcopus, cùm verſus Eccleſiam ſuam iter arripuiſſet, correptus infirmitate gravi, ultimum diem clauſit: cujus corpus in choro Fratrum Prædicatorum Londoniis eſt humatum. Nec multò pòſt obiit eodem anno apud Windelſore ALFONSUS Regis filius, juvenis optimæ indolis, & admodùm Deo devotus: cujus corpus apud Weſtmonaſterium, cor verò apud Prædicatores Londoniis Reginâ matre ordinante traditur ſepulturę. Obiit & hoc anno Robertus de WIKHAMTONA Sareſberienſis Epiſcopus, cui ſucceſſit Walterus Scamel, Eccleſiæ ejuſdem Decanus. MARIA Regis filia Angliæ, Ambreſberiæ Sanctimonialis efficitur, parentibus aſſentientibus licèt cum difficultate ad inſtantiam matris Regis.

REx Angliæ de Briſtollio Cantuariam profectus diſpoſuit transfretare, ſed audito rumore de infirmitate matris, revertitur Ambriſburiam, miſſis nuntiis qui ſe apud Regem Franciæ, ad cujus colloquium ſpeciale invitatus fuerat, excuſarent. Mortuo Papa MARTINO, ſuccedit ei HONORIUS IV. natione Romanus, priùs dictus Jacobus de Sabella, cui pedum ac manuum ferè officium abſtulerat arthrytica ægritudo: unde ſedendo in ſella ad hoc artificiosè facta Miſſarum ſollemnia celebravit.

Honorius Papa IV.

Rex Franc. in Aragon. profectus, ut illud regnum filio adquireret.

PHILIPPUS Rex Francorum in Aragoniam profectus, ut Regnum illud juxta donationem Papalem filio ſuo adquireret, civitatem Girundam obſedit. PETRUS Aragoniæ quondam Rex, inito cum quibuſdam militibus Gallicis (inter quos principales erant RADULFUS de Nigella Conſtabularius Franciæ, & JOHANNES de Harcuria Normannus Miles ſtrenuiſſimus) conflictu vulneratus, ſe cum ſuis ſubtraxit à prælio, & mortuus eſt in brevi. Philippus Francorum Rex captâ Girundâ hominibúſque

Digitized by Google

ſuis munitâ, incipiens infirmari diſceſſit uſque Perpeniacum, ubi invaleſcente ægritudine de præſenti luce migravit. Cujus carnes & viſcera in Eccleſia Narbonenſi, oſſa verò apud S. Dionyſium, cor verò in choro Fratrum Prędicatorum Pariſius ſunt humata. Huic ſucceſſit Philippus filius ejus, qui Pulcher agnominatus eſt ob corporis ſpeciem excellentem. Aragonenſes Gallicorum naves in portu Roſarum captas abducunt, urbem etiam Girundam obſidentes, ipſam & Gallicos ad ejus defenſionem derelictos ad deditionem brevi tempore coëgerunt. ALFONSUS filius Petri quondam Aragoniæ Regis, patre defuncto, Regnum illud gubernandum ſuſcepit. Inter quem & filiam Regis Angliæ Alianoram ſponſalia contracta fuerant, patre adhuc vivente. Jacobus autem filius Petri junior cum matre Conſtantia tranſiens in Siciliam, ſe fecit coronari in Regem.

Moritur.

Gallos ex Girunda expellunt Aragonenſes.

Obiit hoc anno Vuillelmus de Wikewane Eboracenſis Archiepiſcopus in Galliis apud Pontiniacum: cui ſucceſſit Johannes Romanus, ſacræ Theologiæ Doctor eximius, in Romana Curia conſecratus. Eodem anno Rex Londoniis Parliamentum tenuit, in quo edita ſunt ſtatuta, quæ Weſtmonaſterii ſecunda dicuntur.

MCCLXXXVI. | NICOLAI IV. I. | RADULFI XIII. | PHILIPPI IV. I. | EDVVARDI III. XIV.

MORITUR Papa HONORIUS quartus, cui ſuccedit NICOLAUS quartus natione Romanus, priùs dictus Frater Hieronymus de Ordine Fratrum Minorum. Rex Angliæ in Gallias tranſiens, Regi Francorum ſibi Ambianis honoris gratiâ occurrenti homagium fecit pro terris, quas de eo in Regno Franciæ tenere debebat. Interfuit & Parliamento quod Rex Francorum tunc Pariſius tenuit, in quo multa quæ pro libertate *terrarum ſuarum injuſtè poſſeſſarum petivit, obtinuit, licet ipſa conceſſio dominii in ſuo robore non maneret. In Pentecoſte celebratum eſt ibidem ſub Magiſtro Ordinis Fratre Mu-

Nicolaus Papa IV.

* *Id eſt* liberatione, *Gal.* la delivrance.

Digitized by Google

NIONE Capitulum generale, quod uterque Rex Francorum & Anglorum, utraque Regina diebus divisis suâ præsentiâ honorârunt. Post Pentecosten verò Rex Angliæ de Parisius Vasconiam est profectus. ALIANORA Regina Angliæ, mater Regis Edwardi, spreto sæculo apud Ambresbiriam induit habitum Monacharum.

MCCLXXXVII. | NICOLAII V. II. | RADULFI XIV | PHILIPPI IV. II. | EDVVARDI III. XV.

REGE Angliæ in Vasconia commorante, cùm miles quidam Anglicus Judæum quemdam super detentione indebita cujusdam manerii sibi impignorati coram Judicibus convenire voluisset, ille respondere noluit, prætendens chartam Regis quondam Henrici, quâ sibi indultum fuit, ne coram Judice aliquo corpore Regis excepto in judicium trahi possit. Miles super hoc anxius Vasconiam adiit, ut super hoc à Rege remedium aliquod impetraret. Quod cùm Rex audisset, Non decet, inquit, filios facta irritare parentum, quibus lege divinâ jubentur reverentiam exhibere, propter quod factum patris mei revocare non decrevi; sed tibi ceteríque omnibus Regni mei æquâ lege ne potior videatur Judæus quàm Christianus indulgeo, ne pro quacumque illi Judæo illatâ injuriâ quamdiu chartâ suâ gaudere voluerit, coram judice aliquo, me excepto, conveniri possitis. Revertente cum hoc privilegio milite, attendens Judæus sibi imminere damnum & periculum, spontaneè suæ chartæ renuntiat, optans ut evacuatâ conditione privilegii, pars utraque legi communi valeat subjacere. Die quâdam cùm Rex & Regina in camera quadam convenientes, super lectum quemdam sedendo confabularentur, ictus fulminis per fenestram quæ eis erat à dorso ingressus, & inter eos transiens, ipsis penitùs illæsis, duos domicellos qui in eorum stabant præsentia interfecit. Stupefacti admodum ceteri omnes qui aderant, ex evidenti quod contigerat miraculo, perpendebant divini protectionem

Digitized by Google

Numinis ſaluti regiæ non deeſſe. Rex Angliæ eodem anno profectus eſt in Aragoniam, ut conſanguineum Karolum filium Karoli ab Alfonſo Rege Aragoniæ detentum in carcere liberaret. Rex Cypri apud Achon in Regem Jeruſalem coronatur, quod Comes Atrebatenſis in præjudicium Regis Siciliæ, qui Regnum illud vendicabat factum æſtimans, bona Templariorum & Hoſpitalariorum, qui facto huic conſenſerant, ubique per Apuliam confiſcavit. Alfonſus Aragoniæ Rex miſſis ad Curiam Romanam Nuntiis reconciliari petivit Eccleſiæ, de his quæ per fratrem ſuum facta fuerant ſe excuſans.

MCCLXXXVIII. | NICOLAI IV. III. | RADULFI XV. | PHILIPPI IV. III. | EDVVARDI III. XVI

KAROLUS filius KAROLI Princeps Achaïæ, procurante Rege Angliæ liberatur à carcere ſub hac forma; videlicet quòd data Regi Aragoniæ certa ſumma pecuniæ, ipſe Karolus à domino Papa pacem Aragonenſibus impetraret, quòd ſi infra trienmium procurare non poſſet, rediret ad carcerem: quibus conditionibus juramento firmatis, tradere debebat Karolus tres filios ſuos obſides & alios milites nobiles quadraginta: pro quibus quouſque venirent Rex Angliæ liberationem Karoli accelerans, nobiles viros qui ſecum erant obſides tradidit, & pecuniam uſque ad triginta milia librarum perſolvit. Poſtquàm autem filii Karoli venerant, Rex Angliæ militibus ſuis liberatis in Vaſconiam revertitur, & apud Blankeford crucis ſuſcepit characterem, móxque Judæos omnes tamquam crucis hoſtes expulit de Vaſconia, & aliis terris ſuis omnibus quas in Regno Franciæ poſſidebat.

Interim RESUS filius Mereduci Walliam conturbavit, impugnaréque cœpit aliqua Regis caſtra. Tripolis civitas tranſmarina à Soldano Babyloniæ capitur, qui in ea multa Chriſtianorum millia trucidavit. Ex cujus captione territi Chriſtiani qui erant in Achon, à Soldano inducias

Digitized by Google

impetrant biennales. Comes Eadmundus Cornubiæ, cui Rex Anglię in ſua abſentia Regni commiſerat cuſtodiam, magnum ducit in Vualliam exercitum contra Reſum. Cùm autem caſtrum de Druſelan, quod erat Reſi obſideret, & muros ejus ſuffodi faceret caſu illorum ſubitò vir nobilis Vuillelmus de Monte Taniſii, aliíque milites plurimi & ſcutiferi opprimuntur. Hoc anno Armiger quidam dictus Robertus Camerarius cum complicibus, tentoria mercatorum apud ſanctum Botulfum incendens, diffuſo igne magnam partem villæ & Eccleſiam Fratrum Prædicatorum combuſſit. Dúmque mercatores pro ſalvandis mercibus ſuis & extinguendo igne diſcurrerent, per dictum Armigerum & ſuos trucidantur, bonis eorum direptis. Fuit autem hoc anno in Anglia tanta frugum abundantia, ut quarterium frumenti alicubi pro viginti, alicubi pro ſexdecim, alicubi pro duodecim denariis venderetur.

KAROLUS Princeps Achaïæ Romam veniens, per Papam Nicolaum à juramento Regi Aragonum præſtito abſolvitur, & in Regem Siciliæ coronatur. Inter Jacobum occupatorem Sicilię & Comitem Atrebatenſem firmantur induciæ biennales. Rex Angliæ de Vaſconia reverſus, Londoniis ſollemniter recipitur circa feſtum Aſſumptionis Virginis glorioſæ, qui Judæos omnes eodem anno expellens de Anglia, datis expenſis * in Gallias, bona eorum reliqua confiſcavit. Auditis autem querimoniis eorum, qui de Regis Miniſtris conqueri volebant, Rex omnibus exhibens juſtitiam, Juſtitiarios ferè omnes de falſitate deprehenſos à ſuo officio depoſuit, ipſos juxta demerita puniens gravi multâ. Tenuit hoc anno Rex Parliamentum Londoniis, in quo edita ſunt Statuta quæ dicuntur Weſtmonaſterii tertia, in quo etiam pro expulſione Judæorum conceſſa eſt Regi à populo quin-

Judæi ex Anglia expelluntur.

* ad tranſeundum.

Digitized by Google

ANNI DOM	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGLIÆ

ta decima pars bonorum. Tempore Quadrageſimali hujus anni, cùm ALEXANDER Scotorum Rex uxorem ſuam, filiam Comitis Flandriæ, quam poſt Margaretam filiam Regis Angliæ duxerat, nocte quâdam admodum obſcurâ viſitare voluiſſet, ceſpitante equo lapſus & colliſus graviter, exſpiravit. Hic de ſecunda uxore nullam, de prima verò prolem geminam, filium ſcilicet Alexandrum, & filiam genuit nomine Margaretam. Alexander abſque prole patrem immaturâ morte prævenit, filia Margareta Regi Northwegiæ deſponſata, filiam unicam peperit nomine Margaretam, quæ matri jam mortuæ ſupervixit. Hanc conſulto Rege Angliæ Magnates Scotiæ Regni illius recognoverunt heredem, quæ accerſita per Nuntios Regis Angliæ, cùm per navigium tenderet in Scotiam, infirmata in mari, apud Orcades Inſulas eſt defuncta.

MCCXC.	NICOLAI IV. V.	RADULFI. XVII.	PHILIPPI IV. V.	EDVVARDI III. XVIII.

MARGARETA filiâ Regis Northwegiæ, & MARGARETA filiâ Alexandri Regis Scotiæ, ad quas jure hereditario, defunctis avo patruo & matre, Regnum Scotiæ devolvi debebat, mortuis: apud omnes quis foret juſtus heres Scotiæ in dubium vertebatur, propter quod Rex celebratis Londoniæ nuptiis inter filium & heredem Ducis Brabantiæ & MARGARETAM filiam ſuam ſecundam; ac inter GILBERTUM Comitem Gloverniæ & JOHANNAM filiam ſuam tertiam; verſus Scotiam dijudicaturus de juſto herede tanquam ſuperior dominus dirigit iter ſuum; ſed dum finibus Scotiæ appropinquaret, Regina corporis gravi infirmitate correpta quarto Idus Decembris ex hac vita migravit, propter quod Rex cœpto intermiſſo itinere Londoniam funus deducendo revertitur: cujus corpus apud Weſtmonaſterium, cor verò in choro Fratrum Prædicatorum Londoniæ eſt humatum.

Regnum Scotiæ abſque herede relictum.

Digitized by Google

An. Dom.	Pap.	Imp.	Regis Franc.	Regis Angl.
MCCXCI.	NICOLAI IV. VI.	RADULFI XVIII.	PHILIPPI IV. VI.	EDVVARDI III. XIX.

SOLDANUS Babyloniæ lapsis jam treugis cum Christianis per biennium initis, versus Achon cum magno tendens exercitu, in ipso intinere moritur, cujus filius Soldanus factus cœpta patris prosequitur, & civitatem Achon obsidens, à quarto die mensis Maii, per decem dies continuos fortissimè oppugnavit. Cives viriliter urbem defendentes interim thesauros suos ac merces, sacrosanctásque Reliquias, senes etiam & debiles, mulieres & parvulos fecerunt in Cyprum navigio deportare. Multi etiam tam pedites, quàm equites discedentes ad defensionem civitatis tantùm reliquerunt duodecim millia armatorum. Quinta-decimâ verò die mensis tam grave dederunt Saraceni insultum, quòd cedente ferè Regis Cypri custodiâ civitatem intrassent, nisi obscuritas noctis alienúmque subsidium obstitisset. Denique Rex Cypri nocte sequenti commissa custodia Ministro militiæ domûs Teutonicorum, promittens se mane rediturum, aufugit in Cyprum. Saraceni autem videntes in crastino civitatem custodia Regis Cypri destitutam, ex parte illa impleto fossato, ingressi sunt urbem, prælióque ancipiti cum Christianis duobus diebus, nunc his nunc illis prævalentibus, dimicârunt. Tertiâ tandem die irrumpente per portam sancti Antonii Saracenorum multitudine, interfectísque Templariis & Hospitalariis urbem capiunt, muros ejus cum turribus, Ecclesiásque cum domibus aliis funditùs evertentes. Patriarcha verò qui de Ordine Prædicatorum erat, & Magister Hospitalis letaliter vulnerati, tracti à suis in dromonem, in mari cum multis aliis perierunt.

Achon obsidetur à Soldano.

Capitur ac diripitur.

CAROLUS frater Regis Francorum renuntians juri suo in Regnum Aragoniæ, uxorem duxit filiam Caroli Regis Siciliæ, cui cum ea pro dicta renuntiatione Andegaviæ & Cenomanniæ contulit Comitatus. Eodem anno Rex Angliæ Scotiæ appropinquans, Parliamentum tenuit apud Noreham, ubi consultis Prælatis ac utriusque juris peritis, revolu-

Jus Regni Scotiæ Rex Angl. sibi ad se attinere declarat.

Digitized by Google

revolutísque priorum temporum annalibus, vocari fecit Prælatos ac Majores Regni Scotiæ, & coram eis in Eccleſia parochiali de Northam jus ſuum & ſuperius dominicum in Regnum Scotiæ fideliter declaravit, petivítque ut hoc recognoſcerent, proteſtando jus coronæ ſuæ uſque ad effuſionem ſanguinis defenſuros. Ab omnibus igitur qui jus in Regnum Scotiæ vindicabant, recognitus eſt ſuperior dominus Scotiæ, per litteras inde confectas eorum ſigillis munitas, tenorem ſubſcriptum in Gallico continentes:

Superior dominus Regni Scotiæ Rex Angl. declaratur.

OMNIBUS præſentes Literas viſuris vel audituris FLORENTIUS Comes Holondiæ, ROBERTUS Le Brus dominus Vallis Anandiæ, JOHANNES de Balliolo dominus Galwidiæ, JOHANNES de Haſtinges dominus Abergavenniæ, JOHANNES Comin dominus de Badenawe, PATRICIUS de Dunbar Comes Marchiæ, JOHANNES de Veſci vice patris ſui, NICOLAUS de Sules, WILLELMUS de Ros, ſalutem in Domino. Cùm nos in Regno Scotiæ jus habere credamus, & jus illud coram illo, qui potiorem poteſtatem, juriſdictionem & rationem examinandi jus noſtrum habeat, declarare, vindicare & probare intendamus, nobíſque Princeps dominus EDWARDUS gratiâ Dei Rex Angliæ, per bonas ſufficientéſque rationes nos informaverit, quòd ad eum ſpectat & habere debet ſuperius dominium Regni Scotiæ, & cognitionem in audiendo, & diffiniendo jus noſtrum: Nos de propriâ noſtrâ voluntate, ſine omni violentia & cöactione volumus, annuimus, ut recipiamus jus coram eo tamquam ſuperiori domino terræ. Volumus inſuper & promittimus, quòd habebimus & tenebimus firmum & ſtabile factum ſuum, & quòd ille habebit Regnum, cui coram eo jus potius illud dabit. In teſtimonium iſtorum, nos litteris iſtis appoſuimus ſigilla noſtra. Datum apud Noreham feriâ tertiâ proxima poſt Aſſcenſionem Domini, anno gratiæ milleſimo ducenteſimo nonageſimo primo. MCCXCI.

Digitized by Google

Factâ recognitione ſuperioris domini & ſubmiſſione recipiendi, quod coram Rege Angliæ jure fuerit diſtinctum, petivit Rex caſtra & terram totam ſibi tradi, ut per ſeiſinam pacificam jus ſuperioris dominii, quod jam per ſuas litteras recognoverant, clareſceret univerſis. Annuerunt ſtatim Regiæ petitioni, confectis ſuper hoc litteris, & ab eiſdem ſignatis continentibus in Gallico hunc tenorem:

» OMnibus præſentes litteras viſuris vel audituris, FLO-
» RENTIUS Comes Holondiæ, ROBERTUS de Brus do-
» minus Vallis-avandiæ, JOHANNES de Balliolo do-
» minus Galwidię, JOHANNES de Haſtinges dominus
» Abergavenniæ, JOHANNES Comin dominus de
» Badenow, PATRICIUS de Dunbar Comes Mar-
» chiæ, JOHANNES de Veſci vice patris ſui, NICO-
» LAUS de Sules, WILLELMUS de Ros, ſalutem in Do-
» mino. Quia de bona voluntate & communi aſſenſu ſine
» omni contradictione annuimus & conceſſimus nobili
» Principi domino EDWARDO gratiâ Dei Regi Angliæ,
» quòd ipſe tamquam ſuperior dominus terræ Scotiæ
» poſſit audire, examinare & diffinire vendicationes noſtras
» & petitiones, quas intendimus oſtendere & probare pro
» jure noſtro recipiendo coram eo tamquam ſuperiori do-
» mino terræ. Promittentes inſuper, quòd factum ſuum
» habebimus firmum & ſtabile, & quòd ille obtinebit Re-
» gnum Scotiæ, jus cujus potius declarabitur coram eo.
» Cùm autem non poſſit præfatus Rex Angliæ iſto modo
» cognitionem facere nec complere ſine judicio, nec judi-
» cium debeat eſſe ſine exſecutione, nec exſecutionem poſ-
» ſit debito modo facere ſine poſſeſſione & ſeiſina ejuſdem
» terræ & caſtrorum ejus, quouſque jus in regnum peten-
» tibus fuerit ſatisfactum, ita tamen quòd antequàm ha-
» beat ſeiſinam, bonam & ſufficientem ſecuritatem fa-
» ciat petitoribus, & cuſtodibus, & communitati Regni
» Scotiæ reſtituendi idem Regnum cum tota regalitate,
» dignitate, dominio, libertatibus, conſuetudinibus,

Digitized by Google

justitiis, legibus, usibus, possessionibus, & quibuscumque pertinentiis in eodem statu in quo erant ante seisinam sibi traditam, & liberabit illi cui jure debetur secundùm judicium regalitatis, salvo Regi Angliæ homagio illius qui Rex erit: & debet hæc restitutio fieri infra duos menses à die quo fuerit hoc jus discussum atque firmatum, exitus *prædictæ terræ medio tempore recipiantur, & in salvo deposito reponantur, & bene custodiantur per manum Camerarii Scotiæ qui nunc est, & illius quem assignabit ad hoc Rex Angliæ, & hoc sub sigillis eorum, salvâ rationabili sustentatione terræ, & castrorum Ministrorúmque regni. In testimonium omnium prædictorum apposuimus ad has litteras sigilla nostra. Datum apud Noreham die Mercurii proximâ post Ascensionem Domini, anno gratiæ millesimo ducentesimo nonagesimo primo.

*Id est, reditus.

Has duas litteras misit Rex Angliæ sub sigillo suo privato ad diversa Monasteria Regni sui anno decimo nono, ut ad perpetuam rei gestæ memoriam in Chronicis ponerentur. De communi igitur assensu Majorum Regni Scotiæ, Rex terram ipsam in suam accepit custodiam, quousque debitâ discussione habitâ de legitimo constaret herede.

Eodem anno circa festum beati Johannis Baptistæ Alianora mater Regis Ambresburiæ est defuncta: propter quod Rex de Scotia in Angliam rediit, ut funus maternum sepulturæ traderet debito cum honore. Sepultum itaque est corpus ejus in Monasterio Ambresburiæ, cor verò Londoniis in Ecclesia Fratrum Minorum. Rex verò post festum S. Michaëlis iterum tendens in Scotiam, cùm Eboracum venisset, morámque aliqualem ibi fecisset, Resus filius Mereduci captus, illúcque deductus, judicialiter est condemnatus. Profectus deinde Rex in Scotiam, omnibus in Regnum Scotiæ jus vindicantibus imposuit ut in festo S. Johannis Baptistæ proximo futuro coram se comparerent, & quo jure Regnum illud vindicabant pleniùs declararent.

Digitized by Google

Anni Dom.	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCXCII.	NICOLAI IV. VII.	RADULFI XIX.	PHILIPPI IV. VII.	EDVVARDI III. XX.

NICOLAUS Papa quartus viam universæ carnis ingressus est, qui paullo antè Regem Angliæ ad recuperandum Terram sanctam invitans, Ducem & Capitaneum omnium constituit Christianorum. Post Pascha anni ejusdem in statione navium, quæ solet esse apud sanctum Mathæum in Britannia, suborta est inter nautas Bajonenses & Normannos discordia, cœperúntque se terra maríque mutuò impugnare, roboratísque partibus crevit seditio, dum Bajonensibus adhærent Anglici: Normannis verò nautæ ceteri qui erant de ditione Regis Francorum, onerantur jam naves hinc inde non tantùm mercibus, sed armis, & quo magis aura placidior deferveſcebat, strato æquore maris, tanto periculosiora incurrebant naufragia non cautibus illisæ, sed expugnatę violenter ab hoste. Moritur Rex Romanorum RADULFUS, in cujus successorem electus est ADULFUS Comes de Naasso, & sine contradictione in Regem Alemanniæ sollemniter coronatur. ALFONSUS etiam Aragonum Rex mortuus est hoc anno.

Moritur Imperator cui succedit Adulfus Comes de Naſſavv.

Rex Angliæ post festum beati Johannis Baptistæ in Scotiam veniens, receptis eorum qui Regnum Scotiæ vindicabant allegationibus pro jure suo, eligi fecit quadraginta personas videlicet viginti de Anglia & viginti de Scotia, qui istas allegationes deliberatâ diligentiâ discuterent, sententiam finalem usque in festum S. Michaëlis proximo veniens differens proferendam. Adveniente autem prædicto festo, post discussionem, de assensu omnium JOHANNI de Balliolo, qui de filia David Regis Scotorum descenderat seniore, adjudicavit ex integro Regnum ipsum. ROBERTUS secundus de Brus, inter quem & Johannem prædictum exclusis ceteris quæstio vertebatur, licet uno gradu esset propinquior, tamen descendit à filia Regis DAVID secunda. IOHANNES autem in festo S. Andreæ Apostoli sequenti collocatus super la-

Sententiam fert Rex Angliæ de Scotiæ Regno in gratiam Johannis,

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

pidem regalem in Eccleſia Canonicorum Regularium de Scotia ſollemniter coronatur. Poſt coronationem verò accedens ad Regem Angliæ, qui feſtum Nativitatis Dominicæ apud Novum-caſtrum tenuit ſuper Tinam, eidem fecit homagium ſub his verbis: Domine, mi domine Edwarde Rex Angliæ, ſuperior Scotiæ domine, Ego IOHANNES de Balliolo Rex Scotiæ recognoſco me hominem veſtrum ligium (de toto Regno Scotiæ & omnibus pertinentiis, & his quæ ad hoc ſpectant, quòd Regnum teneo & de jure debeo & clamito tenere hereditariè de vobis & heredibus veſtris Regibus Angliæ) de vita & membris & terreno honore, contra omnes homines qui poſſunt vivere & mori. Et Rex recepit homagium in formâ prædictâ, ſuo & alterius jure ſalvo. Recepto autem Regis Johannis homagio, Rex Angliæ eidem Regnum Scotiæ integraliter cum omnibus pertinentiis reſtituit indilatè.

"Formula clientelæ quam Rex Scotiæ profert Regi Angl.

MCCXCIII.	VACATIONIS I.	ADULFI I.	PHILIPPI IV. VIII.	EDVVARDI III. XXI.

HENRICUS de Hiſpania in carcere Regum Siciliæ diu detentus evadens, in Hiſpanias ad nepotem ſuum SANCTIUM Regem venit. Mercatores Anglici variis in mari laceſſiti periculis, ſuper mercium ſuarum amiſſione Regi Angliæ conqueruntur, qui Comitem Lincolnienſem HENRICUM de Laci ad Regem Franciæ tranmiſit, ſuppliciter petens ut de aſſenſu ipſius per Reges & eorum conſilia, contra hujuſmodi maritima diſpendia provideretur cum celeritate de remedio competenti. Interim verò dum Comes reſponſum exſpectat, claſſis ducentarum navium Normannicarum & ampliùs, quæ cõadunata ut hoſtes virtuoſiùs invaderet, & invadentes fortiùs propulſaret, in Vaſconiam profecta fuerat, quidquid de parte adverſa obvium habuit prædæ ac morti facilè deſtinando, dum onuſta vino reverteretur gloriabunda, quaſi ſibi ſoli maris ceſſiſſet libertas, à ſexaginta

Diſſenſio inter Reges Franc. & Angl.

Digitized by Google

navibus Anglicanis capitur, & in Angliam adducitur, feriâ ſextâ ante vigiliam Pentecoſtes ſubmerſis aut cæſis hominibus omnibus, qui erant in navibus, ſolis illis exceptis, qui in ſcalis vix ſalvi fuerant fugiendo. Rumor facti diffuſus per Galliam, Regem Cõſiliúmque ſuum non tam admiratione quàm indignatione vehementi commovit. Ordinati igitur ſunt Ambaſſatores, qui ex parte Regis Francorum à Rege Angliæ peterent, ut abſque mora naves cum mercibus per homines ſuos raptas, & in Regno ſuo receptas reſtitueret, ſi vellet ſua negotia pro terra Vaſconię in Curia Franciæ favorabiliter expediri. Super hoc mandato Rex deliberans, habito conſilio Ricardum Londonienſem Epiſcopum, adjunctis eidem aliis viris prudentibus, ad Regem Francorum & ſuum Conſilium, & hujuſcemodi tranſmiſit reſponſum, videlicet cùm Rex Angliæ Curiam ſuam habeat nulli ſubjectam, qui ſe læſos ſentiant per homines Regni ſui, veniant ad Curiam ſuam, & declaratis ſibi illatis injuriis, Rex eis celerem fieri juſtitiam ordinabit: quod ut ſecurius facere poſſint, quibuſcumque conqueri volentibus, Rex de eundo & redeundo per terram ſuam ſalvum dabit conductum. Quòd ſi hoc Regi Francorum non placeat, eligantur arbitri hinc inde, qui penſatis damnis utriuſque partis, provideant quomodò querelantibus ſatisfiat, & Rex Angliæ dicto eorum & laudo ſub certa obligatione ſe ſubmittet, dum tamen Rex Francorum ſe ſubmittat & obliget pari modo. Si verò aliquid occurrat tam arduum, quòd per arbitros nequeat decidi, diffiniendum Regibus reſervetur, & Rex Angliæ habito conductu ad Regem Franciæ, accedentem ad aliquam villam maritimam veniet, & de aſſenſu mutuo finis negotio imponetur. Quòd ſi nec iſtud Rex Francorum acceptaverit, in Summum Pontificem, cujus eſt inter Reges & Regna pacem fovere, transferatur de aſſenſu mutuo negotium, vel (quia tunc Sedes vacabat) ad Cardinales omnes vel aliquos, ut litis & diſcordiæ ſubmotâ materiâ, pax inter eos eorúmque populos refloreat ut ſolebat

Digitized by Google

Sprevit hæc omnia Consilium Franciæ, nec Nuntiis instanter flagitantibus dignatum est aliquid respondere. Misit denique Rex Francorum ad civitatem Agenii, quæ ad Ducatum Aquitanię spectare dignoscitur, ibique nominatim citari fecit Regem Angliæ, ut die certa Parisius compareret, de injuriis & rebellionibus in terrâ factis Vasconiæ responsurus, quem ad diem præfixum non comparentem, Rex Francorum in propria persona pro tribunali sedens, sententiam protulit judicans in defectu: Constanbularióque Franciæ mox præcepit ut in manu armata proficiscens, Ducatum Aquitanię, Regis Francorum nomine occuparet, caperétque vel expelleret quoscumque per Regem Angliæ illius custodiæ deputatos. Siquidem paulo antè miserat illuc Rex Angliæ JOHANNEM de sancto Johanne Militem discretum, in armis strenuum, & in rebus bellicis exercitatum, qui civitates & castra per totum Ducatum optimè munivit armis & victualibus, & viris strenuis ad bellandum.

Constabularius Franciæ ducit exercitum in Aquitaniam adversus Angl. Regem.

Eodem anno circa festum S. Michaëlis Alianora filia Regis Angliæ apud Bristollum Henrico Comiti Barrensi traditur in uxorem, de qua filium genuit Edwardum, & filiam quam Johannes de Wasenna Sureyæ & Susexiæ Comes duxit. Rex Anglorum satagens Regis Francorum animum emollire, mandavit germano suo EADMUNDO, qui tunc in Galliis morabatur, ut Consilium Franciæ adiens de aliqua forma provideret, quæ Regis Francorum esset placita, & sibi non nimiùm inhonesta: qui post tractatus multos frustrà habitos, iter versus Angliam arripuit, de pace & concordia penitus desperatus.

MCCXCIV. | VACATIONIS II. | ADULFI II | PHILIPPI IV. IX. | EDVVARDI III. XXII.

EADMUNDUS frater Regis Angliæ versus mare profectus, per Reginas Franciæ JOHANNAM Regis consortem, & MARIAM ejusdem novercam, ut cum eisdem pacis tractatum resumat celeriter revocatur. Denique mediantibus Reginis, post plurima interloquia in for-

Concordia inter Reges Franc. & Angliæ.

Digitized by Google

ma ſubſcripta exſtitit concordatum; Videlicet ut propter honorem Regis Francorum, cui per miniſtros cuſtodiæ Vaſconię deputatos (ut videbatur nonnullis) fuerat in pluribus derogatum, ſex caſtra, videlicet Sanctonas, Talemund, Tourium, Pomerol, Penne, & Mount Flamkon voluntati Regis Franciæ dederentur. In omnibus verò civitatibus & caſtris totius Ducatûs exceptis Burdegala, Bajona & Regula unus ſerviens nomine Regis Franciæ poneretur, de miniſtris quoque per Regem Angliæ in Vaſconia poſitis, aliiſque per totam terram pro libitu Regis Francorum obſides traderentur. Quibus peractis, Rex Franciæ citationem in aula Pariſienſi publicatam faceret revocari: Caſtra verò omnia, amotis Servientibus in civitatibus poſitis & caſtris, obſidéſq; ad petitionem duarum Reginarum, vel unius earum reſtitueret ſine mora. Réxque Angliæ conceſſo ſibi ſalvo conductu Ambianis veniret, ut ibi habito mutuo Regum colloquio, pax & amicitia in poſterum firmaretur. Super his confectis ſcriptis unum per Reginas ſignatum Eadmundo traditur, aliud ſignatum ab Eadmundo commendatur Reginis, quæ datâ fide in manu Eadmundi promiſerunt pacta in ſcriptis inita nullatenus violanda.

Certificatus ſuper his Rex Angliæ per germanum ſuum, litteram unam patentem directam omnibus Miniſtris ſuis in Vaſconia, continentem mandatum, ut in omnibus voluntati Regis Francorum obtemperent, tranſmiſit germano, per eum (cùm ſibi videretur) ulteriùs in Vaſconiam tranſmittendam. Receptâ littera EADMUNDUS, veritus eam tranſmittere antequàm ſibi conſtaret, an Rex ipſe acceptaret quæ facta fuerant per Reginas, petivit ab eis, ut per dictum Regis proprium ſuper præmiſſis certior redderetur. Deníque præſentibus Eadmundo Regis Angliæ germano, & uxore ſua BLANCA Reginâ Navarræ matre Reginæ Franciæ, necnon Duce Burgundiæ, HUGONE de Ver filio Comitis Oxoniæ, ac Clerico quodam Johanne de Laci, Rex ipſe promiſſa

Reginarum

Digitized by Google

Reginarum, ac peracta per eas concordata in fidelitate Regia se adimpleturum spopõdit. Móxque Miles quidam nomine Galfridus de Langelia de familia Eadmundi fratris Regis Angliæ, cum litteris Regis Francorum revocantibus Constabularium Franciæ, qui cum exercitu profectus fuerat ut Vasconiam expugnaret, missus est ad eum. Rex etiam Angliæ Cantuariæ sollemnitatem Paschalem tenuit, ibidem ut Ambianis proficisceretur exspectans litteras de conductu. Johannes etiam de Laci Clericus prædictus in Vasconiam transmissus est, cum littera Ministris Regis Angliæ directa, secundùm formam prædictam. JOHANNES verò de sancto Johanne, quem Rex Anglorum Vasconiæ præfecerat, auditis pactis initis, omnia quæ ad munitiones castrorum & urbium providerat vendidit, discedénsque per Parisius versus Angliam iter suum direxit. Et ecce procurante pacis æmulo, immutatum est cor Regis Francorum, conductúsque Regis Angliæ denegatur, & littera Constabularii revocatoria per posteriorem litteram irritatur, & per Constabularium Vasconiam in manu potenti intrantem custodibus & ministris juxta tenorem litteræ apportatæ se subdentibus, in manu Regis Francorum accipitur terra tota: Ministríque omnes Regis Angliæ terræque custodes, obsides & captivi Parisius deducuntur. Post dies tamen aliquot Eadmundus Reginas rogavit, ut juxta sua promissa & pactiones initas, Regem Franciæ interpellarent super conductu Regi Angliæ concedendo, citatione revocandâ, terrâ restituendâ & obsidibus liberandis. Rex verò Francorum per quosdam milites missos ad Eadmundum infitiatur se quidpiam de talibus pactis scire.

Denique perpendens EADMUNDUS se fratrémque suum Regem Angliæ delusos, reversus in Angliam, Regem & Consilium suum ad plenum informat & certificat de re gesta. Igitur convocato Londonias Parliamento, cui Johannes Rex Scotorum interfuit, de consilio Præ-

Digitized by Google

latorum & Procerum cenſentium terram ſubdolè ablatam recuperandam gladio; Rex Angliæ ad Regem Francorum miſit Fratres Hugonem de Maveceſtria de Ordine Prædicatorum, ac Willelmum de Geineſburn Ordinis Minorum, Doctores Theologiæ, viros providos ac diſcretos, mandans ei per eoſdem, quòd cùm pacta inter progenitores eorum habita & ipſos, necnon & ſecretos tractatus, quos mediante germano ſuo cum eo habuit, violaſſet, non videbatur ſibi quòd ipſum Regem Angliæ, Ducémque Aquitanię hominem ſuum reputabat, nec ipſe homagio ſuo adſtringi ulteriùs intendebat.

Eodem tempore Rex Angliæ miſſo in Teutoniam Antonio Dunelmenſi Epiſcopo confœderavit ſibi ADULFUM Regem Romanorum. Exercitum etiam tranſmittendum adunari jubens apud Portemutam, JOHANNEM de Britannia nepotem ſuum Comitem Richemundiæ eidem præfecit, dans ei Conſiliarios IOHANNEM de ſancto Johanne & ROBERTUM Tipetoth, Milites prudentes & in bellicis rebus expertos. Navigium etiam ad cuſtodiendum mare in tres claſſes diſtinxit, tres præponens Admiralios, videlicet Gernemuthenſibus, & ceteris illius partis maribus JOHANNEM de Boutetort, Portemutenſibus WILLELMUM de Leibourne; Occidentalibus verò navibus & Hibernicis militem quemdam probum de Hibernia oriundum. Hoc anno conceſſa eſt Regi in ſubſidium guerræ ſuæ medietas à Clero, ſexta à civibus, & à reliquo populo decima pars bonorum. Fuit hoc anno in Anglia maxima cariſtia annonæ, pauperéſque paſſim afflicti inediâ moriebantur.

Papa electus eſt Petrus dictus Cæleſtinus V.

Hoc anno poſt vacationem diutinam electus eſt in ſummum Pontificem PETRUS de Murone, qui de Ordine S. Benedicti exiſtens, eremiticam duxit vitam. Hic ſublimatus in Papam, CÆLESTINUS dictus eſt quintus: qui unam ordinationem in menſe Septembri faciens, creavit duodecim Cardinales: Defunctóque Epiſcopo Oſtienſi Fratre Latino Ordinis Fratrum Prædicatorum, in

Digitized by Google

loco ejuſdem ſubſtituit Fratrem Hugonem de Billona, ejuſdem Ordinis, qui prius tituli ſanctæ Sabinæ fuerat Preſbyter Cardinalis.

Exercitus Regis Angliæ de Portamutha circa feſtum ſancti Michaëlis progrediens, vi ventorum repulſus applicuit Dertemutham. In craſtino verò ſancti Dionyſii captatâ aurâ curſu velivolo ad S. Mathæum in Britannia die ſecundo pervenit. Diſcedentes à Britannia, in craſtino Sanctorum Criſpini & Criſpiniani intraverunt oſtia Girundię fluvii à Burdegala deſcendentis, per quem adſcendentes captis duabus villis bonis ac muratis, Burgo ſuper mare, ac Blavio, curſu proſpero tranſeuntes coram Burdegala, Riſuncium pervenerunt, ubi redditâ eis villâ, equos ſuos de navibus eduxerunt. Eodem tempore Wallenſes inſurgentes contra Regem in diverſis partibus diverſos ſibi Principes prefecerunt. Aquilonares enim qui circa partes Suowdoniæ habitant, Capitaneum habentes etiam Ducem quemdam de genere Lewlini Principis ultimi Madocum nomine, villam & caſtrum de Karnarivian combuſſerunt, magnâ Anglicorum multitudine, qui nihil tale ſuſpicantes ad nundinas venerant, interfectâ. Occidentales verò Wallenſes præpoſito ſibi juvene quodam Mailgone, in partibus Penbrochiæ & Katermerdim mala plurima perpetrarunt. Quidam etiam Morganus dictus Wallenſes Auſtrales concitans, Comitem Gloverniæ Gilbertum, qui progenitores ſuos exheredaverat de terra ſua, quæ Glomergan dicitur, fugavit & expulit. Rex Angliæ Walliam ingreſſus, Eadmundum germanum ſuum & Henricum Comitem Lincolnię parantes ſe ad transfretandum in Vaſconiam cum exercitu, ad ſe in Walliam revocavit. Quibus in die ſancti Martini appropinquantibus caſtello Comitis Lincolniæ de Dunbey, Wallenſes in magna virtute occurrerunt, & conſerto gravi prælio repulerunt.

CÆLESTINUS Papa ſe minùs ſufficientem ad regendam Papatui ceſſit Cæleſtinus,

Digitized by Google

Ecclesiam sentiens, de consilio Benedicti Gagetani cessit Papatui, editâ priùs constitutione super cessione Pontificum Romanorum. ROBERTUS de Wincheleſe, Doctor sacræ Theologiæ à Papa Cælestino confirmatus, & in Archiepiſ. Cantuariensem in Curia consecratus in Angliam veniens, Johanni de Monemetha Doctori Theologiæ Episcopatum Landovensem auctoritate Papali contulit, qui jam vacaverat multis annis. In vigilia autem Natalis Domini apud Neapolim in Papam eligitur Benedictus Gajetanus, natione Campanus de Anagnia civitate. Hic BONIFACIUS octavus vocatus, statim post suam creationem Episcopum Ostiensem super quibusdam in præsentia Cardinalium arguens durissimè, pallii usu privavit, & nihilominus ab eodem ante restitutionem pallii coronatur. Rex autem Angliæ apud Abertoniam festum tenuit Nativitatis Dominicæ, ubi Archiepiscopum Cantuariensem ad se venientem, misso ei obviam ad securum conductum faciendum Clerico quodam Johanne de Berewico cum manu armata, gratiosè recepit, & fidelitate ejus quam ex more tenetur Regi facere admissâ, cum favore remisit.

Bonifacius VIII. in ejus locum subrogatur.

IN die Circumcisionis Domini reddita est Johanni de sancto Johanne civitas Baionensis, quam die præcedenti ceperant nautæ fortiter expugnatam, multósque de civibus quos Regi Anglorum adversari compertum est, præfatus Johannes captos, in Angliam per mare transmisit; obsidionem verò posuit circa castrum, quod post dies octo cepit, dominúmque, Asperimontis qui illud detinuerat cum aliis custodiæ mancipavit: duas etiam galeas pulcherrimas quas ad munimen urbis Rex Francorum fecerat, in usum suum accepit. Non multùm verò pòst reddita est Anglicis villa sancti Johannis de Sordes, multáque alias villas ceperunt & munitiones, quibusdam

Digitized by Google

ſe ſponte dedentibus, quibuſdam violenter ſubactis: auctúſque eſt Anglicorum exercitus in brevi, multis fraude Gallicorum cognitâ, ad fidelitatem Regis Anglię reverſis in quatuor millibus peditum, equitibúſque ducentis.

Rex Angliæ tranſito flumine de Conweie ut ulteriùs progrederetur in Walliam, cùm nondum totus comitaretur exercitus, captis bigis & curribus victualibus onuſtis à Wallenſibus, per tempus aliquod penuriâ coartatur, ita ut quouſque veniret ad eum reliqua pars exercitus, aquam melle mixtam biberet, panéque cum ſalſis carnibus veſceretur. Comes Warwici audito quòd Wallenſes in maxima multitudine in quadam planitie inter duo nemora ſe adunaſſent, aſſumptâ ſecum electâ militiâ cum balliſtariis & ſagitariis, de nocte ſuperveniens eos undique circumcinxit, qui fixis in terra lanceis cuſpides in oppoſitum irruentium dirigunt, ut ſic ſe ab impetu equitum tuerentur. Sed Comes inter duos equites poſito uno baliſtario, ac jaculis baliſtarum magnâ parte eorum qui lanceas tenebant proſtratis, cum turma equitum in reliquos irruens, tantam intulit ſtragem, quanta eis una vice illata non creditur temporibus retroactis. Interim Rex Angliæ ad compeſcendas Wallenſium inſolentias, caſtrum in inſula quæ Angleſia dicitur conſtruxit, quod Bellum-mariſcum voluit appellari. Vuallenſes fame & inediâ conſumpti, ad pacem Regis in brevi venire coguntur.

Eodem anno KAROLUS germanus Regis Francorum Vaſconiam cum exercitu ingreſſus, Riſuncium obſedit, & fugiente ejus Capitaneo JOHANNE de Britannia cum ROBERTO Tipetoth, paucis relictis ad tuitionem villæ militibus, feriâ quintâ in hebdomada Paſchæ cepit, militéſque ibi repertos, ſcilicet RADULFUM de Touy, AMICUM de ſancto Amando, cum fratre ſuo, RADULFUM de Gorges, ROGERUM de Leiburne, & JOHANNEM de Cretinge cum aliis militibus tredecim & ſcutiferis triginta tribus Pariſius tranſmiſit. Occiſus eſt ibi ADAM

Digitized by Google

de Cretinge Miles admodum probus, proditione cujuſdam militis nomine Valteri cognomento Giffardi, qui factus transfuga, moratus eſt in Galliis annis multis. Eodem die reddita eſt Anglicis villa S. Severi, cujus Capitaneus Hugo de Ver conſtituitur. KAROLUS autem egreſſus de villa & caſtro Riſuncii, S. Severum antequàm ſufficienter muniatur properat obſidere, quam in magnum Gallicorum diſpendium qui ibidem fame moriebantur & peſte, tenuit præfatus Hugo tredecim ſeptimanas. Deficientibus tandem iis qui intererant victualibus, per mediationem Comitum de Amidois* qui erat cum Hugone . . . . . qui erat cum Karolo, obtẽta eſt treuga dierum quindecim, infra quos liceret obſeſſis pro ſubſidio mittere in Baionam: Quo deficiente ad terminum prætaxatum, reddita eſt villa Gallicis, ita quòd ſalvata ſunt recedentibus arma cum ſupelectili ſua tota, dato conductu uſque ad duas dietas ab exercitu; remanentibus verò nulla eſt illata moleſtia, ſed potiùs obſides priùs adducti Toloſam, per Seneſcallum Regis Franciæ in villa repoſiti ſunt, reſtitutis eis omnibus rebus ſuis. KAROLUS poſitis in villa cuſtodibus, cum exercitu ſuo revertitur in Franciam: poſt cujus diſceſſum, infra paucos dies capta eſt villa ab Anglicis iteratò.

* *Hic error.*

Eodem anno duo Cardinales Albanenſis & Prænestinus primò ad Regem Franciæ, poſteà ad Regem Angliæ venerunt, miſſi à Papa Bonifacio pro pace inter Reges & concordia reformanda. Qui circa Pentecoſten venientes Londonias, ibibem ex mandato Regis adhuc in Vuallia exiſtentis ejus præſtolabantur adventum, qui fuit circa feſtum S. Petri ad vincula. Cardinales nuntium ſuum proſequentes, & pacem ſuadentes, treugámque duorum annorum petentes, reſpondentéque Rege quòd in pacem vel treugam abſque Regis Romanorum conſenſu aſſentire, propter fœdus inter eos initum & juramento firmatum, non poterat: Rogaverunt Regem, ut Regis Romanorum conſenſum in inducias

Digitized by Google

impetraret. Rege autem ob reverentiam Curiæ Romanæ petitioni eorum annuente, circa Nativitatẽ Virginis glorioſę in Gallias revertuntur. Circa feſtum verò S. Laurentii MADOCUS qui ſe Principem Wallię fecerat, captus, & Londonias ductus, perpetuæ cuſtodiæ mancipatur.

Claſſis Gallicana Dovoriam veniens, emiſit prædones qui ſpoliato Prioratu & uno Monacho ſene occiſo, partem magnam opidi incenderunt, quorum aliqui ante reditum ad naves interfecti ſunt, ſed plurimi evaſerunt. Citò pòſt verò galea quædam Gallicorum caſu quodam ad portum de Hyda appulſa, capta eſt per Johannem de Columbariis Militem nobilem, nautis qui eam abducere conabantur interfectis. Nautæ etiam Gernemuthenſes Cæſaris burgum in Normannia incendio vaſtaverunt, ſpoliatáque Abbatiâ Canonicorum Regularium, Canonicum quemdam ſenem in Angliam adduxerunt. Portuenſes quindecim naves Hiſpanicas onuſtas mercibus, tendentes in Damonem portum Flandriæ, captas deduxerunt Sandwicum. Johannes Rex Scotiæ homagii & fidelitatis ſuæ immemor, deſtinatis ad Regem Francorum Nuntiis WILLELMO ſancti Andreæ & WILLELMO Dunkelſenſi Epiſcopis, JOHANNE de Soules, & etiam GERANNO de Vinſtenule, Militibus, clam contra Regem Angliæ fœdus iniit, petens in affirmationem negotii matrimonium contrahi inter filium ſuum EDWARDUM ac nobilem puellam JOHANNAM filiam Karoli germani Regis Franciæ, ſpondens ſe velle Regem Angliæ totis viribus impugnare, & à guerra cum Rege Francię impedire; ſicut in ſcriptis inter utroſque Reges confectis pleniùs continetur. Elegerunt autem Scoti duodecim Pares, quatuor videlicet Epiſcopos, quatuor Comites, & quatuor Barones, quorum conſilio Rex Regnum ſuum gubernare debebat, per quos etiam ut in hanc conſentiret proditionem fuit inductus. Miles quidam dictus Thomas de Turbervile in Vaſconia captus, & Pariſius inter alios captivos deten-

Digitized by Google

tus, procurante civitatis ejusdem Præposito, liber dimittitur sponsione juramento firmatâ, quòd contra Regem Angliam commoveret. Qui cùm venisset in Angliam, proditionis convictus, tractus ac suspensus dignas luit sceleris sui pœnas.

HENRICUS de Hispania mortuo nepote suo Sanctio, custos Regni Castellę & filiorum Regis tutor efficitur. JACOBUS frater Alfonsi quondam Regis Aragoniæ, traditâ fratri suo juniori nomine Frederico Siciliâ, Regnum Aragoniæ post mortem fratris accepit, & uxorem ducens filiam Karoli Regis Siciliæ, reconciliatur Ecclesiæ, obsidibus quos frater suus tenuerat liberatis. GILBERTUS Comes Gloverniæ hoc anno dies suos clausit, relictis ex uxore sua Johanna filiabus tribus, & filio unico junioris ætatis nomine Gilberto. WILLELMUS etiam de Valentiis Comes Penbrochiæ moritur, & in Ecclesia Monachorum Vuestmonasterii sepelitur. Successit ei in Comitatu filius AYMERICUS. Rex Angliæ à Rege Scotorum (ignorans eorum proditionem) cùm auxilium pro guerra sua instanter petisset, & sibi responderetur in dubiis, suspectum habens negotium, rogavit ut ob securitatem usque ad finem guerræ castra tria, videlicet Berwici, Edeneburgiæ, Rokesburgiæ traderentur in manu sua, quæ post guerram restitueret, si eos sibi comperisset fideles. Quod cùm Scoti facere renuissent, Rex de proditione eorum certior, cum exercitu versus Scotiam progressus, disposuit eam vi subjicere, nisi ab his quæ referebantur, & quæ jam in opere ostendebantur, se possent legitimè excusare. In villis Flandriæ cùm Majores, qui Scabini dicuntur, in his propter quę discordia suborta erat inter eos & communem populum, judicio Comitis stare renuissent, ad Curiam Regis Francię appellârunt. Vocatus autem Comes à Rege cùm Parisius venisset, detentus ibidem est quousque filiam suam cum qua filius Regis Angliæ matrimonium (ut dicebatur) contracturus erat, pro se Regi Francorum obsidem reddidisset

PETRUS

Digitized by Google

An. Dom.	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCXCVI.	Bonifacii VIII. II.	Adulfi IV.	Philippi IV. XI.	Edvvardi III. XXIV.

PETRUS & JACOBUS de Columna à Cardinalatu per Papam Bonifacium deponuntur circa Conversionem S. Pauli. EADMUNDUS germanus Regis Angliæ associato sibi Henrico Comite Lincolniæ cum exercitu valido in Vasconiam transfretavit, cui redditum est feriâ quintâ in Cœna Domini castrum de Spara, & posteà alia castra plura. Cùm autem appropinquans Burdegalæ ad reficiendum se cum exercitu castra posuisset in villa quadam nomine Bochele, feriâ quartâ in hebdomada Paschæ Gallicorum exercitus de Burdegala egressus, disposuit ex improviso Anglicos tantùm per duas leucas ab urbe distantes celeriter occupare. Prænoniti aliquantulùm Anglici de adventu hostium, ad bellum se parant, & armati (prout articulus temporis permisit) parti occurrunt adversæ: consertóque gravi prælio non sine strage multa Gallos cogunt ad urbem reverti. Quos dum fugientes insequuntur, ingressi sunt urbem duo milites Anglicani, fratres domini Petri de Malolacu, & tertius cum duobus vexilliferis Johannis de Britannia & Alani la Souche, quos ceperunt Gallici portis clausis. Devastatâ verò magnâ parte suburbii incendio, EADMUNDUS propter quasdam causas arduas revertitur in Baionam, ubi non multo pòst in ægritudinem decidens, terminum vitæ clausit. Obsedit post hæc exercitus Anglicanus urbem Aquensem, sed penuriâ victualium coactus discedere, obsidionem omisit. Comes Attrabatensis per Regem Francorum in Vasconiam missus, munitiones quasdam de manu Anglicorum extorsit. Qui verò Burgum super mare tenebant, obsidente eos domino de Sulliaco, inducias impetrantes, usque Blavium pro commeatu nuntios transmiserunt. Ubi cùm navem victualibus onustam ceteri deducere recusarent, SYMON de Monteacuto Miles strenuus & cordatus per medias galeas Gallicorum, quæ ad prohibendum transitum navium fluvium ob-

Digitized by Google

ſervabant, adſpirante flatu proſpero uſque Burgum deduxit: quo cognito, ſolutâ obſidione dominus de Sulliaco revertitur in Gallias, intento fruſtratus.

FLORENTIUS Comes Holondiæ qui filium ſuum Regi Angliæ nutriendum tradidit, cui etiam Rex filiam ſuam ELIZABETH connubio jungere diſponebat, quemdam ſpurium ſibi volens heredem ſubſtituere, à propria gente necatur. Rex Angliæ immenſo cöadunato exercitu venit ad Novum-caſtrum ſuper Tinam, ad quem locum Johannem REGEM Scottorum citari fecerat edicto publico, ut de his quæ ſibi debebant objici reſponderet; quod ad diem præfixum nec per ſe comparente, nec per nuntium ſe excuſante, Rex de conſilio ſuorum decrevit ulteriùs procedendum. Interim Miles quidam ROBERTUS de Ros dominus caſtri de Werk, nonobſtante fidelitate quam Regi Angliæ juraverat, ad Scotos transfugit: ſuper quo germanus ejuſdem WILLELMUS de Ros Regem prçmuniens, petivit ſibi mitti ſubſidium quo poſſet caſtrũ defendere contra Scotos. Misítque Rex illuc viros mille, qui recepti in villa quadam dicta Preſtfeu, omnes eadem nocte à Scotis, quorum Capitaneus erat præfatus transfuga Robertus de Ros, interfecti ſunt, exceptis paucis qui dilapſi ſunt fugâ. Quo audito, mox Rex cum exercitu ad caſtrum illud properat gaviſus in hoc (ut fertur) quòd Scotti primi cœperant hoſtilia exercere. Rege itaque apud prædictum caſtrum Paſchalem ſollemnitatem peragente, ſeptem Comites Scotiæ de Bowan, de Meneteth, de Straderne, de Lewenos, de Ros, de Athel, de Mar, ac Johannes filius Johannis Comin, de Badenaw collecto exercitu valido in valle Avandiæ, feriâ ſecundâ Paſchæ Angliam ingreſſi, vaſtabant omnia cæde & incendio, non parcentes ætati vel ſexui, venientéſque Karleolum, urbem ipſam obſidione cinxerunt. Combuſto autem ſuburbio, cùm ad portam civitatis cremabilia congererent, nobilis quidam de Galwidia, dum portæ civitatis appropinquaret, unco ferreo ab his qui ſuper portam

Digitized by Google

erant attrahitur confossúsque lanceis enecatur. In carcere verò civitatis quidam explorator detentus, cùm adventum suorum audisset, carcerem incendit, cujus igne flatu venti in domos alias delato, urbis pars magna crematur. Viri tamen & mulieres ad muros concurrentes lapidibus & telis Scottos à muris propulsant, urbem viriliter defendentes. Scotti videntes se non proficere, feriâ quartâ omissâ obsidione in Scotiam redierunt.

Eadem, die scilicet feriâ quartâ in hebdomada Paschæ, Rex cum exercitu progrediens, transito flumine quod Tweda dicitur, Scotiam ingressus est, & Burgenses Berewici ad pacem invitans, per diem unum integrum exspectavit, quibus ad pacem venire nolentibus cœpit in die Veneris villæ appropinquare, fixis tentoriis in domo Monialium de Caldestreme, à qua distabat villa Berewici per dimidiam tantùm leucam. Advenerunt autem & viginti quatuor naves Angliæ, quarum nautæ incalescente sole exercitum Regium in quadam planitie præparatum conspicientes, ubi Rex novos milites fecerat, æstimantes Regem velle villæ dare insultum, portum ingressi & ad terram applicantes conflictum ineunt cum villanis, ubi quatuor navibus perditis, ceteræ cum refluxu salvæ & integræ revertuntur. Divulgato autem in exercitu facto nautarum, Rex à parte terræ transgressus sine difficultate fossatum, quod Scotti fecerant, villam occupavit, unico tantùm de suis militibus interfecto. Mercatores enim Flandrenses, qui in villa eadem domum ad modum turris fortissimam habebant, jacula mittentes in Anglicos & pila, RICARDUM de Cornubia Militem strenuum à casu spiculo trajecerunt. Ad quos cùm non de facili pateret accessus, allato igne incendio suffocantur. Eâdem nocte dormivit Rex in castro quod redditum est ei, salvis vitâ & membris his qui in eo erant, & præstito juramento quòd contra Regem Angliæ arma de cetero non portarent, omnésque quò volebant abire permittuntur, excepto eorum Capitaneo WILLELMO

Digitized by Google

Duglas, quem usque ad finem guerræ Rex secum retinuit. Dum autem Rex villam Berewici novo fossato muniret, circa ingressum mensis Aprilis venerunt ad eum Gardianus & Lector Fratrum Minorum de Roxesburgia, deferentes lirteras Johannis Regis Scotiæ, tenorem hujuscemodi continentes:

Epistola Regis Scotiæ ad Regem Angl. qua se purgare nititur, quòd fidem ipsi non præstiterit.

» MAGNIFICO Principi domino EDWARDO Dei gratiâ
» Regi Angliæ, JOHANNES eâdem gratiâ Scotiæ Rex.
» Cùm vos ac illi de regno vestro, vobis non ignorantibus
» vel ignorare non debentibus, per violentem potentiam
» nobis ac Regni nostri incolis graves, immo intolerabiles
» injurias, contemptus & gravamina, necnon & dam-
» na enormia contra nostras & Regni nostri libertates,
» ac contra Deum & justitiam notoriè & frequenter
» intuleritis, nos extra Regnum ad levem quamcumque
» suggestionem pro libitu vestræ voluntatis citando, &
» indebitè vexando, castra nostra & terras & possessiones
» nostras & nostrorum infra Regnum nostrum sine nostris
» demeritis occupando, bona nostra ac subditorum nostro-
» rum tam per terram quàm per mare rapiendo, & infra
» Regnum vestrum receptando, mercatores & alios Regni
» nostri incolas occidendo, hominésque nostros de Regno
» nostro violenter abducendo, ipsósque ibidem detinen-
» do & incarcerando. Super quibus reformandis Nun-
» tios nostros sæpe transmisimus, quæ non solùm adhuc
» remanent incorrecta, verùm eitam de die in diem per
» vos & vestros prioribus deteriora cumulantur. Vos nam-
» que jam cum innumerabili multitudine armatorum
» vestro exercitu publicè convocato, ad exheredandum
» nos & Regni nostri incolas, ad fines Regni nostri hostiliter
» accessistis, & ultrà progredientes in Regno nostro strages
» & incendia, necnon insultus & invasiones violentas tam
» per terram quàm per mare commisistis inhumanè. Nos
» dictas injurias, contemptus & gravamina & damna, nec-
» non & hostiles impugnationes ulteriùs sustinere non
» valentes, nec in fidelitate & homagio vestro licèt per
» violentam impressionem extortis manendo; contra vos

Digitized by Google

& ad defenſionem noſtram & Regni noſtri, cujus defenſioni & tuitioni vinculo juramenti ſumus adſtricti, nos volentes erigere: fidelitatem & homagium tam à nobis quàm ab aliis quibuſcumque Regni noſtri incolis fidelibus noſtris, ratione terrarum quas in noſtro Regno tenebant, & etiam ratione menagii ſeu retentionis noſtræ, nomine noſtro ac nomine eorumdem omnium & ſingulorum vobis reddimus per præſentes.

Rex auditâ hâc litterâ reſignationem homagii ſui admiſit, & Cancellario ſuo præcepit hanc litteram regiſtrari, ad perpetuam memoriam rei geſtæ. Comites Scotiæ ſuperiùs nominati, cum eorum comitiva apud caſtrum de Redeworthe coadunati, profecti ſunt in Angliam, & vaſtantes omnia cæde & incendio, uſque ad Prioratum Hauguſtuldenſem, & in eodem fugientibus Canonicis ſe quarto Idus Aprilis receperunt. Mane verò facto, Prioratum cum tota villa incendio deſtruxêre. Progreſſi inde ad domum Monialium de Lamelay, domibúſque quibuſdam ſalvâ Eccleſiâ incenſis, cum ingenti prędа in Scotiam revertuntur. Patricius Comes de Dunbar ad Regem Angliæ veniens, ſe eidem cum tota ſua ſubdidit poteſtate. Caſtrum de Dunbar in feſto S. Michaëlis obſeſſum à Scottis, fraude quorumdam in eo exſiſtentium redditum eſt eiſdem: pro quo recuperando miſit Rex JOHANNEM Sureiæ & WILLELMUM Warewici Comites cum militia magna valde. Quibus ſuperveniens Scottorum exercitus, ut obſeſſis ferret auxilium, excipitur pugnâ durâ: fugientibus tandem Scottis inſequuntur Anglici per octo miliaria ferè uſque ad foreſtam de Selelark, ſtragem nimiam ingerentes, ita ut cæſorum numerus ad decem milia hominum fuerit æſtimatus. Sabbato ſequente, videlicet decimo octavo Kalendas Maii Regi advenienti redditum eſt caſtrum, in quo capti ſunt Comites tres, de Menethet, de Aſceles & de Ros, Barones ſex, videlicet JOHANNES Comin junior, WILLELMUS de ſancto Claro, RICARDUS Siwardi ſenior, JOHANNES

Digitized by Google

Hinccivartino, ALEXANDER de Muravia, EADMUNDUS Comin de Kilbrid, cum aliis militibus viginti novem, Clericis duobus, & ſcutiferis octoginta tribus, quos ad diverſa caſtra Angliæ miſit Rex in cuſtodia detinendos.

Poſt captionem caſtri de Dunbar paucis diebus interpoſitis; acceſſit Rex ad Caſtrum Roxeſburgiæ, quod ſtatim redditum eſt ei à Seneſcallo Scotiæ. Deinde progreditur ad caſtrum Puellarum, quod octo dierum obſidione expugnatum eſt cuſtodibus ejus vitâ & membris conceſſis. Venerúntque ibi ad Regem Walenſes pedites in multitudine magna, remiſit ferè Rex in eodem numero Anglicos pedites fatigatos. Accedens inde ad caſtrum de Strivelin vacuum illud invenit, cuſtodibus dilapſis in fugã. Illuc cum militia ſua de Hibernia in ſubſidium Regis venit Comes Ultoniæ. Rex mare Scotianum tranſgreſſus, venit ad villam S. Johannis de Pert in feſto S. Johannis Baptiſtæ, ubi ſollemnitate peractâ per aliquot dies manſit.

Dum hæc agerentur, videns JOHANNES Rex Scotiæ, quia non haberet poteſtatem reſiſtendi, miſſis ad Regem Angliæ Nuntiis, pacem & miſericordiam imploravit. Cui Rex benignè annuens, remandavit ut ad caſtrum de Brithin cum Magnatibus terræ ſuæ veniret cum his quos Rex illuc mitteret Nuntios infra dies quindecim tractaturus. Miſitque illuc Rex Antonium Dunelmenſem Epiſcopum cum plena poteſtate Regia, ad quem venerunt infra præſcriptum tempus Rex Scotorum Magnatéſque ſui, qui poſt multos varióſque tractatus nudè & purè ſubjecerunt ſe & Regnum Scotiæ Regiæ voluntati, pro qua ſubmiſſione obſervanda, Johannes Rex Scotiæ filium ſuum obſidem tradidit, litteráſque confecit, continentes in Gallico hunc tenorem:

Tandem Rex Scotiæ à Rege Angl. pacem & miſericordiam poſtulat obtinetque.

» JOHANNES Dei gratiâ Rex Scotiæ omnibus præſentes litteras viſuris vel audituris ſalutem. Quia nos per malum conſilium ſimplicitatémque noſtram graviter offendimus & provocavimus dominum noſtrum EDWARDUM » gratiâ Dei Regem Angliæ, dominum Hiberniæ, Ducem

Digitized by Google

Aquitaniæ in multis, videlicet ineo quòd exſiſtentes & manentes in fide ſua & homagio ſuo, alligavimus nos Regi Franciæ qui tunc hoſtis ejus erat, & ad hoc etiam matrimonium fieri procurantes cum filia domini Karoli fratris ejus, & ut dominum noſtrum gravaremus, Regémque Franciæ juvaremus cum omni poteſtate noſtra per guerram modíſque aliis, deinde per noſtrum perverſum conſilium antedictum diffidavimus dominum noſtrum Regem Angliæ, & poſuimus nos extra fidem & homagium ſuum reddendo ei homagium ſuum, & miſimus gentes noſtras in terram ſuam Angliæ ad incendia facienda & prædas abducendas, ad homicidia & alia damna perpetranda, & terram Scotiæ quæ eſt de feodo ſuo, contra eum muniendo, ponentes & ſtabilientes gentes armatas in villis, caſtris & alibi ad defendendam terram contra eum, & defortiandum eum de feodo ſuo, pro quibus tranſgreſſionibus dominus noſter Rex Angliæ antedictus, ingreſſus terram Scotiæ, in fortitudine ſua eam conquiſivit & cepit nonobſtante omni eo quod facere potuimus contra eum: ſicut poteſt de jure facere tamquam dominus de feodo ſuo, quia nos ei homagium noſtrum reddidimus & fecimus rebellionem antedictam. Nos igitur exſiſtentes in plena poteſtate noſtra & libera voluntate, reddidimus ei terram Scotiæ, & gentem totam cum homagiis. In cujus rei teſtimonium fecimus fieri has litteras patentes. Data apud Brithin decimo die Julii, Regni noſtri anno quarto, conſignatâ litterâ factóque ſigillo cõmuni Scotię.

Proceſſit Rex ut videret montana Scotiæ, pręcedente eum ſemper per unam dietam Epiſcopo Dunelmenſi. Cúmque trãſiſſet Morawiam, & perveniſſet uſque Elgin, omnia videns eſſe pacata, converſo itinere revertitur Berewicum. In redeundo autem tranſmiſit per Abbatiam de Stone, ubi ſublato lapide quo Reges Scotorum tempore coronationis ſolebant uti pro throno, uſque Weſtmonaſterium tranſtulit illum, jubens inde fieri celebrantium cathedram Sacerdotum. Rex apud Berewicum

Digitized by Google

convocato, Parliamento, omnium Magnatum Scotiæ fidelitates recepit, & homagia, qui ad rei gestæ memoriam perpetuam confecerunt super hoc litteras patentes eorum sigillis munitas, cõtinentes in Gallico hunc tenorẽ.

" OMnibus præsentes litteras visuris vel audituris, JOHANNES Comin de Badenaw, &c. Quia fidem & voluntatem Illustrissimi Principis ac carissimi domini nostri domini Edwardi, Dei gratiâ Regis Angliæ, domini Hiberniæ ac Ducis Aquitaniæ venimus: promittimus pro nobis & heredibus nostris sub pœna corporum nostrorum & Catellonum * ac omnium quæ habere possumus, quòd nos serviemus ei bene & fideliter contra omnes gentes quę vivere & mori possunt, omnibus vicibus quibus requiremur vel præmuniemur * per antedictum dominum nostrum Regem Angliæ, vel heredes suos, & quòd nos non sciemus damnum eorum, quin illud impediamus omnibus viribus nostris, & eos præmuniemus, & ad ista tenenda & servanda obligamus nos & heredes nostros & omnia bona nostra. Insuper & juravimus tactis sacro-sanctis Evangeliis & præterea nos omnes & quilibet nostrûm pro se fecit homagium dicto domino nostro Regi Angliæ in hæc verba:

Id est * bonorum mobilium.

Id est * præmonebimur.

" Ego vester homo ligius efficior de vita & membris ac terreno honore contra omnes homines qui possunt vivere & mori: & idem dominus noster Rex recepit hoc homagium sub his verbus: Nos illud recipimus pro terris de quibus estis nunc seisiti, salvo jure nostro, aut alterius, & exceptis terris quas JOHANNES de Balliolo quondam Rex Scotiæ nobis contulit, postquàm nos ei Regnum Scotiæ liberavimus, si fortè aliquas terras dedit. Insuper nos omnes & singuli nostrûm pro se fecimus fidelitatem domino nostro Regi prædicto in his verbis: Ero fidelis legalis, fidelitatémque & legalitatem servabo EDWARDO Regi Angliæ, & heredibus suis de vita & membris & terreno honore contra omnes homines qui vivere possunt & mori, & nunquam pro aliquo portabo arma,

nec ero

nec ero in consilio vel auxilio contra eum vel heredes suos « aliquo casu qui possit contingere; sed fideliter recognoscam & fideliter faciam servitia, quæ pertinent ad tenementum quod de eo tenere clamito: sic me Deus adjuvet & omnes Sancti ejus. In harum rerum testimonium « factæ sunt istæ litteræ patentes, & sigillis nostris signatæ. « Datum apud Berewicum anno Regni Regis Edwardi Angliæ domini nostri vicesimo quarto. «

Ordinavit etiam Rex custodem Scotiæ JOHANNEM de Warenna Surreiæ & Susexiæ Comitem, Thesaurarium HUGONEM de Cresingham, Justitiarium WILLELMUM de Ormesbi, cui mandavit Rex ut omnes tenentes de Rege terras aliquas nominaret, & eorum homagia fidelitatésquer eciperet. JOHANNEM verò Scotiæ quondam Regem misit Londonias ad turrim, assignatâ ei decenti familiâ, liberúmque concessit exitum ad viginti miliaria circa urbem. JOHANNEM verò Comin de Badenau & alium de Bowan ceteróque terræ illius Magnates transtulit in Angliam ultra Trentam, sub pœna capitis reditum in Scotiam interdicens, quousque guerra sua cum Rege Franciæ finiretur. Rex Angliæ profectus in Angliam, apud S. EADMUNDUM Parliamentum tenuit in crastino Animarum*, in quo à civitatibus & burgis concessa est Regi octava, à populo verò reliquo duodecima pars bonorum. Clerus ob constitutionem Bonifacii Papæ hoc anno editam, quę prohibet sub pœna excommunicationis ne talliæ vel exactiones à Clero per sæculares Principes quocumque modo exigantur, vel eis solvantur de rebus Ecclesiæ, Regi pro guerra petenti subsidium denegavit. Rex autem ut de meliori responso deliberaret, negotium in aliud Parliamentum tenendum Londonis in crastino S. Hilarii distulit.

* *Idest*, Commemorationis pro defunctis die 2. Novemb.

Frater PETRUS de Murrone quondam Papa Cælestinus, per Bonifacium Papam captus & in arta detentus custodia, eâdem æstate soluto præsentis vitæ ergastulo, ad cœlestia regna migravit. Filii BLANCHÆ uxoris quon-

Digitized by Google

dam FERRANDI heredis Regni Caſtellæ ALFONSUS & FERRANDUS, audita morte patrui ſui SANCTII, Hiſpanias petunt, & confœderato ſibi JACOBO Rege Aragoniæ Regnum Legionenſe adquirunt, quod Alfonſus primogenitus patruo ſuo JOHANNI qui in ejus auxilium venerat contulit, ut de ſe teneret in feodum. Guido Comes Flandrenſis multis à Rege Francorum jnjuriis laceſſitus, confœderans ſe Regi Anglorum, homagio Regis Francorum renunciavit per Nuntios ad hoc miſſos.

Urbs Apamia proprium recepit Epiſcopum à Toloſano Epiſcopatu per Papam Bonifacium ſeparata; ſed citò poſt LODOWICUS filius Regis Siciliæ Epiſcopus Toloſæ factus, Epiſcopatum tenuit reunitum. Obiit Nicolaus de Longa Spatha Sareſberienſis Epiſcopus, ſucceſſit eidem Symon de Gandavo, vir magnæ ſapientiæ & eximiæ ſanctitatis. Cardinalis Albanenſis hoc anno reverſus in Angliam, Regem apud Berewicum adiit, reſponſum requirens de treuga quæ conceſſa non fuerat propter confœderationem ejus cum Rege Romanorum: à quo Regi reſponſum fuit, & per Regem Cardinali, quòd ipſe in treugam noluit aſſentire, reverſúſque eſt Cardinalis in Gallias, intentione ſua in hac parte fruſtratus.

MCCXCVII. | BONIFACII VIII III. | ADULFI V. | PHILIPPI IV. XII. | EDVVARDI III. XXV.

Filia Regis Angl. nubit. Comiti Roland.

ELISABETH filia Regis Angliæ poſt feſtum Epiphaniæ connubio jungitur JOHANNI Comitis Holandiæ filio & heredi, quem pro hereditate patris nuper occiſi aſſequenda unà cum uxore, conducente eos UMFRIDO de Boun Herefordiæ & Eſſexiæ Comite, remiſit Rex Angliæ ad propria cum honore. In parliamento Londonienſi poſt feſtum S. Hilarii Clero in denegatione ſubſidii perſiſtente, Rex ipſum à ſua protectione excluſit, pro qua tamen redimenda multi per ſe, multi verò per mediatores Regi bonorum ſuorum dederunt poſtea quintam partem. Rex Archiepiſcopum in hac parte rigidiorem comperiens, terras ejus omnes ſeiſivit, & de bonis

Clerus Angl. Regi negat ſubſidium.

Digitized by Google

ejuſdem debita in rotulis Scaccarii inventa præcepit cum celeritate levari. Feriâ quartâ ante Purificationem Comes Lincolnienſis, & Johannes de ſancto Johanne de Baiona reverſi, Bellamgardam quæ obſeſſa à Comite Attrabatenſi penuriâ victualium laborabat, progredientes ut eidem de victualibus providerent, cùm appropinquarent ſilvæ quæ per tria milliaria à loco præfato diſtabat, in duas ſe acies diviſerunt, quarum primam ducebat Johannes de ſancto Johanne, ſecundæ verò præerat ipſe Comes. Johannes itaque de ſancto Johanne ſuáque acies tranſitâ ſilvâ, cùm egrederetur in campi planitiem, obviam habuit Comitem Attrabatenſem; qui eum præſtolabatur cum magno exercitu, ubi ſtatim commiſſo prælio, ſubtrahente ſe Comite Lincolnienſi, pauci vincuntur à pluribus. Capti ſunt ibi JOHANNES de ſancto Johanne, WILLELMUS de Mortuomari, VUILLELMUS de Burmengeham cum aliis Militibus octo, ſcutiferíſque nonnullis, quos omnes tranſmiſit Comes Attrabatenſis Pariſius in pompam triumphi: Comes verò Lincolnienſis cum ſuis Baionam revertitur.

Commiſſo prælio vincuntur Angli à Comite Atrebat.

Hoc anno auxit Rex tributum de lanis, accipiens de quolibet ſacco quadraginta ſolidos, cùm priùs ultra marcam dimidiam non daretur. In feſto S. Mathiæ Rex quibuſdam terræ Majoribus apud Sareſberiam vocatis ad conſilium, rogavit eos ut eorum aliqui in Vaſconiam transfretarent, quibus renuentibus cœpit inter Regem & ſuos diſcordia pululare. Rex omnes qui ſibi ſervitium debebant, ceteróſque omnes qui viginti libratas terræ & ampliùs tenebant, citari fecit, ut Londoniis in feſto ſancti Petri ad Vincula parati eſſent cum equis & armis transfretaturi cum eo & Regis ſtipendiis militaturi. Cardinales qui à domino Papa miſſi fuerant pro pace reformanda inter Reges, indicentes duorum annorum treugam inter eos auctoritate Papali nihil proficere potuerunt. JOHANNES cui ALFONSUS Regnum Legionenſe contulerat ab hoſtibus capitur, pro cujus

Digitized by Google

redemptione reddidit omnia jam in Hiſpania conquiſita. Johannes liberatus à carcere, Regnum Legionenſe reddidit adverſariis, & tamquam ſpreto redemptore ſuo hoſtibus ſe conjunxit. ALFONSUS omni deſtitutus ſubſidio, fratrem ſuum Ferrandum pro auxilio petendo primò in Franciam, deinde ad Romanam transmiſit Curiam; ſed ex neutra parte aliquid reportavit. Cardinales de Columna per Papam Bonifacium depoſiti, ad urbem ſe conferunt Nepeſinam: contra quos damnatos tamquam Schiſmaticos & excommunicatos Papa viros bellatores in Italia cruce ſignat.

PHILIPPUS Francorum Rex Flandriam in manu potenti ingreſſus, villam Inſularum obſedit, ſuburbium deſtruens, & totam devaſtans per circuitum regionem. Comes Attrabatenſis de Vaſconia reverſus, bello juxta Furnas in Flandria commiſſo factúſque ſuperior villam cepit, & citò pòſt Regi Francorum villa redditur Inſularum.

Rebellant Scoti in Regem Angl.

Menſe Maio ejuſdem anni cœperunt Scotti inſtigante eos Vuillelmo Vualeis, qui ut fertur hactenus latro publicus fuerat, rebellare. Juſtitiarius Scotiæ Vuillelmus de Ormeſbi præceptum Regis exſequens, multos qui Regi Angliæ homagium & fidelitatem facere recuſabant, exſilio condemnavit, qui præfatum Vuillelmum etiam in Principem eligentes, aſſociato ſibi Willelmo Duglas, qui reddendo caſtrum Berewici ſe Regi dederat, in magnam turmam creverunt. Comite autem Surreiæ & Theſaurario in Anglia conſiſtentibus, Vuillelmum juſtitiarium apud Stone ſuis omnibus pæne ad hoſtium ſpolia relictis opprimere cogitabant; ſed ille licèt tardè præmunitus, eorum inſidias vix evaſit. Vuillelmus Vualeis igitur & cum ſuis palam debacchando in Anglicos, quoſcumque invenire potuit trucidavit, de quibus viros religioſos ligatis ad dorſum manibus cöegit ſaltare in fluvium, eorum ſubmerſionem in ludibrium convertendo. Rex hac commotione audita, pro veritate inquirenda miſit Dunelmenſem Epiſcopum, qui veritate

Digitized by Google

compertâ rediens, Regem de omnibus informavit. Rex iter in Flandriam admodum cordi habens, militiam totam ultra fluvium qui Trenta dicitur, assignavit Comiti de Vuarenna, præcipiens ut Scottorum audaciam celeriùs reprimeret, & auctores mali debitâ justitiâ castigaret. Scripsit etiam Johanni Comin de Badewan & Comiti de Bouvan, ut memores fidelitatis suæ reverterentur in Scotiam, & populi sui suscitatum jam tumultum sedarent: qui juxta mandatum acceptum in Scotiam revertentes, quæ pacis erant segniter exsequuntur. Comes de Warenna in provincia Eboraci coadunans exercitum, nepotem suum HENRICUM de Perci cum militia Comitatûs Carleoli præmisit in Scotiam, qui usque ad villam de Are profectus, Galwidienses ad pacem Regis admittere disponebat. Audito autem quòd Scottorum exercitus erat juxta Irwine, quod inde ad quatuor milliaria distabat, illuc profectus vidit ultra quemdam lacum Scottorum exercitum considentem, in quo Capitanei erant Episcopus Glascuensis, ANDREAS de Moravea Senescallus Scotiæ, & WILLELMUS Walensis. Miles autem quidam strenuus nomine RICARDUS de Lundi, qui Regi Angliæ nunquam homagium fecerat, relictis Scottis factus transfuga, se statim Anglicis sociavit. Reliqui pacem petentes, dederunt se salvis eis vitâ & membris, catallis & terris, ita ut omnia usque in hunc diem essent simpliciter condonata. Quam pacem promissis obsidibus & scripto confecto admisit HENRICUS, si tamen hoc Regi placeret, qui super hoc consultus, ne à cœpto impediretur itinere annuit postulata. Adveniente jam Comite Warennæ cùm Scotti tergiversando de die in diem differrent obsides reddere, & Willelmus Waleis interim populum adunaret, arbitrantes se Anglici proditos dum Scottos invadere disponunt, Episcopus Glacuensis & Willelmus du Glas ne proditionis notam incurrerent, se in sui excusationem protinus dediderunt, de quibus Episcopus in castro de Rokesburgia, Willelmus verò in

Digitized by Google

caſtro Berewici cuſtodiæ mancipantur.

Rex Angliæ in feſto S. Petri ad Vincula Londoniis parliamentum tenens, in primis Archiepiſcopum recepit in gratiam, omnibus quæ ejus erant reſtitutis eidem. Deinde præcepit Magnatibus qui tunc aderant ut fidelitatem filio ſuo facerent, ipſúmque Regni heredem & ſuum futurum recognoſcerent dominum. Rex verò de exactionibus in Regno factis per neceſſitates diverſarum guerrarũ ſe erga populum excuſavit. Comites Mareſcalli Herfodenſis ſe ſubtrahentes, cùm vocarentur, ut ſua officia tranſeundo in Flandriam exercerent, ſe ſuppliciter per nuntios excuſabant. Denique Rex ipſe funere fratris ſui Eadmundi anno prædicto in Vaſconia defuncti apud Weſtmonaſterium ſepulto uſque ad S. Albanum proficiſcitur, ubi de diſcretorum conſilio Radulfum de Meinhermer Militem, quem filia ſua Johanna Comitiſſa Gloverniæ clam maritum acceperat in gravem patris offenſam, de caſtro Briſtollii educi fecit, & uxori ſuæ reddi, reſtituens omnes terras ad Comitatum Gloverniæ pertinentes, ſervitiúmque quinquaginta militum in Flandriam imponens eidem: liberavit etiam de carcere Comites de Aſceles & de Meneteth, ac Johannem Comin cum quibuſdam aliis Comitibus de Scotia, qui in Caſtro de Dunbar capti fuerant, ut ſecum in Flandria militarent. Collecto denique exercitu qualem habere potuit, THOMA de Berkeleie Conſtabulario, & GALFRIDO de Genevile Mareſcallo factis, verſus mare in Flandriam profecturus iter ſuum dirigit, atque juxta Wincheleſeiam ubi portum elegerat conſedit, Milites viróſque bellatores de partibus diverſis ad ſe confluentes per dies aliquot exſpectando. Dum verò ibi moraretur, quadam die portum adire diſpoſuit, conſideraturus navigium quod adunatum fuerat pro exercitu ſuo in Flandriam tranſvehendo. Villa autem de Wincheleſeia, ubi portus erat, ſuper montem ſita eſt præruptæ altitudinis ex eo latere quo vel mare reſpicit, vel immi-

In Flandriam collecto exercitu Rex Angl. proficiſcitur.

Digitized by Google

net navium ſtationi, unde via quæ à porta villæ deducit ad portum, non in directum (ne nimia declivitate deſcendentes in præcipitium, vel adſcendentes repere potiùs manibus quàm ambulare cogat) tenditur; ſed obliqua in latus nunc ad unam partem, nunc ad aliam ſinuoſis flexibus ſæpiùs recurvatur. Cingitur nihilominùs villa non muro lapideo ſed aggere de terra facto, ac ſuper latus hoc præruptum in modum mœniorum* ad humanæ altitudinem ſtaturæ erecto, inter cujus propugnacula patet ad naves adſpectus.

* Pro mœnia

Ingreſſus itaque Rex villam, cùm juxta hanc equitaret, inter aggeris propugnacula contuendo claſſem in imo ſtantem, contigit ut molendino cuidam quod vento agebatur (cujuſmodi in villa illa ſunt plurima) appropinquaret, cujus equus ſtrepitu velorum citatiùs circumactorum à vento territus, dum progredi refugit, & à Rege ut progrederetur nunc flagelli quod manu geſtabat ictibus, nunc ſubditis calcaribus urgeretur, à latere aggeris propugnacula tranſilivit. Super quo multitudo tam equitum quàm peditum, quę vel Regem ſequebatur, vel ipſum viſura convenerat, nemine æſtimare valente, niſi quòd Rex jam non comparens præcipitio in hoc ſaltu periſſet, ſtabat admodum ſtupefacta; ſed divinâ diſponente virtute, equus à tanta altitudine in via quam deſcripſimus pedibus recipitur, in qua ex recente pluvia aliqualiter ſoluta in lutum, licèt lubricando labaret ad ſpatium duodecim pedum, non tamen cecidit, ſed per habenam alteram à Rege paululum regiratus, directè adſcendit ad portam, quam Rege ingreſſo incolumi, populus qui adſtabat admiratione & gaudio rapitur ſupra ſe, ſolum divinum in Regis ſalute miraculum contemplando. Nec multo pòſt ante Regis tranſitum, venerunt ex parte Comitum nuntii ad Regem petitiones in ſcriptis hujuſmodi proponentes:

HÆc ſunt nocumenta quæ Archiepiſcopi, Epiſcopi, « Abbates, Priores, Comites, Barones & tota terræ «

Digitized by Google

„ Communitas monſtrant domino noſtro Regi, & humili-
„ ter rogant eum, ut ea ad honorem & ſalvationem popu-
„ li ſui velit corrigere & emendare. In primis videtur toti
„ Communitati terræ, quòd præmonitio facta eis per breve
„ domini noſtri Regis non erat ſatis ſufficiens, quia non
„ exprimebatur certus locus quò debebant ire, quia ſecun-
„ dùm locum oportebat facere providentiam, & pecuniam
„ habere, ſive deberent ſervitium facere, ſive non : & quia
„ dictum eſt communiter, quòd dominus noſter vult tran-
„ ſire in Flandriam, videtur toti Communitati, quòd ibi non
„ debent aliquod ſervitium facere, quia nec ipſi nec præ-
„ deceſſores, ſeu progenitores unquam fecerunt ſervitium
„ in terra illa : & quamvis ita eſſet quòd deberent ibi ſervi-
„ tium facere, vel alibi, tamen non habent facultatem fa-
„ ciendi, quia nimis afflicti ſunt per diverſa tallagia, auxi-
„ lia, priſas, videlicet de avenis, frumentis, braſeo, lanis,
„ coriis, bobus, vaccis, carnibus ſalſis ſine ſolutione alicu-
„ jus denarii, de quibus debuerant ſe ſuſtentaſſe. Præter
„ hoc dicunt, quòd auxilium facere non poſſunt propter
„ paupertatem in qua ſunt propter tallagia & priſas antedi-
„ ctas, quia vix habent unde ſe ſuſtentent, & multi ſunt
„ qui nullam ſuſtentationem habent, nec terras ſuas colere
„ poſſunt. Præter hæc tota Communitas terræ ſentit ſe
„ valde gravatam, quia non tractatur ſecundùm leges &
„ conſuetudines terræ, ſecundùm quas tractari anteceſſo-
„ res ſui ſolebant, nec habent libertates quas ſolebant ha-
„ bere, ſed voluntariè excluduntur. Sentiunt ſe in multum
„ gravatos ſuper hoc, quòd ſolebant tractari ſecundùm
„ articulos contentos in magna charta, cujus articuli om-
„ nes ſunt omiſſi in majus damnum populi. Propter quod
„ rogant dominum noſtrum Regem, quòd velit iſta cor-
„ rigere ad honorem ſuum & ſalvationem populi ſui. Præ-
„ ter hæc Communitas terræ ſentit nimis ſe gravatam de
„ aſſiſa foreſtæ, quæ non eſt cuſtodita ſicut conſuevit, nec
„ charta foreſtæ obſervatur ; ſed fiunt attachiamenta pro
„ libitu extra aſſiſam aliter quàm fieri ſolebant. Præterea

tota

Digitized by Google

tota Communitas ſentit ſe gravatam de vectigali lanarum, quod nimis eſt oneroſum; videlicet de quolibet ſacco quadraginta ſolidos, & de lana fracta de quolibet ſacco ſeptem marcas. Lana enim Angliæ adſcendit ferè ad valorem medietatis totius terræ, & vectigal quod indè ſolvitur, adſcendit ad quintam partem valoris totius terræ. Quia verò Communitas optat honorem & ſalutem domino noſtro Regi, ſicut tenetur velle, non videtur eis quòd ſit ad bonum Regis quòd tranſeat in Flandriam, niſi plus eſſet aſſecuratus de Flandrenſibus pro ſe & pro gente ſua, & ſimiliter cum hoc propter terram Scotiæ, quæ rebellare incipit ipſo exiſtente in terra. Et æſtimabant quòd pejus facient cùm certificati fuerint quòd Rex mare tranſierit. Nec ſolùm pro terra Scotiæ; ſed etiam pro terris aliis quæ non ſunt adhuc modo debito ſtabilitæ.

Has petitiones cùm Rex apud Odomer juxta Vuincheleſeiam recepiſſet, reſpondit ſe talibus non poſſe ſine ſuo Conſilio reſpondere, cujus pars aliqua jam tranſiit in Flandriam, pars verò aliqua Londoniis eſt relicta. Rogavit autem per eoſdem nuntios Comites præfatos, quòd ſi ſecum tranſire nollent, ſaltem Regno ſuo in ſua abſentia non nocerent. Sperabat enim Deo favente reverti, & Regnum ſuum modo debito obtinere. Hac æſtate Comes Lincolnienſis, & qui cùm eo erant in Vaſconia, amoverunt obſidionem S. Kiterini, fugatis qui eam obſederant Toloſanis, in quorum terris incendia & depræ-dationes multas fecerunt.

Igitur decimo Calendas Septembris Rex naves ingreſſus, indiſſoluta claſſe ſulcato mari, ſexto Calendas Septembris applicuit in Flandriam, receptus in quadam villa juxta portum qui vocatur Excluſa: Nautæ Portuenſes & Gernemuthenſes mutuo flagrantes odio, evacuatis navibus ab his quæ militum erant, conſerunt ad

Flandriam ingreditur Rex Angliæ.

Digitized by Google

invicem gravem pugnam, ſuccumbentibúſque Gernemuthenſibus de manibus eorum viginti quinque incendio conſumuntur. Rex Angliæ Brugiam veniens, aſſenſum villanorum in conditiones inter ipſum & Comitem initas petivit ex parte ſua & Comitis, medietatem expenſarum offerens ad muniendam cingendámque villam foſſato. Quæ cùm villani renuerent, comperit eos à ſuo alienatos dominio, & ad reddendam villam Gallicis inclinatos, reputánſque periculoſum moram facere inter proditores, armato exercitu diſcedens, verſus villam Gandavenſem dirigit iter ſuum, ubi dum moraretur Rex, ſuborta eſt apud villam Damonem diſcordia inter villanos & Anglicos, qui ſtatim armati villam ipſam multis interfectis deprædati ſunt in diſplicentiam magnam Regis. Rex Francorum audito adventu Regis Anglorum in Flandriam, vehementer conſternatus, ad unius dietæ ſpatium ſe ſubtraxit.

Interim Papa BONIFACIUS Principibus Alemanniæ ſcripſit, ut Regem ADULFUM, (cujus occurſum in Flandria ſperaverat Rex Angliæ, ut ſimul cum Comite oppreſſores invaſoréſque ſuos Gallicos propulſaret) commoto bello inquietarent, & ab invaſione Gallicorum modis omnibus impedirent. Comites Herfordiæ & Mareſcalli cum complicibus ſuis, poſt Regis tranſitum Theſaurario & Baronibus de Scaccario inhibuerunt, ne levari facerent octavum denarium à populo, qui Regi conceſſus fuerat apud S. Eadmundum. Cives etiam Londoniarum induxerunt ut pro recuperandis ſuis libertatibus ſecum ſtarent.

Hoc anno B. Lodovicus Francorum Rex à Papa Bonifacio Sanctorum catalogo eſt adſcriptus. Civitate Nepeſinâ expugnatâ, Cardinales fugientes ſe receperunt in oppido de Columna. Papa Bonifacius Conſtitutiones quaſdam prædeceſſorum ſuorum extrà vagantes, adjectis quibuſdam novis in unum volumen redigi fecit hoc anno,

Librum VI. Decretal. Bonifacius Papa conſtituit,

Digitized by Google

quod tertio die Maii coram Consistorio lectum & approbatum, constituit sextum Decretalium appellari.

Eodem anno idem Papa Fratri Willelmo de Hotun, Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum Angliæ Archiepiscopatum contulit Dublinienſem, indulgens eidem, ut à quocumque Epis. Cathol. & ubicumque decreverit valeat consecrari. Hic Frater Willelmus postquàm Ordinem ingressus est, cùm esset vir acutissimi ingenii, Doctor in Theologia Parisius factus est. Erat autem jocundus in verbis, in affatu placidus, religionis honestæ, in omnium oculis gratiosus, qui cum Rege in Flandriam profectus, ibidem à domino Dunelmensi munus consecrationis accepit, per cujus mediationem ex parte Anglicorum, & Ducis Britanniæ ex parte Gallicorum inter Reges acceptæ sunt induciæ, & ultra datos terminos sæpiùs prorogatæ. Interim verò diversi hinc inde habiti sunt de pace inter Reges reformanda tractatus, quorum apud omnes finis sperabatur optatus, si de mutuo assensu Reges fuissent ad invicem collocuti. Itaque Rege Angliæ in Flandria commorante, locum ejus in Anglia tenuit filius suus EDWARDUS, cui quia minoris ætatis erat, pater Rectores Consiliariósque deputaverat RICARDUM Londonienſem Episcopum, & WILLELMUM Comitem Warewicensem, necnon etiam Milites REGINALDUM de Gray, JOHANNEM Giffard, ALANUM Plukenet viros emeritæ militiæ, providos & discretos.

De pace tractant Reges Franc. & Angliæ.

Exeunte verò mense Augusto Comes Warenniæ, cùm promissionem factam à Scottis de obsidibus videret decidere in nihilum, Vuillelmúmque Vualleis populum commoventem, & Magnates sub dissimulatione ista promittentes de Berewico progreditur versus, Strivelin exercitu adunato, ubi venerunt ad Comitem Warenniæ Senescallus Scotiæ & Comes de Lewenes, rogantes ut quiesceret dum ipsi populum Scotorum ad pacem Regis reduce-

Rebellant Scoti.

Digitized by Google

re attentarent. Cùm autem non proficerent, redierunt quarto Idus Septembris, ſe cum quadraginta equis in Comitis adjutorium redituros in craſtino promittentes. Quo die miſſi ſunt Nuntii ad VUILLELMUM Vualeis & Scottos qui cum eo erant, invitantes eos ad pacem Regis, & pro retroactis impunitatem ſpondentes. Qui reſponderunt ſe ad pugnam, non ad pacem veniſſe. Diſſuadente autem RICARDO de Lundi ne Anglici pontem tranſirent, quia non poſſent ſimul in multitudine aliqua progredi; ſed tantùm bini vel terni ad plus; nihilominùs tamen ſuadentibus aliis, elegit cuſtos ut per pontem tranſirent. Et ecce antequàm tranſiret exercitûs medietas, ſupervenit multitudo Scottorum & cum his qui jam tranſierant congreſſa, pænè omnes qui tranſierant peremerunt. Inter paucos qui evaſerunt fuit MARMEDUCUS de Tuenge qui in magna virtute obtinuit pontem, ut ſalvus rediret. Cuſtos Scottiæ uſque Berewicum fugiens, caſtri de Strivelin commiſit cuſtodiam Marmeduco. Seneſcallus Scotiæ & Comes de Lewenes videntes Anglicos corruiſſe, transfugerunt ad Scottos. Cecidit in hoc prælio HUGO de Creſſingham Theſaurarius Scotiæ, quem Scotti ob odium ſpeciale excoriantes, pellem ejus in particulas diviſerunt. Cuſtos Scotiæ de Berewico fugit in Angliam, adiens filium Regis, fugerúntque poſt eum & ceteri Anglici qui in Berewico erant, villam Scottis vacuam relinquentes. Cuſtodes tamen caſtri illud tenentes viriliter defenderunt.

Pax Scottis à filio Regis Angl. proponitur.

Dum hæc agerentur à Scottis ſuaſum eſt filio Regis à Conſilio ſuo, ut Comites Herfordiæ & Mareſcalli vocaret, & ſi quo modo poſſet ad pacem alliceret. Qui cùm vocati venirent, in formam pacis ſubſcriptam voluerunt, & in nullam aliam conſentire. Primò quòd dominus Rex chartam magnam cum ceteris articulis adjectis, & chartam de Foreſta annuat & confirmet, & quòd nullum au-

Conditiones

Digitized by Google

xilium vel vexationem exigat à Clero vel populo in posterum absque consilio & assensu, & quòd omnem offensam Comitibus & eorum confœderatis dimittat. Articuli adjecti ad magnam chartam sunt isti: Nullum tallagium vel auxilium per nos vel heredes nostros de cetero in Regno nostro imponatur sine voluntate & assensu communi Archiepiscoporum, Episcoporum & aliorum Prælatorum, Comitum, Baronum, Militum, Burgensium & aliorum liberorum hominum. Nullus minister noster, vel heredum nostrorum in Regno nostro capiat blada, lanas, coria, aut aliqua alia bona cujuscumque sine voluntate & assensu illius cujus fuerint. Nihil capiatur de cetero nomine vectigalis de sacco lanæ. Volumus etiam & concedimus pro nobis & heredibus nostris, quòd omnes Clerici & laïci de Regno nostro habeant omnes leges, libertates & liberas consuetudines ita liberè & integrè, sicut eas aliquo tempore consueverunt meliùs pleniúsque habere, & si contra illas vel quemcumque articulum in præsenti charta contentum statuta fuerint edita per nos vel anteceſſores nostros, vel consuetudines introductæ, volumus & concedimus quòd hujusmodi statuta vacua sint & nulla in perpetuum. Remisimus etiam Umfrido de Boun Comiti Herfordiæ & Essexiæ Constabulario Angliæ, Rogero Bigot Comiti Norfolchiæ Marescallo Angliæ & aliis Comitibus, Baronibus, Militibus, armigeris, Johanni de Ferrariis ac omnibus aliis de eorum societate, confœderatione & concordia existentibus, necnon omnibus, viginti libratas terrarum tenentibus in Regno nostro, sive de nobis, sive de alio quocumque in capite, qui ad transfrerandum nobiscum in Flandriam certo die nominato vocati fuerunt & non venerunt, rancorem nostrum & malam voluntatem, quam ex causis prædictis erga eos habuimus. Transgressionésque si quas nobis vel nostris fecerint usque ad præsentem chartæ

Digitized by Google

confectionem, & ad majorem hujus rei ſecuritatem, volumus & concedimus pro nobis & heredibus noſtris, quòd omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi Angliæ in perpetuum in ſuis Cathedralibus Eccleſiis habita præſenti charta & lecta excommunicēt publicè & in ſingulis Parochialibus Eccleſiis ſuarum Dioceſium excommunicari faciant, ſeu excommunicatos denuntiari bis anno, omnes qui contra tenorem præſentis chartæ vim & effectum in quocumque articulo ſcienter fecerint, aut fieri procuraverint quoquo modo. Miſſis ſic in Flandriam nuntiis ad ipſum Regem, confirmationem omnium iſtorum per chartam ſub ſigillo ſuo tamquam ab eo qui in arto poſitus erat, & cedendum malitiæ temporibus cenſuit, obtinuerunt.

Pro confirmatione harum rerum dederunt Regi populus denarium nonum, Clerus Cantuarienſis decimum, & Clerus Eboracenſis quintum, quia propior damno erat. Mandavit etiam Rex Comitibus & Magnatibus terræ, quòd Comiti de Warenna Cuſtodi Scotiæ aſſiſterent, ad comprimendum rebelliones Scottorum, præfigens eis terminum octavas S. Hilarii, in quo parati forent Eboraci contra hoſtes ulteriùs progreſſuri, ad quem diem & locum mandavit Majoribus Scotiæ ut venirent, alioquin hoſtes publici haberentur. Ante Natale Robertus de Clifford Miles illuſtris cum centum armatis, qui erant in præſidio civitatis Carleoli, Scotiam ingreſſus, cædes & incendia exercuit, & abductâ prædâ magnâ Carleolum eſt reverſus. In feſto ſanctorum Innocentium venerunt in Flandriam ad Regem Angliæ Magiſter Ordinis Prædicatorum & Miniſter generalis fratrum Minorum ſub eadem forma, qua ante Regem Fran. ex parte domini Papæ rogaverant, ſupplicantes quatinus nuntios ſollemnes ad Curiam Romanam, conceſsâ eis plenâ poteſtate tractandi, ordinandi & perficiendi omnia quæ pacis reformationem tangerent, deſtinarent, & ipſe Apoſtoli-

Pacem inter Reges Franc. & Angl. Papa procurat.

Digitized by Google

cus non tanquam Judex; ſed ut bonus pacis mediator in nullius præjudicium ſatageret, ad pacem & tranquillitatem Regnorum, Regum amicitiam in ſtatum priſtinum reformare. Et quia hoc abſque treugis fieri non poſſe judicavit dominus Papa, ideò per hos nuntios biennales inducias quas per Cardinales imploraverat, indixit de novo ſub pœna excommunicationis & interdicti terrarum ſuarum.

Non ut Iudex, ſed ut mediator.

MCCXCVIII. | BONIFACII VIII. IV. | ADULFI VI. | PHILIPPI IV. XIII. | EDVVARDI III. XXVI.

REx Angliæ perpendens ſe in Flandria periculosè commorantem, illúcque per informationem Comitis minùs prudenter attractum, Regnumque proprium inteſtina ſeditione turbatum, fiduciámque ſuam de Rege Romanorum per Papam ſibi minùs benivolum Regnum Teutoniæ turbantem fruſtratam: conſenſit in treugas indictas. Convenítque inter Reges ut captivi interim taxatâ eorum redemptione liberarentur hinc inde, ea conditione, ut ſi pax non fieret, redirent ad ſuas cuſtodias, vel redemptionem ſolverent jam taxatam. Transmittunt igitur Reges utrique nuntios ſollemnes cum plena poteſtate ad Romanam Curiam, ut per mediationem Apoſtolici, non tamquam judicis, ſed amicabilis compoſitoris diſcuſſis negotiis, pax inter Reges & concordia reformetur.

Suſcitata eſt poſt hæc apud Gandavum ſeditio per filios Comitis Flandriæ & villanos contra Anglicos, quorũ* villa per Wallenſes incenſa fuiſſet, niſi Rex accurrente ad eum Comite impetum impediſſet. Comes Warennæ Cuſtos Scotiæ ac Comites alii, juxta mandatum Regium Eboracum convenientes in octavis S. Hilarii publicata confirmatione chartarum articulorúmque adjectorum, verſus Scotiam proceſſerunt. Majores Scottorum Eboracum non venientes ſecundùm vocationem Regiam, ſe infra terræ ſuæ terminos tenuerunt. WILLELMUS Wa-

**Scilicet* Villanorum non autem Anglorum.

Scotti pacem renuunt.

Digitized by Google

LEIS castrũ de Rokesburgia jam diebus multis obsederat; sed audito adventu Anglicorum in multitudine magna, diffugit. Comites venientes Rokesburgiam munito castro ac consolatis obsessis digressi suntusque Keslon, & inde reversi sunt usque Berewicum quam jam Scottis vacuam invenerunt. Dúmque ibi morarentur, mandavit eis Rex de treugis acceptis & reditu suo, celari jubens ne ante adventum suum acccepta occupatione Berewici aliquid quo paterent discrimini attentarent. Remissâ igitur majori parte exercitus, & retentis qui ad detentionem villæ possent sufficere, adventum Regium exspectabant. Circa principium Quadrageſimæ ROBERTUS de Clifford cum his qui erant in præsidio Karleoli, Scotiam ingressus, vallæ Amandię combusta rediit cum præda multa. Deinde cùm Rex Angliæ reversurus ad propria venisset ad villam quæ Ardeburgia dicitur, Scotti ferè omnes quos secum Flandriæ duxerat in expeditionem, ab ipso Rege discedentes, Parisius abierunt.

Rex EDWARDUS in Angliam veniens, ad Regem Francorum misit pro liberatione captivorum juxta formam conditam, à quibus Rex Francorum liberationem JOHANNIS quondam Regis Scotiæ exegit, quem de suis asseruit fuisse alligatis. Super quo Rex Angliæ requisitus, cùm recusaret eum reddere, dicens conventionem tantùm de illis captivis factam, qui in guerra Wasconiæ capti fuerant, hinc inde dilata est in annum sequentem liberatio captivorum.

Rex Angliæ interim Scottorum rebelliones reprimere disponens, & eos ad debitam coërcere subjectiouem, Parliamentum tenuit Eboraci, vocatísque Majoribus Scottorum, cùm non venirent, suis indixit ut cum equis & armis parati essent Rokesburgiæ in festo S. Johannis Baptistæ. Rex interim visitato sancto Johanne de Beverlaco, rediens ROKESBURGIAM invenit ad terminum præfixum exercitum congregatum. Comites Herfordiæ & Marescalli, quia confirmatio chartarum fuerat facta in

terra

Digitized by Google

terra aliena, petierunt ad majorem ſecuritatem eas iterum confirmari, ſpoponderunt autem pro Rege Epiſcopus Dunelmenſis, ac Comites JOHANNES Sureiæ, WILLELMUS Wrarewici, RADULFUS Gloverniæ, quòd obtentâ victoriâ Rex eas poſt ſuum reditum confirmaret. Proficiſcitur deinde Rex cum exercitu ad villam quamdam, quæ dicitur Templehiſtone, remisítque inde Epiſcopum Dunelmenſem ad capiendum caſtrum de Oryntono cum duobus aliis caſtris, quorum cuſtodes præter alia mala invaſerant extrema caſtrorum. Quorum primum cepit Epiſcopus, cuſtodibus liberis dimiſſis. Reliqua duo capta ſunt per novos milites & incenſa. Dum Rex apud Templehiſtone moraretur cum exercitu juxta flumen, exſpectando adventum navium, quæ apud Berewicum oneratæ victualibus fuerant, contigit ut ipſis adverſo vento per menſem impeditis, exercitus affligi inciperet inediâ atque fame. Quo cognito Scotti maximum coadunant exercitum, ſperantes Anglicos jam fame deficientes opprimere ſine mora. Et ecce triduo antequàm venirent Scotti, naves applicant cum victualibus, quibus diſtributis reficiuntur ſinguli juxta votum. Audito deinde quòd venirent Scotti, Rex obviam progreditur, & nocte ſeperveniente in quadam campi planitie cum exercitu armato reſedit. In aurora verò terribilis quidam clamor inſonuit, quo excitati omnes, Scottóſque in vicino æſtimantes celeriùs ſe parant ad pugnam. Dextrarius verò Regis tumultuoſo actus clamore Regem jam adſcendentem recalcitrando dejecit, lateríque ejus calces poſteriores allidens duas ei coſtas confregit, qui nihilominùs equum alium adſcendens, progredientem ad prælium comitari exercitum non omiſit. Itaque juxta locum qui FAUKIRKE dicitur, in die beatæ Mariæ Magdalenæ congrediuntur ambo exercitus, fugientibúſque ſtatim Scottorum equitibus, Anglici inſequuntur cædentes, & ſtragem magnam ingerentes, ut eorum qui ceciderant de Scottis in hoc prælio numerus

Angli commiſſo prælio de Scotis referunt Victoriam.

Digitized by Google

existimetur à pluribus viginti millia excessisse. In principio autem prælii Præceptor militiæ Templi in Anglia, & socius ejus qui erat Præceptor Scotiæ, Scottorum agmini se immiscentes, ante alios oppressi eorum multitudine, sunt perempti.

Post hæc vastata est villa S. Andreæ nemine resistente, exinde per forestam de Selkike venerunt Anglici ad castrum de Are, quod Robertus de Brus fugiens incendit, vacuúmque reliquit, transeuntésque per villam Avandię ceperunt castrum de Lomauban. Cùm autem venisset Rex Karleolum, Comites Herfordiæ & Marescalli licentiâ acceptâ ad propria redierunt. Rex verò primò Dunelmiam deinde usque Tinemue, & inde usque Godingham juxta Beverlacum progressus, ibidem Natalis Domini festum peregit. Post quod versus partes Regni Australes iter suum direxit.

Albertus interfecto Adulfo Rex Roman. eligitur.

Eodem anno Albertus Dux Austriæ contra Adulfum Regem Romanorum dimicans, ipsum interfecit in campo, & citò pòst in Regem Romanorum loco Adulfi electus, sollemniter coronatur. Petrus & Jacobus de Columna destructo castro de Columna fugiunt Prænestę, ubi ab exercitu Papæ obsessi, tandem se humiliant, & Idibus Octobris ad Papam venientes, veniam postulant de commissis. Beatus Lodowicus in crastino S. Bartholomæi de loco sepulcri, in capsam pretiosam ad hoc paratam transfertur. Frater Nicolaus de Trevisio Magister Ordinis Prædicatorum, ad Cardinalatum assumptus, fit Episcopus Ostiensis.

MCCXCIX. | BONIFACII VIII V. | ALBERTI I. I. | PHILIPPI IV. XIV. | EDVVARDI III. XXVII.

Inter Reges Franc. & Angliæ agente Papa pax est finita.

Papa Bonifacius submissionibus Regum receptis pacem & concordiam inter Reges ordinavit, ita ut Rex Angliæ sororem, & filius ejus filiam Regis Francorum ducerent, certis pro utrisque dotibus diffinitis, & quòd Ducatus Aquitanniæ in ma-

Digitized by Google

nus domini Papæ traderetur, quousque discussâ utriusque Regis justitiâ, justo domino redderetur, & quòd Rex Angliæ naves superstites cum mercibus de illis quibus raptæ erant restitueret, sed super his duobus articulis intercidit magna dilatio, Rege Francorum partem quam in Vasconia occupavit, tradere renuente. Filii KAROLI Regis Siciliæ PHILIPPUS & ROBERTUS ingressi Siciliam, dum Siculos satagunt expugnare, Philippus cum gente sua tota à Siculis capitur. Rex Tartarorum ab urbe Jerosolymitana expulit Saracenos. Karolus Comes Valesii missus in Flandriam contra Comitem, receptus est pacificè apud Brugas. PETRUS & JACOBUS de Columna timentes sibi iterum fugiunt, & toto tempore Bonifacii Papæ in loco latent ignoto.

Rex Angliæ in principio Quadragesimæ Parliamentum tenuit Londoniis, ubi rogatus à Comitibus sæpedictis ut chartarum confirmationem renovaret, secundùm quod in Scotia promisserat. Post aliquales dilationes instantiæ eorum adquievit, hac conditione *salvo jure coronæ nostræ* in fine adjecta, quam cùm audissent Comites, cum displicentia ad propria discesserunt: sed revocatis ipsis ad quindenam Paschæ ad votum eorum absolutè omnia sunt concessa. Perambulatio autem foreſtæ commissa est per totam Angliam tribus Episcopis, totidemque Comitibus, Baronibúsque in eodem numero, ut ipsi Deum habentes præ oculis, exsecutionem facerent, & si qua emergerent dubia, illa secundùm Deum & justitiam declararent. In Translatione beati Thomæ Martyris Cantuariam venerunt Nuntii Papæ, Regem rogantes ut JOHANNEM quondam Regem Scotiæ suæ liberaret custodiæ, spondentes quòd Regem & Regnum ab omni quod per hanc liberationem posset contingere periculo reservarent. Quorum petitioni Rex condescendēs Nuntiis Papæ liberavit eum, quem translatum in terram Ballioli, quam habuit in Regno Franciæ, reliquerunt sub certorum custodia Prælatorum. Post hæc alii captivi

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

à Regibus detenti, hinc inde ſecundùm conditiones in treugarum conceſſione poſitas liberantur. Rex Angliæ in Nativitate Virginis glorioſæ apud Cantuariam MARGARETAM ſororem Regis Franciæ deſponſavit. In feſto S. Martini Parliamento habito apud Eboracum, Rex Berewicum progreditur, intendens ulteriùs procedendo amovere obſidionem Scottorum circa caſtrum de Strivelin, ubi valde artati fuerunt obſeſſi; ſed cauſantibus Majoribus loca paluſtria propter brumalem intemperiem immeabilia eſſe, præmonitis cautè obſeſſis, ut ſalvis vitâ & membris caſtrum redderent: poſt Natale quod ibidem tenuit, in Angliam eſt reverſus, infra Natalis ſollemnia prohibita eſt moneta alienigenarum, ſub ſimilitudine ſterlingorum introducta. Hoc anno circa Aſſumptionem beatæ Virginis MARIÆ obiit Henricus Eboracenſis Archiepiſcopus, cui ſucceſſit Thomas de Colebruge, Doctor in Theologia eximius.

Rex Angliæ ſororem Regis Franc. uxorem ducit.

MCCC.	BONIFACII VIII. VI.	ALBERTI I. II.	PHILIPPI IV. XV.	EDVVARDI III. XXVIII.

PAPA BONIFACIUS indultum faciens omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui per anni hujus ſpatium, ac per quemlibet annum centeſimum futurum, Romam ad beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas voto peregrinationis humiliter acceſſerint & devotè, cunctorum ſuorum conceſſit indulgentiam peccatorum. Rex in Parliamento Londoniis in Quadrageſima confirmationes chartarum confirmavit, & ſtatuta quædam edidit de finibus & liberationibus chartarum, quæ ſunt utilia valde Regno. Circa feſtum verò beati Johannis Baptiſtæ profectus eſt in Scotiam, ubi initis treugis uſque Pentecoſten ſequentem in Angliam eſt reverſus. Eodem anno natus eſt Regi ex Regina MARGARETA filius, quem THOMAM vocavit. Comes Flandriæ cum ſuis dedens ſe CAROLO Comiti Valeſii, Pariſius ducitur cum duobus filiis, & apud Compendium

Digitized by Google

AN. DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

in custodia detinetur. RADULFUS filius Alberti Regis Romanorum Blancam sororem Regis Franciæ Parisius desponsavit. Saraceni Luceriæ urbis Apuliæ, sub tributo Regis Siciliæ viventes, capti necantur. Et Rex Rom. aliam sororem.

MCCCI.	BONIFACII. VIII. VII.	ALBERTI I. III.	PHILIPPI IV. XVI.	EDVVARDI III. XXIX.

REGI Anglorum secundus ex Regina Margareta nascitur filius, quem vocavit EADMUNDUM. Apamiensis Episcopus de conspiratione contra Regem Francorum accusatus, & ad Regis Curiam vocatus, in custodia detinetur. Mense verò Februario ad mandatum domini Papæ liberatus, jubetur unà cum Nuntio domini Papæ Regnum evacuare infra certum terminum à Rege præfixum. Papa BONIFACIUS omnes gratias à se vel à prædecessoribus suis concessas Francorum Regibus revocavit, & in eumdem citò pòst excommunicationis sententiam fulminavit, quam tamen Regi nemo ausus est nuntiare, vel in Regno Franciæ publicare, fecit etiam citari Prælatos omnes de Regno Franciæ, necnon & omnes Magistros in Theologia, & in Jure tam Canonico quàm Civili, ut coram eo Romæ in Kalendis Novembris personaliter comparerent. Rex Franciæ publico prohibuit edicto, ne quis aurum vel argentum, seu merces quascumque exportaret de Regno suo, sub forisfactione omnium bonorum, adjectâ nihilominùs pœnâ gravi. Fecit etiam omnes Regni exitus & introitus ubique diligentissimè custodiri. Papa BONIFACIUS legitimavit filios SANTII Regis Castellæ, cujus primogenitus FERRANDUS obtinuit Regnum patris.

Papa Regem Franc. excommunicat.

Edicit Rex ut aurum, argentum & merces extra Regni sui limites non transferantur.

Rex Angliæ parliamemtum tenuit Stanfordiæ, ad quod convenerunt Comites & Barones cum equis & armis, eo ut dicebatur proposito, ut executionem chartæ de Foresta hactenus dilatam extorquerent ad plenum. Rex autem eorum instantiam & importunitatem attendens, eorum voluntati in omnibus condescendit. Eodem anno Papa Bonifacius per Scottos informatus,

Digitized by Google

Papa literis Regi Angl. mandat sibi Regnum Scotiæ competere.

Regi Angliæ litteras suas direxit, asserens Regnum Scotiæ ad jus Romanæ Ecclesiæ pertinere, Regémque Angliæ subjectionem ejus contra Deum & justitiam, & in prejudicium Sedis Apostolicę vendicare rationes allegans subscriptas. Primò quia cùm HENRICUS pater Regis istius auxiliũ obtinuisset in guerra contra SYMONEM de Monteforti à Rege Scottorum ALEXANDRO, ne hoc auxilium jure subjectionis cujuslibet aut debiti petitum aut prestitum putaretur, idem Henricus per litteras suas patentes recognovit non ex debito recepisse, sed ex gratia speciali. Iterum ad coronationem hujus Regis vocatus per litteras, ut ei præsentiam suam amicabilem in tantis sollemniis tamquam amicus exhiberet, non venit ex debito, sed ex gratia speciali. Insuper pro terris de Tindale & Penrith in Regno Angliæ positis, cùm Rex Scotiæ ad præsentiam Regis Angliæ se personaliter contulisset, eidem fidelitatem impensurus pro eisdem terris tantùm in Anglia sitis, non ut Rex Scotiæ, nec pro Regno Scotiæ fidelitatem eamdem exhibuit; quia palam coram populo protestatum erat, quòd pro Regno Scotiæ fidelitatem aliquam Regi Anglię facere non debebat. Item quòd prędictus Rex ALEXANDER reliquit puellam heredem nomine MARGARETAM, neptem Regis Angliæ, tunc minoris ætatis, cujus custodia non ad Regem Angliæ velut ad dominum supremum pervenit; sed ad ceteros ejusdem Regni Scotiæ Proceres ad hoc electos. Redarguit etiam dominus Papa Regem, eo quòd post mortem dicti Alexandri Regis, Scottos tanquam acephalos & Ducis suffragium non habentes, ipsos per vim sibi subjugavit & metum, in præjudicium & gravamen non modicum Romanæ Ecclesiæ. Adjiciens, quòd cùm dominus Papa officium legationis alicui committit exsequendum in Regno Angliæ causâ solutionis decimę, vel etiam pro quavis alia causa rationabili, & hujusmodi legatio litteris & privilegio speciali dictę Apostolicæ Sedis ad dictum Regnum Scotiæ se non extendit, resistendum est

Digitized by Google

& obstandum hujusmodi legationi: prout tempore felicis recordationis ADRIANI contigit evidenter. Nam Legatus ipse ad præfatum Regnum Scotiæ aliquatenus admissus non extitit, donec per litteras Apostolicas speciales sibi legationis officium fuit in eodem commissum. Iterum addidit, quòd idem Regnum per beati Petri Apostoli venerandas Reliquias, non sine superni dono Numinis conversum exstitit ad fidei Catholicæ unitatem: Et qualiter etiam antiquis temporibus Eboracensis Archiepiscopus, qui tunc erat motâ per eum super jure Metropolitano adversus Prælatos Scotiæ quæstione, pro se nequiverit sententiam obtinere.

His propositis monuit Regem dominus Papa per litteras suas, quòd Episcopos, Abbates electos, & omnes alios Regni Scotiæ, quos detinebat captivos in carcere, liberè abire permitteret, & quòd Officiales suos de Regno Scotiæ memorato revocaret, quos in præjudicium, injuriam & grave scandalum fidelium populorum, & oppressionem justorum in dicto Regno statuerat & ordinaverat, ita quòd acceptior & gratiosior fieret Deo, & favorem Apostolicæ Sedis in hoc sibi adquireret pleniùs, & si in eodem Regno Scotiæ, vel aliqua ejus parte jus aliquod se habere assereret, per procuratores & nuntios suos, ad hoc specialiter constitutos, cum juribus & monumentis hujusmodi negotium tangentibus ad Sedem Apostolicam destinaret, super præmissis plenæ complementum justitiæ recepturus.

Rex Apostolicis litteris ex deliberato apud Lincolniam convocato Consilio pro jure suo declarando litteram hujus tenoris rescripsit:

ALTISSIMUS inspector nostræ scrinio memoriæ indelebili stilo novit inscribi, quòd antecessores & progenitores nostri Reges Angliæ juris superioris & directi dominii ab antiquissimis retro temporibus Regno Scotiæ & omnibus ipsius Regibus, & temporalibus & annexis eisdem præfuerunt, & ab eisdem pro Regno Scotiæ & ejus- « Respondet Rex Angl. « litteris Papæ, probās « ad ipsum « Scotiæ Regnum non « pertinere. «

Digitized by Google

„ dem Proceribus, à quibus volebant legalia homagia rece-
„ perunt, & fidelitatis debita juramenta: Nos juris & domi-
„ nii poſſeſſionem cõtinuantes pro tempore noſtro eadem
„ tam à Rege Scotiæ recepimus, quàm à Proceribus ipſius
„ Regni. Quinimmo tantâ juris & dominii prærogativâ ſu-
„ per Regnum Scotiæ & ejuſdem Regem gaudebant, quòd
„ Regnum ipſum fidelibus ſuis conferebant. Reges etiam
„ ex juſtis cauſis amovebant, & conſtituerunt ſub ſe loco
„ ipſorum alios regnaturos, quæ proculdubio notoria fuiſſe
„ & eſſe creduntur apud omnes, licèt forſitan paternis
„ veſtris auribus per pacis æmulos & rebellionis filios fuerit
„ aliud falſa inſinuatione ſuggeſtum, à quorum machinoſis
„ & imaginariis figmentis, ut veſtræ ſanctitatis oculus
„ avertatur ſuppliciter quæſumus, & paternam clementiam
„ & excellentiam devotis affectibus exoramus, ut brevita-
„ tis causâ geſtis anteriorum temporum ſalvis quædam
„ exempli causâ tangamus.

„ EDWARDUS ſenior dictus, filius Chifodi Regis Anglię,
„ Scottorum, Combrorum & Stragewallorum Reges,
„ tamquam ſuperiori dominio ſubjectos habuit & ſub-
„ miſſos. ADELSTANUS Rex Angliæ CONSTANTINUM
„ Regem Scottorum ſub ſe regnaturum conſtituit, dicens
„ glorioſiùs eſſe Regem facere, quàm Regem eſſe. Et eſt
„ in memoria, quòd idem Adelſtanus intercedente S. Jo-
„ HANNE Beverlaco, quondam Archiepiſcopo Eboracenſi
„ Scottos ei rebellantes devicit: Qui gratias Deo devotè
„ agens Deum exoravit, petens ut interveniente beato
„ Johanne, ei aliquod ſignum evidens oſtenderetur quo
„ tam ſuccedentes quàm procedentes cognoſcere poſſent
„ Scottos jure ſubjugari Regno Anglorum, & videns
„ quoſdam ſcopulos juxta quemdam locum de Dunbar in
„ Scotia præeminere, extracto gladio de vagina, percuſſit
„ in ſilicem, qui lapis ad ictum gladii, Dei virtute agente,
„ ita cavatur, ut menſura poſſit longitudini coaptari. Et
„ hujus rei hactenus evidens ſignum apparet, & in Bever-
„ lacenſi Eccleſia in legenda beati Johannis ſingulis heb-

domadibus

domadibus per annum ad laudem & honorem S. Johannis « pro miraculo recitatur, & de hoc exſtat celebris memo- « ria tam in Anglia quàm in Scotia uſque in diem præſen- « tem. Item CONSTANTINUS Rex Scottorum & EUGENIUS « Rex Cimborum* ad prædictum Regem Angliæ ADEL- « STANUM, poſt aliquam diſſenſionem inter eos habitam, « venientes, ſe cum Regnis ſuis eidem Adelſtano dedidere, « cujus facti gratiâ filium Conſtantini ipſe Adelſtanus de « ſacro fonte ſuſcepit. Item EDREDO Regi Angliæ Scotti « ſine bello ſe ſubdiderunt, & eidem Regi Edredo tanquam « domino fidelitatem juraverunt. «

Item cùm EDGARUS Rex Angliæ Regem Scottorum « KYNADYUM, & Cimbrorum MALCOLINUM, « Regéſque plurimarum Inſularum, alióſque quinque « Regulos ſubjugaſſet, & remigando per fluvium de Hee « in quadam navi prope proram ſediſſet, fertur ipſum « dixiſſe, ſucceſſores ſuos poſſe gloriari ſe Reges Anglo- « rum eſſe, cùm tantâ honoris prærogativâ frueren- « tur, quòd ſubjectam habebant tot Regum potentiam. « Poſt dictum Edgarum ſucceſſivè regnaverunt Reges An- « gliæ, S. EDWARDUS Martyr, ETHELDREDUS frater ejus, « EADMUNDUS dictus Ireneſide filius Etheldredi, & HIRI- « CIUS qui eorum temporibus Regnum Scotiæ in ſua ſubje- « ctione pacificè tenuerunt: hoc dumtaxat excepto quòd « anno quinto decimo Hiricii prædicti, idem Hiricius Sco- « tiam rebellantem expeditione illuc ductâ, & Regem « Scotiæ parvo ſubegit negotio, ſubditúſque eſt eidem præ- « dictus Malcolinus. Quibus HARALDUS filius Canuti & « HARDEKANUTUS frater ejus, unus poſt alium Reges An- « gliæ ſucceſſerunt, qui ſibi ſe regnantibus ſubjectionem « Regni Scotiæ pacificam habuerunt. Item S. EDWARDUS « Rex Angliæ Regnum Scotiæ MALCOLINO filio Regis « Cimbrorum de ſe dedit tenendum. «

Item WILLELMUS Baſtardus Rex Angliæ à MAL- « COLINO Rege Scotiæ, tamquam à ſuo homine ſibi ſubdi- « to recepit homaginm. Item WILLELMO Rufo Regi An- «

* *Sive*, Combrorum

Digitized by Google

„ gliæ, prædictus Malcolinus Rex Scottorum juramento
„ fidelitatis ſubjectus fuit. Item prædictus WILLELMUS
„ Dwenaldum de Regno Scotiæ ex juſtis cauſis amovit, &
„ DUNETANUM filium Malcolini Regno Scotiæ præfecit,
„ & recepit fidelitatem ab eo & juramentum, dictóque
„ Dunetanno doloſè perempto, dictus Rex præfatum
„ DWENALDUM, qui iterum Regnum Scotię invaſerat,
„ amovit ab eodem, & EDGARUM filium dicti Malcolini
„ Regem Scotiæ conſtituit, & eidem Regnum illud dona-
„ vit, cui ſucceſſit ALEXANDER filius Edgari conſenſu Re-
„ gis Angliæ HENRICI primi, fratris dicti Regis Willelmi
„ Rufi. Item MATHILDI Imperatrici, filiæ & heredi
„ HENRICI Regis prædicti, DAVID Rex Scotiæ fecit homa-
„ gium. Item WILLELMUS Rex Scottorum pro Regno
„ Scotiæ, & DAVID filius ejus, Comites & Barones Re-
„ gni Scotię devenerunt homines HENRICI filii Regis An-
„ gliæ Henrici ſecundi. In craſtino coronationis prædicti
„ Henrici filii Henrici ſecundi patre vivente, & fidelitatem
„ ei juraverunt; contra omnes homines ſalvâ fidelitate
„ debitâ patri viventi.

„ Anno verò viceſimo Regni Regis Henrici ſecundi prę-
„ dicti dictus WILLELMUS Rex Scottorum rebellare inci-
„ piens, venit in Northumbriam cum exercitu magno, &
„ exercuit in populo ſtragem magnam. Cui occurrentes mi-
„ lites Comitatus Eboraci apud Alvewik ipſum ceperunt,
„ & dicto Henrico Regi Angliæ reddiderunt. Anno ſe-
„ quenti, quinto-decimo Kalendas Maii, idem Rex
„ WILLELMUS permiſſus eſt liberè abire. Poſtea verò
„ Eboracum anno eodem ſeptimo Kalendas Septembris,
„ idem Willelmus Rex Scottorum de conſenſu Prælato-
„ rum, Comitum & Baronum, Procerum & aliorum Ma-
„ gnatum Regni Scotiæ, domino ſuo Regi Angliæ Henrico
„ filio Matildis Imperatricis prędictæ, ſuis litteris paten-
„ tibus caviſſe noſcitur, quòd ipſe & heredes & ſucceſſo-
„ res ſui Reges Scotiæ, Epiſcopi, Abbates, Comites &
„ Barones, & alii homines Regni Scotię, de quibus do-
„ minus Rex HENRICUS voluerit, facient Regi Angliæ

Digitized by Google

homagium, fidelitatem & ligantiam ut ligio domino « contra omnem hominem. Item Episcopi, Comites « & Barones conventionaverunt (ut verbis ejusdem « conventionis utamur) domino Regi, & HENRICO « filio suo prædictis, quòd si Rex Scotiæ aliquo tem- « pore à fidelitate Regis Anglię & conventione prædicta « recederet, ipsi cum domino Rege Angliæ tenebunt sicut « cum ligio domino suo contra Regem Scotiæ, quousque « ad fidelitatem Regis Angliæ redeat, quam quidem com- « positionem felicis recordationis GREGORIUS nonus in « diversis scriptis Regibus Angliæ directis mandavit firmi- « ter observari; continentibus etiam inter cetera quòd « WILLELMUS & ALEXANDER Reges Scotiæ, Regibus « Angliæ JOHANNI & HENRICO ligium homagium & fide- « litatem fecerunt, quam tenentur successores eorum, « Comites & Barones Regni Scotiæ ipsi & suis successori- « bus exhibere: & iterum quòd cùm idem Rex Scotię homo « ligius sit ipsius Henrici Regis Angliæ, & eidem præsti- « terit fidelitatis juramentum, quòd in ipsius Regni & « Regis Angliæ detrimentum nihil debeat attentare. «

Et Papa Clemens scribens Regi Angliæ, pro Jo- « hanne Episcopo S. Andreæ expulso ab Episcopatu « suo per Regem Scotię inter cetera rogavit, quòd WIL- « LELMUM Scotiæ moveret & induceret, & si necessariè « fuerit districtione Regali quâ ei præeminet, & concessâ « suæ Regiæ Celsitudini potestate compelleret, ut dicto « Episcopo omnem rancorem animi remitteret, & Episco- « patum suum eum habere permitteret. Et post conven- « tionem prædictam in Ecclesia beati Petri Eboraci coram « prædictis Regibus Angliæ & Scotiæ, & DAVID fratre suo « & universo populo, Episcopi, Comites & Barones & Mili- « tes de terra Regni Scotiæ, juraverunt domino Regi An- « gliæ, & HENRICO filio & heredibus eorum fidelitatem « contra omnem hominem sicut ligiis dominis suis. Et « idem WILLELMUS Rex Scotiæ ad mandatum HENRICI « Regis prædicti, venit apud Northamtoniam ad Parlia- «

Digitized by Google

» mentum domini ſui, adducens ſecum omnes Epiſcopos
» Abbates, Priores totius Regni ſui, & venit etiam ad
» mandatum ejuſdem Regis in Normanniam. Et idem
» Rex Willelmus poſt deceſſum Henrici veniens Cantua-
» riam, RICARDO Regi Angliæ filio & heredi dicti Henrici
» fecit homagium. Quo Ricardo viam univerſę carnis
» ingreſſo, præfatus WILLELMUS JOHANNI Regi An-
» glię frátri & heredi prædicti Ricardi extra civitatem Lin-
» colniæ in conſpectu totius populi fecit homagium, & ju-
» ravit ei fidelitatem ſuper crucem HUBERTI tunc Cantua-
» rienſis Archiepiſcopi, & eidem Iohanni domino ſuo con-
» ceſſit per chartam ſuam, quòd ALEXANDRUM filium ſuum
» ſicut hominem ligium ſuum maritaret, promittendo fir-
» miter in charta eadem, quòd idem WILLELMUS Rex
» Scotiæ & ALEXANDER filius ſuus HENRICO filio JOHAN-
» NIS Regis Angliæ, tanquam ligio domino ſuo contra
» omnes mortales fidem & fidelitatem tenerent, à quo
» quidem Willelmo Rege Scotiæ poſtmodùm pro eo
» quòd deſponderat filiam ſuam Comiti Boloniæ, præter
» JOHANNIS Regis domini ſui aſſenſum, pro tranſgreſſione
» & temera præſumptione hujuſmodi debitam ſatisfactio-
» nem ſuſcepit.

» Item ALEXANDER Rex Scotiæ ſororius noſter Regi
» HENRICO Angliæ patri noſtro, pro Regno Scotię, &
» poſtea nobis fecit homagium. Vacante deinde Regno
» Scotiæ per mortem Alexandri Regis illius, & ſubſequen-
» ter per mortem MARGARETÆ ejuſdem Scotiæ Reginæ
» & dominæ proneptis noſtræ, Epiſcopi, Abbates, Priores
» Comites & Barones, Proceres & ceteri nobiles & Com-
» munitates totius Regni Scotiæ, ad nos tamquam ad de-
» fenſorem, Ducem, Aurigam, Capitaneum & dominum
» capitalem ejuſdem Regni ſic vacantis, gratis & ſponta-
» nea voluntate accedentes, prout tenebantur de jure jus
» noſtrum progenitorum & anteceſſorum, ac poſſeſſionem
» ſuperioris & directi dominii in regno eodem, & ipſius
» Regni ſubjectionem, ex certa ſcientia purè, ſimpli-

Digitized by Google

citer & absolutè recognoverunt, & præstitis ab eis nobis tamquam superiori & directo domino Scotiæ debitis & consuetis fidelitatis juramentis, ac civitatibus, burgis, villis, castris & ceteris mansionibus ejusdem Regni in manum nostram traditis, ad custodiam ejusdem Regni certos jure nostro regio Officiales & Ministros deputavimus, quibus ipsi tempore vacationis hujus concorditer fuerunt obedientes, & intendentes Regiis nostris præceptis & mandatis.

Postmodùm autem diversæ partes super successione in dictum Regnum Scotiæ jure hereditario inter se contendentes, ad nos tamquam ad superiorem dominum Regni Scotiæ accesserunt, petentes super successione Regni prædicti sibi per nos exhiberi justitiæ complementum, volentes & expressè consentientes coram nobis, tanquam coram superiori & directo domino in omnibus ordinandis stare & obtemperare, ac demum judicialiter propositis & sufficienter auditis, rimatis & examinatis & diligenter intellectis partium juribus, finaliter in præsentia omnium Prælatorum & nobilium quasi totius Regni Scotiæ, & de voluntate & assensu expresso eorumdem procedentes, JOHANNEM de Balliolo debitè præfecimus in Regem Scottorum, quem tunc in successione ejusdem Regni heredis jura invenimus habere potiora; qui quidem Prælati, Comites & Barones, Communitates ac ceteri incolæ regni ipsius sententiam nostram acceptaverunt, approbaverunt, & ipsum Johannem de mandato nostro virtute hujus judicii in Regem suum admiserunt, ac idem Johannes Rex Scotiæ pro Regno suo prędicto nobis homagium debitum & consuetum fecit, & fidelitatis juramentum prędstitit, & extunc tam in Parliamentis quàm in Consiliis nostris, tamquam subditus noster, sicut alii de Regno nostro interfuit, & nostri tamquam domini sui superioris beneplacitis & mandatis obediens & intendens exstitit, quousque idem JOHANNES Rex Scotiæ, & Prælati, Comites & Barones, No-

Digitized by Google

» biles, Communitates, ac ceteri incolę majores ejuſdem
» Regni, ex præconcepta malitia & prælocuta, ac præor-
» dinata proditione cõmunicato conſilio cum Francis tunc
» inimicis noſtris capitalibus notoriis amicitias copularunt
» ac pactiones, conſpirationes & conjurationes in exhere-
» dationem noſtram & heredum noſtrorũ ac Regni noſtri,
» contra debitum homagium nobis, in crimen læſæ-maje-
» ſtatis nequiter incidendo, fidelitatis juramentum inierunt
» cum iiſdem. Verùm cùm præmiſſa relatione & famâ pu-
» blicâ ad aures noſtras deveniſſent, volentes futuris peri-
» culis præcavere, quæ ex his & aliis poſſent nobis, Regno
» noſtro & Regni noſtri incolis veriſimiliter provenire;
» pro ſecuritate Regni noſtri acceſſimus ad confinium
» Regni utriuſque, pluries mandantes eidem JOHANNI jam
« Regi Scotię, ut ad certa loca in confinio prædicto ad nos
» accederet ſuper præmiſſis & aliis, aſſecurationis ſtatum,
» tranquillitatem & pacem Regni utriuſque contingenti-
» bus tractaturus. Qui ſpretis mandatis noſtris, in ſua per-
» ſiſtens perfidia, ad bellicos apparatus cum Epiſcopis,
» Comitibus & Baronibus Regni Scotiæ, ac etiam aliis
» ceteris conducticiis contra nos, Regnum noſtrum & Re-
» gni noſtri incolas hoſtiliter ſe convertens accinxit, & ad
» hoſtiles aggreſſus & incurſus procedens, Regnum no-
» ſtrum invaſit, & quaſdam villas Regni noſtri Angliæ per
» ſe & ſuos deprædatus eſt, eáſque vaſtavit incendio, homi-
» nes noſtros interfecit, & nonnullis nautis noſtris per eos
» peremptis, naves hominum noſtrorum & Regni Angliæ
» comburi fecit, & è veſtigio, aggredi; redditíſque no-
» bis homagio & fidelitate tam pro ſe quàm pro aliis qui-
» buſcumque Regni ſui incolis, per litteras ejuſdem Regis
» verba offenſionum exprimentes, & inter alia verba diffi-
» dationis continentes, Comitatus noſtros Northumbriæ,
» Cumbriæ & Weſtmerlandiæ Regni noſtri Angliæ con-
» gregato exercitu ingenti hoſtiliter per ſe & ſuos invaſit,
» ſtragem innumeram hominum noſtrorum, incendia Mo-
» naſteriorum & Eccleſiarum, & villarum inhumanè per-

Digitized by Google

petrando, & patriam undique depopulando, infantes in cunabilis, mulieres in puerperio decumbentes gladio trucidârunt, & quod auditu horrendu m eſt, à nonnullis mulieribus mamillas atrociter abſciderunt, parvos Clericulos primam tonſuram habentes,& Grammaticam addiſcentes ad numerum circiter ducentorum in ſcholis exſiſtentes, obſtructis oſtiis ſcholarum igne ſuppoſito cremaverunt.

Nos quoque cernentes tot damna, opprobria, facinora & injurias in exheredationem noſtram & deſtructionem populi noſtri proditionaliter irrogari, nec valentes ratione juramenti, quo ad confirmationem jurium coronæ Regni noſtri ſumus adſtricti, premiſſa facinora ulteriùs concelare, nec jura noſtra relinquere indefenſa, cùm per leges ipſum JOHANNEM tunc Regem Scotiæ gentémque ſuam nobis ſubditam juſtificare non poſſemus, nec ipſum Regnum Scotiæ, quod à longiſſimis temporibus, ſicut ſuperiùs exprimitur, nobis & progenitoribus noſtris feodalè exſtitit in cauſis prædictis: contra dictum Johannem & gentem Scottorum vires potentiæ noſtræ extendimus, prout de jure nobis licuit, & proceſſimus contra ipſos tamquam hoſtes noſtros & proditores. Subjecto itaque Regno Scotiæ & jure proprietatis noſtræ ditioni ſubacto, præfatus Johannes quondam Rex Scotiæ, ipſum Regnum Scotiæ quatenus de facto tenuit, ſponte, purè & abſolutè reddidit in manum noſtram, proditiones & ſcelera memorata coram nobis & Proceribus noſtris publicè recognoſcens. Quo peracto, præfati Comites & Barones, Nobiles & Communitates Regni Scotiæ, quos ad pacem noſtram Regiam ſuſcepimus, ſubſequenter homagia & fidelitates nobis tamquam immediato domino & proprio ejuſdem Regni Scotiæ fecerunt & præſtiterunt, ac etiam redditis nobis ejuſdem Regni civitatibus, villis, caſtris, munitionibus ac ceteris locis omnibus ad dictum Regnum ſpectantibus, Officiales noſtros & Miniſtros ad regimen ejuſdem Regni Scotiæ

Digitized by Google

» præfecimus jure noſtro. Cúmque jure pleno dominii in » poſſeſſione ejuſdem Regni exiſtere dignoſcamur, non » poſſumus, nec debemus quin inſolentiam ſubditorum no- » ſtrorum rebellium, ſi quos invenerimus præeminentiâ » Regiâ, prout expedire viderimus, reprimamus.

» Quia verò ex præmiſſis & aliis conſtat evidenter & no- » torium exſiſtit, quòd prælibatum Regnum Scotiæ tam » ratione poſſeſſionis quàm proprietatis ad nos pertinet » pleno jure, nec quidquam fecerimus vel caverimus ſcripto » vel facto ſicuti nec poſſemus, per quod juri, aut poſſeſ- » ſioni prædictis debeat aliquid derogari, Sanctitati ve- » ſtræ humiliter ſupplicamus, quatinus præmiſſa providâ » meditatione penſantes, ex illis veſtrum motum animi » dignemini informare, ſuggeſtionibus contrariis æmu- » lorum in hac parte fidem nequaquam adhibendo, quin » immo ſtatum noſtrum & jura noſtra Regia ſupradi- » cta habere velitis, ſi placet, promptis affectibus commen- » data.

Quantum verò ad hoc quod petivit Papa, quòd ſi Rex Angliæ jus haberet in Regno Scotiæ, vel in aliqua ejus parte, procuratores & inſtructos mitteret, & fieret ei juſtitiæ complementum: Rex per ſe noluit reſpondere; ſed hoc commiſit Comitibus aliiſque terræ Proceribus, qui ſuper hoc domino Papæ hujus tenoris litteras reſcripſerunt.

Scribunt Proceres Angliæ Summo Pontifici coram nullo judice nec ipſomet Pontif. Regem ad tuenda ſua jura reſpondere debere.

» Sancta Romana mater Eccleſia per cujus miniſterium » fides Catholica* in ſuis actibus cum ea (ut firmiter credi- » mus & tenemus) maturitate procedit, quòd nulli præ- » judicare, ſed ſingulorum jura conſervari velit illæſa. » Sanè convocato nuper per ſereniſſimum dominum no- » ſtrum EDWARDUM Dei gratiâ Regem Angliæ illuſtrem » parliamento apud Lincolniam generali, idem dominus » noſter quaſdam Litteras Apoſtolicas quas ſuper certis ne- » gotiis conditionem & ſtatum Regni Scotiæ tangentibus » ex veſtra parte receperat, in medio exhiberi, ac ſeriosè » nobis fecit exponi. Quibus auditis & diligentiùs intel-

* *Deſunt ſimilia verba; toto orbe diffuſa eſt,*

lectis,

Digitized by Google

lectis, tam ſenſibus noſtris admiranda, quàm hactenus « inaudita in eis audivimus contineri. Scimus enim, Pater « ſanctiſſime, & notorium in partibus noſtris, ac nonnullis « aliis non ignotum exſiſtit, quòd à prima inſtitutione « Regni Angliæ, Reges ejuſdem Regni tam temporibus « Britonum quàm Anglorum ſuperius & directum domi- « nium Regni Scotiæ habuerunt in poſſeſſione, vel Capi- « tanei ſuperioritatis & recti dominii ipſius Scotiæ ſucceſ- « ſivis temporibus exſtiterunt, nec ullis temporibus ipſum « Regnum in tẽporalibus pertinuit vel pertinet quovis jure « ad Eccleſiam ſupradictam. Quinimmo idem Regnum « Scotiæ progenitoribus dicti Regis noſtri Regibus Angliæ « atque ſibi feodale exſtitit ab antiquo. Nec etiam Reges « Scottorum & Regnum aliis quàm Regibus Anglię ſub- « fuerunt, vel ſubjici conſueverunt : neque Reges Angliæ « ſuper juribus ſuis in Regno prædicto, aut aliis ſuis tem- « poralibus, coram aliquo Judice Eccleſiaſtico vel ſæculari « ex præeminentia ſtatus ſuæ Regiæ dignitatis & conſuetu- « dinis cunctis temporibus irrefragabiliter obſervatæ reſ- « ponderunt, aut reſpondere debebant. «

Unde habito tractatu & deliberatione diligenti ſuper « contentis litteris veſtris memoratis, communis, concors, « & unanimis omnium noſtrorum & ſingulorum conſenſus « fuit, eſt, & erit inconcuſsè Deo propitio in futurum, quòd « præfatus dominus noſter Rex ſuper juribus Regni Scotiæ « aut aliis ſuis temporalibus nullatenus reſpondeat judicia- « liter coram vobis, nec judicium ſubeat quoquo modo, « aut jura ſua prædicta in dubium quæſtionis deducat, « nec ad præſentiam veſtram procuratores aut nuntios ad « hoc mittat, præcipuè cùm præmiſſa cederent manifeſtè « in exheredationem juris coronæ Regni Angliæ, & Re- « giæ dignitatis, ac in ſubverſionem ſtatus ejuſdem Regni « notoriam, necnon in præjudicium libertatis, conſuetu- « dinum & legum paternarum, ad quarum obſervationem « & defenſionem ex debito præſtiti juramenti adſtringi- « mur, & quas manu tenebimus toto poſſe, totíſque viribus «

Digitized by Google

AMNI DOM	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANCIÆ	Regis ANGLIÆ

„ cum Dei auxilio defendemus. Nec etiam permittimus aut „ aliqualiter permittemus (ſicut nec poſſumus, nec debe- „ mus) præmiſſa tam inſolita, indebita, præjudicialia, & „ aliàs inaudita prælibatum dominum noſtrum Regem „ (etiam ſi vellet) facere, ſeu modo quolibet attentare. „ Quocirca Sanctitati veſtræ reverenter & humiliter ſup- „ plicamus, quatinus eumdem dominum noſtrum Regem, „ qui inter alios Principes Orbis terræ Catholicum ſe exhi- „ bet & Romanæ Eccleſiæ devotum, jura ſua & libertates, „ conſuetudines, & leges prædictas abſque diminutione & „ inquietatione pacificè poſſidere, ac illibata perſiſtere be- „ nigniùs permittatis.

In feſto Pentecoſtes finitis treugis quæ cum Scottis initæ fuerant, Rex circa feſtum S. Johannis Baptiſtæ in Scotiam proficiſcitur exercitu adunato. Dúmque in Scotia hiemaret, ſui multos equos magnos perdiderunt propter foragii * defectum tempore frigoris hiemalis. Tenuit autem Rex apud Linliſco feſtum Dominicæ Nativitatis.

Gal* fourrage

MCCCII.	BONIFACII VIII. VIII.	ALBERTI IV.	PHILIPPI IV. XVII.	EDVVARDI III. XXX.

Induciæ Scottis conceſſæ.

REx Angliæ ad inſtantiam Regis Francorum, cujus nuper ſororem duxerat, Scottis treugas uſque ad feſtum omnium Sanctorum conceſſit, ordinatiſque rebus Scotiæ, reverſus eſt in Angliam, & circa mediam Quadrageſimam Parliamentum Londoniis convocavit. Papa Bonifacius per litteras ſuas Regem Anglorum interpellavit, ut Regi Francorum guerram commoveat; quòd ſi faciat, ingens ſubſidium pollicetur. Sed Rex Angliæ aliàs domini Papæ erga ſe affectum expertus infidum, rem diſtulit, ſi poſſibile eſſet recuperare per viam aliam ſua malens.

Papa Regi Angl. ut bellum ſuſcipiat in Regem Franc. ſua-; dere conatur.

In Flandria Brugenſes Gallicorum exactionibus nimis oppreſſi, JACOBUM ſancti Pauli, qui apud eos locum Regis tenebat, expulerunt de villa, plurimis in hoc tu-

Digitized by Google

multu Gallicis interfectis. In dominum verò & defensorem vocaverunt GUIDONEM Comitem Namurcii, filium Comitis Flandrensis in custodia adhuc detenti. GUIDO cum numerosa multitudine bellatorum adveniens, auxit Flandrensium animos plurimùm contra Gallos. Interea ROBERTUS Comes Attrabatensis cum exercitu maximo missus in Flandriam, inter Corturiacum & Burgas tentoria sua fixit, contra quem Flandrenses egressi, omnes ferè pedites prælium gravissimum conseruerunt cum Gallicis. Quibus subcumbentibus, Comites Attrabatensis, Augi, & Albæ-Marlæ, viríque nobiles GODEFRIDUS Ducis Brabantiæ germanus cum filio suo, filius Comitis Hanoniæ, RADULFUS de Nigella Constabularius Franciæ cum fratre suo GUIDONE Marescallo, REGINALDUS de Tria Miles, EMERICUS Camerarius de Tancrevilla, PETRUS Flote Regis Francorum Consiliarius præcipuus, & exactionum prædictarum auctor maximus, JACOBUS S. Pauli in eo prælio ceciderunt occisi: aliorum verò militum minorum scutiferorúmque & peditum interfecta est maxima multitudo. Comites verò S. Pauli & Boloniæ, LODOWICÚSque Comitis Claremontensis filius cum aliis pluribus fugientibus, reliquerunt Flandrensibus spolia infinita.

Interfecti multi nobiles Galli.

Prælati Franciæ missis ad Papam tribus Episcopis, de non veniendo ad diem citationis præfixum se per eosdem excusant. PHILIPPUS Francorum Rex maximo coadunato exercitu, cùm juxta Attrebatum toto mense Septembri mansisset, licèt hostes de propinquo diutiùs eum exspectassent, nihil agendo, Parisius reversus est inglorius. KAROLUS Comes Walesii cum Frederico occupatore Siciliæ tractatu sine omni effectu habito, in Gallias rediit isto anno. Papa BONIFACIUS Prælatis Franciæ non comparentibus, misit in Franciam JOHANNEM Monachi Presbyterum Cardinalem: qui convocatis Prælatis Parisius secretum consilium habuit cum eisdem. Post festum omnium Sanctorum elapsis treugis cum Scottis, Rex

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Reg. FRANCIÆ	Reg. ANGLIÆ

Johannem de Segrave Militem nobilem cum exercitu misit in Scotiam, committens ei ejusdem terræ custodiam. Obiit hoc anno UMFRIDUS Comes Herfordensis, cui filius ejus UMFRIDUS successit, qui postea duxit Elizabeth filiam Regis, Comitissam Holondiæ marito suo primo orbatam. Burdegalenses durum Gallicorum non ferentes dominium illos de civitate sua circa Natale Domini expulerunt.

MCCCIII.	BONIFACII VIII. IX.	ALBERTI V.	PHILIPPI IV. XVIII.	EDVVARDI III. XXXI.

SCOTTI cœperunt rebellare contra Regem Angliæ, WILLELMO quodam cognomento Waleis, qui eos ad seditionem commoverat, Capitaneo constituto: propter quod Rex Scotiam coadunato exercitu ingressus, prætermisso castro de Strivelin quod contra eum munitum fuerat, terram pervagatur, nemine apertæ pugnæ sibi copiam faciente. Rex Francorum ob detentionem Vasconiæ injustam timens sibi à Rege Angliæ per dominum Papam ad hoc instigato guerram parari, ut ejus sibi amicitiam compararet, quidquid Vasconiæ in manu sua tenebat eidem restituit, cui & Burdegala spontaneè se subjecit. Circa festum S. Johannis Baptistæ Milites quidam in præsentia Cleri & populi Parisius congregati, Papæ Bonifacio multa imposuerunt enormia, puta hæresim, simoniam & homicidia: propter quæ per Regem appellatum est contra eum ad illum cujus interest, donec convocato Concilio se à criminibus purgaret objectis

PHILIPPUS filius Comitis Flandriæ coadunatis multis Teutoniæ* stipendiariis Franciam ingressus, castrum S. Audomari obsedit; sed cùm nihil proficeret, discedens urbem Morinorum* incendit. Philippus Francorum Rex versus Flandriam cum exercitu progressus, acceptis treugis inglorius est reversus. BONIFACIUS Papa Anagni originis suæ urbem veniens, sub tutela civium se recepit, ubi

Sive * Germaniæ

Sive * Tarvennam

Digitized by Google

à fautoribus Regis Francorum, quorum Capitaneus erat WILLELMUS de Nugareto, captus eſt, & Romam venire coactus. Commoratus autem apud caſtrum S. Angeli ex anxietate quæ multipliciter mentem ejus occupaverat, decidit in languorem, quo invaleſcente, poſt dies aliquot expiravit. Succeſſit ei ſtatim à Cardinalibus electus Benedictus undecimus, Lumbardus natione, quem Papa Bonifacius de Ordine Fratrum Prædicatorum cujus Magiſter erat, aſſumptum fecerat Epiſcopum Oſtienſem. GUIDO Comes Flandriæ & filius ejus ROBERTUS, à cuſtodia per Regem Franciæ ſoluti, ut Flandrenſes ad pacem Regis reducerent, in Flandriam tranſmittuntur: ſed nihil proficientes, fidelitate debitâ ſervatâ, ad loca cuſtodiæ revertuntur. Columnenſes mortuo Papa Bonifacio de ſuis egreſſi latibulis, ad Papam Benedictum venerunt miſericordiam implorantes: quos ille benignè ſuſcipiens abſolvit, ac bonorum ſuorum tribuit eis facultatem; ſed eos ad gradum Cardinalatûs tam ſubitò reſtituere non decrevit.

Moritur Bonifacius Papa, cui ſuccedit Benedictus XI.

WILLELMUS filius Comitis Hanoniæ Johannis, & GUIDO Trajectenſis Epiſcopus ejuſdem Willelmi patruus, contra Flandrenſes, qui maximam partem Selandiæ occupaverant præliantes, ſuccumbunt, capto Epiſcopo, ſed Willelmo per fugam elapſo. Papa BENEDICTUS fratrem Nicolaum de Prato Epiſcopum Spoletanum, ad Cardinalatum aſſumens, fecit Epiſcopum Oſtienſem: Fratrem etiam WILLELMUM de Makelesfelde, Doctorem ſacræ Theologiæ Ordinis Prædicatorum, natione Anglicum diœceſis Conventrenſis, tituli S. Sabinæ fecit Preſbyterum Cardinalem, qui antequàm ad eum rumor perveniret, infirmatus, & ad extremam horam perductus in Domino obdormivit.

Hoc anno circa principium Quadrageſimæ Scotti latentes in inſidiis JOHANNEM de Segrave cum paucis armatis tranſeuntem juxta caſtrum quod dicitur Puellarum, ſubitò invaſerunt, peremptíſque hinc inde nonnullis,

Digitized by Google

Scotti multitudine prævalentes, ceperunt aliquos milites Anglicos, inter quos & ipſum Johannem aliorum Capitaneum graviter vulnetatum: ſed ſupervenientes milites alii de exercitu Anglicorum, ipſum Johannem à ſuis ereptum cuſtodibus abduxerunt. Dum fieret iſte conflictus, miles quidam nobilis ROBERTUS de Nevile, Miſſarum audiens ſolemnia (erat enim Dominica prima Quadrageſimæ) quæ geſta fuerant penitùs ignorabat. Poſt Miſſam verò egreſſus, cùm à redeuntibus audiſſet Scottos prævalere in Anglicos, illuc cum ſuis armatus properans, multos peremit, aliiſque fugatis captivos aliquos reduxit, nec de his qui Miſſæ cum eo interfuerant quiſquam captus fuit aut graviter vulneratus, ſed nec corruit unus ſolus. Comes Mareſcalli fratri ſuo Johanni offenſus, captans Regis benivolentiam, omnes terras ſuas Regi donavit, itaut ei adjectis mille libratis terrarum redonarentur ad vitam. Rex auditâ rebellione Scottorum apud Roxeſburgiam in Scotia ex edicto publico in feſto Pentecoſtes exercitum adunavit: progrediénſque parvis dietis, totam terram uſque in Cantenaſiam, quæ eſt in ultimis Scotiæ finibus perluſtravit, nemine aperti prælii copiam faciente.

Victi tandem Scotti ſe Regi Angliæ ſubdunt.

Videntes itaque Scotti ſe non poſſe reſiſtere, miſſis nuntiis petiverunt humiliter à Rege ad pacem ſuam recipi; & ut permitteret eis, dato pretio ab his quibus per eum collatæ erant, redimere terras ſuas. Adquievit Rex eorum precibus, & rediens caſtrum de Strivelin, quod Scotti occupaverant & contra Regem defendebant (cujus expugnatio in progrediendo gratis omiſſa erat) per ſuos obſedit. Ipſe verò non longè à loco eodem apud Dumfermelin hiemavit.

Digitized by Google

Anni Dom	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCC-IV.	BENEDICTI XI. I.	ALBERTI VI.	PHILIPPI IV. XIX.	EDVVARDI III. XXXII.

REx Angliæ transactâ hieme ad obsidionem castri de Strivelin personaliter accedens, diversis præparatis machinis, illud solito fortiùs impugnavit. Qui verò castrum custodiebant, illud fortiter defendentes, cum machinis suis plurimos occiderunt. Religiosus quidam qui obsidioni personaliter intererat, de Rege Anglię hoc referre solebat, quòd die quâdam cùm castrum considerando obequitaret, ac quodam loco infra jactum balistarum obequitãdo appropinquaret, jaculum quoddam de castro emissum, superiori ejus armaturæ affixum sine ulla corporis læsione. In quod exractum Rex exspuens, conversâ facie ad castrum altâ voce ei qui illud emiserat jaculum ostendendo suspendium minabatur. Castellani videntes obsidionem super se aggravari, obtulerunt castrum Regi, salvis vitâ & membris; ac posteà simpliciter se in ejus gratia ponentes. Sed neutro modo voluit eos Rex admittere, sed tantùm in ea forma ut purè & simpliciter se dederent Regiæ voluntati. Quod licet eis primò videretur difficile, tamen cùm fossata conspicerent terrâ impleri & lapide, scaláque ad transcensionem murorum, qui assiduis jactibus petrarum conquassabantur parari; tandem in die beatæ Margaretæ Virginis castrum reddentes, se Regis placito subdiderunt. Quorum Capitaneum WILLELMUM Olifardi Militem admodum strenuum & cordatum ad castrum Londoniarum; reliquos verò ad alia castra diversa transmisit custodiæ mancipandos. Exinde subactâ ad votum Scotiâ, commissâque ejus custodiâ JOHANNI de Segrave, Rex in Angliam rediens, cùm venisset Eboracum, jussit sessionem Justitiariorum qui dicuntur de Banco, & Scaccarium, quod jam septennio manserat Eboraci, Londonias ad antiquum locum transferri.

Obiit hoc anno Magister Thomas de Colebrugge Archiep. Eboracensis, cui successit Willelmus de Grenefeld, Doctor in utroque Jure Canonico & Civili. Obiit etiam

Digitized by Google

JOHANNES de Warenna Comes Sureię & Suſexiæ : cui ſucceſſit nepos ejus ex filio, JOHANNES nomine, uxorem accipiens neptem Regis ex filia ALIANORA, quam duxit Comes Barrenſis. Hoc anno ordinati ſunt Juſtitiarii, qui de malefactoribus inquirerent diligenter quantum ad certos articulos, & juxta demerita punirent inventos. Hi Juſtitiarii ab hominibus popularibus vocati ſunt de *Traylebaſtoun*, quod ſonat, Trahebaculum. Papa BENEDICTUS intellectâ morte Fratris Willelmi de Makelesfelde, Fratrem Walterum de Winterbourne ſimiliter Ordinis Prædicatorum, Regis Angliæ Confeſſorem, Sareſberienſis diœceſis, ad eumdem titulum Cardinalatûs promovit.

Papa Regem Franc. ab excommunicatione abſolvit.

Conſiderans etiam pium eſſe ovem errantem licèt invitam reducere ad ovile; Regem Francorum non petentem, à ſententia excommunicationis per prædeceſſorem ſuum lata in eum abſolvit.

Rex Franciæ Abbati Ciſtercienſi offenſus, quia in appellationem contra Papam Bonifacium non conſenſerat, omnia Monaſteria ejuſdem Ordinis in Regno Franciæ conſtituta plurimùm moleſtavit: propter quod Abbas ultrò regimini ceſſit Ordinis ſui. Dominica ante feſtum beati Johannis Baptiſtę, apud Puſſiacum Carnotenſis diœceſis poſitæ ſunt Sorores Fratrum Ordinis Prædicatorum in Monaſterio à Rege Francorum noviter conſtructo in honore beati quondam Regis Francię LODOWICI. Die Nonarum Julii moritur Papa Benedictus Perusii, poſt cujus obitum cùm Cardinales in electione Summi Pontificis diſſiderent, ſecundùm Conſtitutionem Gregorii X. à civibus concluduntur. Philippus Rex Franc. in manu valida copias Flandrenſ. fudit, inter quos cecidit Willelmus de Juliariis, qui eorum Capitaneus fuerat conſtitutus. Reddiderunt ſe non multo pòſt Regi Francorum duæ villæ Flandriæ nobiles, Inſula & Duacum.

Obiit Benedictus Papa.

Digitized by Google

An Dom. MCCCV.	Pap. VACATIONIS I.	Imp. ALBERTI VII.	Regis Franc. PHILIPPI IV. XX.	Regis Angl. EDVVARDI III. XXXIII.

REx Angliæ ordinatis rebus Scotiæ revertitur in Angliam, Johanne de Segrave Milite nobili custode terræ relicto. Willelmus Waleis qui Scotiam commoverat, captus Londonias ducitur, & ibidem judicialiter condemnatus, trahitur, suspenditur & ultimò decollatur: cujus caput Londoniis in loco eminenti figitur super palum; corpus verò in Scotiam transmissum, divisum est in quartas, quæ ad aliorum terrorem in diversis partibus suspenduntur. Bertrandus Burdegalensis Archiepiscopus, natione Vasco in Papam electus, Clemens quintus dictus est, qui mense Octobri in Lugduno convenientibus illuc Cardinalibus, Rege Francorum Philippo suam præsentiam exhibente, Imperiali diademate coronatur: qui dum coronatus ad Ecclesiam beati Martini equitando duceretur, murus quidam à latere in quem multi spectaturi quæ gerebantur adscenderant, corruens multos oppressit: inter quos erat Dux Britanniæ, vir senex & discretione insignis. Frater Walterus de Winterburne nuper ad Cardinalatum assumptus, tendendo cum aliis Cardinalibus in Galliam, moritur apud Januam, & in Ecclesia Fratrum Prædicatorum traditur sepulturæ. Papa ante Natale unam ordinationem faciens, creavit duodecim Cardinales, inter quos de Ordine Fratrum Prædicatorum Frater Thomas de Jorz, Doctor sacræ Theologiæ, natione Anglicus, tituli S. Sabinæ, & Nicolaus de Fravilla, Confessor Regis Francorum, natione Normannus, tituli S. Eusebii efficiuntur Presbyteri Cardinales. Hoc anno misit Rex Franciæ ad Regem Angliæ, rogans eum ut Flandrenses ab Anglia expelleret, sicut ipse ad suam instantiam Scottos de Francia ejecerat paulo antè. Cujus Rex precibus adquiescens, Flandrenses omnes de Anglia exbannivit.

Clemens Papa V. eligitur.

Imperialidiademate coronatur.

Digitized by Google

An. Dom.	Papæ	Imp.	Reg. Franc.	Reg. Angl.
MCCCVI.	Clementis V. I.	Alberti VIII.	Philippi IV. XXI.	Edvvardi II. XXXIV.

CLEMENS Papa Curiam de Lugduno in Burdegalam, (ubi Episcopum Pictavensem, qui sibi dum Archiepiscopus fuerat adversabatur, à Pontificali depositi dignitate) Primatum etiam Aquitaniæ de Bituricensi ad Burdegalensem Ecclesiam transtulit. Rex Angliæ Robertum Cantuariensem Archiepiscopum apud dominum Papam accusavit, super eo quòd pacem Regni sui perturbavit, sibíque rebellantes defendit & fovit: propter quod ad Curiam vocatus est, & ab executione officii sui suspensus, quousque de sibi impositis legitimè se purgaret. Obtinuit etiam Rex à domino Papa absolutionem à juramento quod invitus præstiterat, super observantia libertatum, aliàs à Comitibus & Baronibus exactarum.

Eodem anno quarto Kalendas Februarii ROBERTUS de Brus ad Regnum Scotiæ adspirans nobilem virum JOHANNEM Comin, quia suæ proditiosæ factioni noluit assentire, apud villam de Dunfreis in cujus castro Justitiarii Regis Angliæ tunc sedebant, in Ecclesia Fratrum Minorum sacrilegus interfecit: in festo verò Annuntiationis beatæ Virginis, in Abbatia Canonicorum Regularium de Stone se fecit in regem sollemniter coronari. Uxor Comitis de Bauvan à marito suo furtivè discessit, omnes equos ejus magnos secum adducens, & properans usque Stone, ut diadema imponeret capiti novi Regis: frater enim ejus Comes de Fif, ad quem de jure hereditario spectabat hoc officium, tunc absens in Anglia morabatur. Hanc autem Comitissam eodem anno ab Anglicis captam, cùm quidam perimere voluissent, non permisit Rex, sed in domuncula quadam lignea super murum castri Berewici posita est, ut possent eam transeuntes conspicere.

Robertus de Brus Scotiæ Regnum usurpat.

EDWARDUS filius Regis Angliæ cum numerosa societate juvenum nobilium in festo Pentecostes Londoniis à patre militaribus armis cinctus est: deinde cum multitu-

Regis Angl. filius armatâ manu Scotiam petit.

Digitized by Google

dine Tironum Scotiam continuatis diebus contendit, ad reprimendum conata Roberti de Brus invaſoris Regiæ dignitatis. Præceſſerant verò eum AYMERICUS de Valentiis Comes Penbrochiæ, ROBERTUS de Clifford, & HENRICUS de Perci, miſſi à Rege cum manu armata ad novis motibus reſiſtendum. Ipſe verò Rex lento gradu ſecutus, convocaverat exercitum, quem apud Karliotum juſſit eſſe paratum in quindena ſancti Johannis Baptiſtæ in occurſum filii ſui, cum eodem ulteriùs progreſſurum. Interim ROBERTUS de Brus circuiens terram, & homagia multorum recipiens, coadunato exercitu copioſo appropinquavit ad villam S. Johannis, in cujus præſidium nuper advenerat Aymericus de Valentiis. Equites autem Scottorum omnes lineis ſuper arma ſua ne*diſcernerentur induti erant ex juſſu Principis ſui novi, invitatus ab eo Aymericus de congreſſu reſpondit, quòd cum eo non die illo, ſed in craſtino dimicaret. Subtrahente verò ſe Roberto cum ſuis ad ſpatium unius miliarii, & ſe reficere volente, appropinquante horâ veſpertinâ, Aymericus cum ſuis egreditur armatis, & ſubitò ſuperveniens Scottis, multos peremit inermes: cui cùm aliquamdiu Robertus ceteríque qui ſe cum celeritate armaverant, reſtitiſſent; tandem prævalentibus Anglicis, fugere ſunt coacti: quos inſecutus cum ſuis uſque in inſulam de Kintir, caſtrum illius (putans Robertum ſe recepiſſe in eo) obſedit. Expugnato tamen caſtro, non eum invenit; quia ad extremas regionis fugerat inſulas, ſed uxorem ac fratrem ſuum NIGELLUM cum aliis quibuſdam, quos omnes uſque Berewicum deduci fecit. Captus eſt non multo pòſt Comes de Athel, qui de caſtro fugerat antedicto. Circa feſtum S. Michaëlis reverſus eſt Robertus uſque Kintir, & Henrico de Percy in propinquo exſiſtenti ſuperveniens, quoſdam de familia ejus occidit, equóſque dextrarios & alia ſpolia multa cepit, ipſúmque Henricum in caſtro loci ejuſdem obſedit, quouſque robore exercitûs à Rege miſſo, obſidionem dimittere cogeretur.

f. ut

Digitized by Google

ANNI DOM.	PAPÆ	IMPERATORIS	Regis FRANC.	Regis ANGL.

Rex apud Laverſtone juxta Karleolúm commorans, miſit Berewicum Juſtitiarios, quorum judicio NIGELLUS de Brus & qui cum eo capti fuerant, tracti ſunt & ſuſpenſi ac ultimò decollati. Uxorem verò Roberti de Brus tranſmiſit in Angliam, jubens eam juxta ſtatum ſuum decenter tractari. Comitem verò de Athel jam ſecundò contra fidelitatem ſuam Regi rebellantem, miſit Londonias, ubi ad tempus ſub cuſtodia detentus; tandem proditionis ſuę meritas pœnas luit. Poſt hæc captum eſt caſtrum de Lochdor, in quo inventus eſt CHRISTOPHORUS de Setone, ſororius Roberti de Brus, quem cùm non Scottus ſed Anglicus eſſet, juſſit Rex deduci uſque Dunfres, ubi quemdam militem de parte Regis occiderat, ibíque judicium ſubire coactus, tractus ſuſpenſuſque eſt, ac ultimò decollatus. Uxorem verò Chriſtophori & filiam Roberti de Brus in diverſis Monialium Monaſteriis collocavit. Epiſcopos Glaſcuenſem & S. Andreæ, Abbatémque de Stone cum eodem anno capti eſſent, in Angliam miſit ad diverſa caſtra, ſub cuſtodia detinendos.

Rex Francorum à domino Papa oſſa Bonifacii prædeceſſoris ſui petiit ad comburendum, tamquam hæretici, inſtantiâ importunâ, petiit etiam Sanctorum catalogo adſcribi Fratrem Petrum de Murrone, qui quondam fuerat Papa dictus CÆLESTINUS quintus. Rex Angliæ Petrum de Gaverſtone, apud ſe de diverſis accuſatum, Regnum Angliæ abjurare coëgit.

MCCCVII.	CLEMENTIS V. II.	ALBERTI I. IX.	PHILIPPI IV. XXII.	EDVVARDI III. XXXV.

Statuta quædam Regis Angliæ.

REx in Octavis S. Hilarii Parliamentum tenuit Karleoli, in quo per Majores graves depoſitæ ſunt quærimoniæ de oppreſſionibus Eccleſiarum & Monaſteriorum, & multiplicibus extortionibus pecuniarum per Clericum domini Papæ WILLELMUM Teſta, noviter in Regno inductis. Præceptúmque eſt eidem Clerico de aſſen-

Digitized by Google

ſu Comitum & Baronum ne de cetero talia exſequatur. Ordinatum etiam erat, quòd pro remedio ſuper his obtinendo, ad dominum Papam certi mitterentur nuntii. In eodem Parliamento edita ſunt ſtatuta quædam tangentia Religioſos, qui domos ſuas principales in alio Regno habebant, venítque ad illud Parliamentum tranſmiſſus per dominum Papam Cardinalis quidam Hiſpanus, pro matrimonio inter filium Regis Angliæ & filiam Regis Franciæ, ſecundùm quod à Papa Bonifacio tamquam mediatore pacis ordinatum fuerat conſummando. Cui per Regem reſponſum eſt, paratum ſe implere quæ ordinata ſunt, dummodò Rex Francorum velit ex parte ſua quæ ad ipſum pertinent adimplere. Dederat enim Rex Francorum, dum tenuerat Vaſconiam, caſtrum quod Malileonis dicitur Militi cuidam, qui illud adhuc detinebat, nec ad mandatum Regis Francorum illud curabat reſtituere. Ob quam cauſam fertur illud matrimonium hactenus fuiſſe dilatum. Rediit itaque Cardinalis Londonias, ut ſuper his certitudinem expectaret.

Interim ROBERTUS de Brus circumiens terram multos ſibi rebelles peremit, miſítque cum parte exercitûs duos fratres ſuos Thomam Militem & Alexandrum Clericum ad aliam partem terræ, ut homines terræ ad ſe allicerent blanditiis atque minis, qui ab Anglicis de nocte ſuperuenientibus capti ſunt, & ducti ad Juſtitiarios ac condemnati, primò tracti & poſteà ſunt ſuſpenſi. Poſt Paſcha Robertus de Brus aucto jam ſuo exercitu, congreſſus cum Aymerico de Valentiis, ipſum compulit in fugam, paucis de his qui erant cum eo peremptis, infra triduum etiam ſequens fugavit Comitem Gloverniæ, multíſque hinc occiſis, ipſum obſedit in Caſtro de Are, quouſque per exercitum à Rege miſſum fuit obſidio diſſoluta. Extunc autem inſequentibus eum Anglicis, fugit ad loca paluſtria & nemoroſa, in quibus latibula quæritantem comprehendere minimè potuerunt. Rex miſſis in Angliam, nuntiis

Digitized by Google

præcepit ſub gravi pœna, ut omnes qui ei ſervitium debebant, parati eſſent apud Karleolum intra ſeptimanas poſt feſtum S. Johannis Baptiſtæ; filium verò ſuum remiſit in Angliam, ut ſecundùm ea quæ de Rege Franciæ audiret, proficiſceretur ad connubium cum filia ejuſdem contrahendum. Poſt cujus diſceſſum, cœpit Rex vexari dyſenteria, movit tamen nihilominus quinto Nonas Julii, parvis dietis verſus Scotiam proficiſcens. Pridie Nonas Julii venit uſque Burgum ſuper Sande, ubi invaleſcente infirmitate, die craſtinâ, ſcilicet feriâ ſextâ præſenti vitæ valefaciens, dies ſuos in bono & annos ſuos in gloria conſummavit. Regnavit autem annis triginta quatuor, menſibus ſeptem, diebus viginti uno, complevítque ætatis ſuæ annos ſexaginta octo & dies viginti.

Expliciunt geſta EDVVARDI III.
Regis Anglorum.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX RERVM ET VERBORVM,

Quæ in hocce Tomo Octavo Spicilegij continentur.

A

ÆDUENSIS Eccleſia. *V, Eduenſis.*

Albericus Card. London. Concilium celebrat, 417

Albigenſium hæreſes quædam, 478

Petrus Legatus & alii ad ipſos confutandos mittuntur, *ibid.*

Item duodecim Abbates, & Sanctus Dominicus, 545, *& ſeqq.*

Alexander Ceſtrenſ. Epiſcopus Commentarium in Pſalt. edidit, 583

Alexandri Papæ III. acta præclara, 481

Alexander Papa IV. quanto cum honore à Regibus Franciæ & Angl. exceptus, 449

Diverſas hæreſes extirpavit, 603

Amalrici hæreſes, 559

ad Comites Andegavenſes quî jus Regni Angl. devolutum eſt, 413

Sancti Andreæ Monaſterii in diœceſi Elnenſi fundationis approbatio à Carolo Calvo Rege Francorum, 349

S. Andreæ Avenion. Monaſterio multa confert Raimundus Comes Toloſæ, 159

Approbat quæ donata ſunt Monachis Sancti Andreæ, 204

Item Guillelmus de Rocamaura & frater ejus, 196

Statuta ad inſtaurandam diſciplinam Monaſticam, 236

Angliæ viri illuſtres, 190, *& ſeqq.*

Archembaldi de Borbonio pactum initum cum Petro de Blot, 201

Archembaldi Aurel. Subdecani interfectoribus, ut pœnitentia imponatur quò ab excommunicatione abſolvantur decernit Innocent. Papa, 177

in Argentolii Monaſterio tunica Chriſti reperitur, 441

Aurelianenſ. Eccleſiæ quæ donata ſunt approbat Carlomannus Rex, 148

Ejuſdem civitatis injuſta conſuetudo abrogatur à Rege, 156

Archembaldus Subdecanus

Digitized by Google

fuit interfectus, 177
Quæ pœnitentia ipsis imponenda, ut satisfaciant & ab excommunicatione absolvantur, *ibid.*
Ludovicus VII. Rex Franc. approbat quæ Manasses Episcopus contulerat Eccl. Aurel. 197
Arnaldi de Brixia hæreses, 423
Attonis Vercellensis Episcopi Opera, 1
Aymarus Lugdun. Archiep. ordinat ut Archiep. Lugdun. & Episcop. Eduens. alter alterius Sedem vacantem administret, 253

B

BAptizandi tempus; 7
Baptismi sacramentum qualiter celebrari oportet, & parvulis ægrotantibus tribuendum, 8
Absque Diacono Presbyter non conferat Baptismum, 9
Qui baptismum susceperint, cum uxoribus non coëant ante nonum diem, similiter & mulieres, 28
in Beccensi Monasterio Mathildis Imperatrix sepelitur, 456
Berengarius de Sancto Johanne, 268
Bertrandi de Andusia pactum pro ineundo matrimonio filii sui cum Guillelma filia Raimundi Pessul. domini, 165
Biblia Sacra Stephanus Cantuarien. Archiepisc. in Capitula distinxit, 577
Bituricensi Ecclesiæ Primatum Aquitaniæ Papa abstulit, & Burdegalensi concessit, 724
S. Blasii Abbatia in diœcesi Basilien., &c. 172
in Blasphemos leges à Duce Borbonio latæ, 345
Britanniæ Ducatum Galfridus filius Regis Angl. obtinet, 461
ad Burdegalensem Ecclesiam Primatus Aquitaniæ transfertur, 724

C

CAdurcensis Episcopi electionis forma antiqua, 154
In Eccles. Cadurc. instituuntur Canonici Regulares, 161
Canonicorum Cadurcens. donatio facta Gausberto de Castro-novo, &c. 360
Guillelmus Præpositus spondet se omnia Ecclesiæ Cadurcens. jura defensurum, 362
Canonici Regulares constituuntur in Ecclesia Cadurcensi à Geraldo Episcopo, 161
Eisdem multa confert bona, *ibid.*
Institutio Ordin. Vallis-Scholarium, 227
Guillel. Vicecomes restituit ablata eidem Ecclesiæ, 364
Donationes Ratherii de Belloforte factę Canonicis Cadurc. 365
Plures dum fiunt Canonici multa cõferunt, 366, *& seq.*

Digitized by Google

Cantuarienſis Archiepiſc. electio ad Monachos ejuſdem Eccleſiæ pertinet, 488, 548
Cardinales ut rubeis capellis utantur ſtatuit Innocentius IV. Papa, 596
Carlomannus Rex quæ Eccleſiæ Aurel. conceſſa ſunt approbat, 148
Sub ſua poteſtate ac defenſione Monaſterium S. Polycarpi conſtituit, 352
Carolus Calvus approbat fundationem S. Andreæ in Elnenſi diœceſi, 349
Carolus VIII. Rex Franc. petit ab Adminiſtratoribus Cameræ Computorum, ut perquirant in Chartis quî prædeceſſores ſui Reges, præſertim S. Ludovicus, populo audientiam præſtabant, 390
Carolus Regis Franciæ frater Siciliæ Rex coronatur à Papa, 617
Petro Aragonenſi excommunicato, Sicilia Carolo reſtituitur, 645, 648
S. Clara Ord. S. Damiani in catalogum Sanctorum relata, 602
Clemens Papa V. Imperiali diademate coronatur Lugduni, 723
Clerici ſæcularibus indumentis non utantur, 7
Quomodò Clerici debent ordinari, 13
Nullus Clericus in conſortio mulierum maneat, 15
Spectaculis non interſint, 17
Negotiis ſæcularibus ſe non immiſceant, 18
Continentia Clericis præcipitur, 120, *& ſeq.*
Clotarii Regis Franc. mors, 405
Condit Monaſterium in ſuburbio Sueſſ. *ibid.*
Inibi ſepelitur, *ibid.*
Cluniacenſibus Monachis Abbatia SS. Facundi & Primitivi ſubjicitur. 175
Collationes ſive Conventus a Preſbyteris & Clericis fiant ſingulis Kalendis, 12
Et in Præfat. noſtra.
Concilii Baſilienſ. Patres auxilium petunt à Roderico de Villandrando contra Petrum Epiſc. Albanenſ. 285
Concilium Turonenſe, 450
Romanum, 479
Lateranenſe, 558
Oxoniæ, 572
Apud Northamtonam, 617
Lugdunenſe, 591, 632
Radingiæ, 643
Auguſtodunenſe, 157
Londoniæ, 417, 421, 621
Conradi II. Imp. geſta, 416, *& ſeqq.*
Conſtantinopolis urbs à Turcis expugnatur, 286, *& ſeqq.*
Continentia Clericis præcipitur, 120, *& ſeqq.*
Corona Domini ſpinea in Franciam allata, 584

D

DEcretales in unum volumen redigi curavit Gregorius IX. Papa per Raimundum, 586
Diacona in ſacris Canonibus quid intelligitur, 123, *& ſeqq.*
Diaconus non ordinetur, niſi qui caſtè vivat, *ibid.*

Digitized by Google

S. Dominicus ſanctitate & doctrinâ inſignis in Hiſpania, 542
Ejus acta, *ibid. & ſeqq.* 559
Confirmatur illius Ordo, 560, 562
In hoc Ordine quando cœperunt haberi Capitula generalia, 569, 578
Cælitum albo illatus eſt S. Dominicus, 579
Ipſius corporis tranſlatio, *ib.*
Paſſus Dominicus, 593

E

S. Edmundus Cantuar. Archiepiſcopus ſanctitate & doctrinâ illuſtris, 586
Sepultus in Pontiniacenſi Monaſterio, ubi miraculis claret, 587
Sanctorum albo adſcribitur, 592
in Eccleſiis quid recondi debeat, 9
Convivia & accubitus non fiant, *ibid.*
Nec ſepulturæ, 10
Eccleſiæ nihil nocere poſſunt perſecutores, 44, *& ſeqq.*
Obediendum ipſius Doctoribus ac Rectoribus, 46
Facultates Eccleſiæ quomodò ſunt adminiſtrandæ, 90, *& ſeqq.*
Prophanis ea uſurpare non licet, 91, *& ſeqq.*
Edvuardi Regis Anglor. geſta, 628, *& ſeqq.*
Pium ipſius effatum, 630
Eduenſi Eccleſiæ Regalia reſtituit Rex Franc. 203
Archiepiſcopus Lugdunenſis, & Epiſcopus Eduenſis alter alterius Sedem vacantem adminiſtrat, 253
Ea de re ordinationes, 255
Ela Sareſberienſis Comitiſſa habitum Canoniſſarum ſuſcepit, 581
Eleëmoſyna de rapina danda non eſt, 95
Elinandus Monachus quid ſcripſit, 550
Elizabeth Sanctimonialis in Saxonia mirabiles viſiones, 444
Elizabeth filia Regis Hungariæ ſanctitate claret, 578
Emancipatio filii ſeptennis auctoritate Regia, 263
Epiſcopatus eſt primus gradus Sacerdotii, 2
Epiſcopi quî ſe gerant tempore perſecutionis, 46
Ipſis obediendum, *ibid.*
Standum eorum judiciis, *ibid. & ſeqq.*
Qualia debent eſſe ipſa judicia, *ibid.*
Accuſati quid agere debent, 49, *& ſeqq.*
Epiſcopis interdicitur pugna in ſingulari certamine, 51
Quibus debeant armis certare, *ibid. & ſeqq.*
Quomodò reprehẽdendi ſunt Epiſcopi ſi malè agant, 60, *& ſeqq.*
Quis eligere & ordinare poteſt Epiſcopum, 65, *& ſeqq.*
Id præſumere non debent Principes, 66, *& ſeqq.*
Non pecuniæ, favor, &c. adhibenda, *ibid.*
Vitanda ſimonia, *ibid. & ſeqq.*
Quę requiruntur in eo qui eligitur Epiſcopus, 73, *& ſeqq.*

Digitized by Google

Principibus ne aduletur, 96, *& seqq.*
Nusquam debet Episcopus in Regem insurgere, nec arma sumere, 99. *& seqq.*
An Episcopi pro fidelitate obsides Regi dare obligentur, 132, *& seqq.*
Eligendi Episcopi forma antiqua, 154
Eucharistia, *Vide* Missa, 4, 5

F

SS. Facundi & Primitivi Abbatia Cluniacensibus subjicitur, 175
Felicitas in altera vita quærenda, quæ non est fallax, 192
Femine ad altare Missam Sacerdote celebrante non accedant, 5
Sacrata vasa vel pallas non contingant, nec circa altaria incensum deferant, 6
Feriâ sextâ tanquam festo die non otio vacandum, sed abstinentiæ, &c. 112
Quare, 113
Ferrandus Rex Major. contrahit matrimonium cum Isabella filia Guillelmi Principis Achaiæ, 272
ad Fidelitatem servandam Regi, an obsides dare tenentur Episcopi, 132, *& seqq.*
Regi Franc. fidelitatem exhibet Petrus Electus Archiep. Lugdunens. ita tamen ut id sibi nullum adferat detrimentum, 250
Fortunatus Presbyter vitam scripsit S. Medardi Noviomensis Episcopi, 391, 397
Vide Præfationem nostram.
S. Franciscus Ordinem suum instituit, 552
Hunc Ord. plures viri insignes arripiunt, 573
Francorum præclara facinora, 297
Quæ Francis beneficia præstiterunt Summi Pontifices, 297
Eorum gesta in Chronico Nicolai Trivethi, 411

G

Galcherum de Salinis inter & M. de Borbonio divortium, 210
Galfridus de Vinosalvo librum de Eloquentia scripsit, 533
Gaufridus de Barro Canonicus Paris. heres constituitur à Roberto de Sorbona, 247
Decanus Paris. 249
Tribuit Congregationi pauperum Magistrorum quæ ipsi contulerat idem Robertus, *ibid.*
Gausbertus de Castronovo, *Vide* Caduic.
Gilbertus Institutor Ordinis de Symplingham, 425
Gilbertus Episcopus London. doctissimus, 185
Avarè divitias studuit aggregare, 186
Moriens nihil pauperibus erogavit, *ibid.*
Gregorius Papa IX. *Vide* Decretales.
Guillelma filia Gastonis Bearnensis conjugio copulatur cum Sancio filio Alfonsi Regis, 245
Guillelmus Achaiæ Princeps, *Vide* Ferrandus.

Digitized by Google

Guillelmus de Sancto-amore ab Alexandro Papa condemnatur, 600
Guillelmus Dux Aquitan. in S. Iacobi Eccleſia ſepultus, 415
Guillelmus Henrici primi Regis Angliæ filius miſerè in mari periit, 182, *& ſeqq.*
Guillelmus Monſpeſſul. anno 1191. dotalitium ob matrimonium factum Titburgæ, &c. 205
Guillelmi Montiſpeſſulani pactum pro ineundo matrimonio filiæ ſuæ cum Raimundo de Rocafolio filio Bertrandi de Anduſia, 165
Guillelmi Monſpeſſulani donatio facta Mariæ Ducis Burgundiæ propter nuptias, 194
Guillelmus de Rocamaura quidquid in Laxia habebat confert Monaſterio S. Andreæ Aven. 196
Guillelmus Vicecomes S. Cirici ablata reſtituit Eccleſ. Cadurc. 364

H

HADRIANI Papæ IV. epiſtola ad Henricum ſecundum Angl. Regem, 440
Henricus ſecundus Anglor. Rex etſi feliciſſimus tamen miſerrimus eſt habendus, 188
Quare, *ibid.*
Laudibus attollitur, 193, *& ſeqq.*
Ejus geſta prolixè, 433
Henrici Huntindonenſis Tractatus de contemptu mundi, 178
Herivei Eduenſ. Epiſcopi teſtamentum, 151
Filius erat Irmengardis Comitiſſæ Cabilonenſis, *ibid.*
beati Hugonis Lincol. Epiſcopi acta, 538
Catalogo Sanctorum adſcriptus, 568
Hugo de S. Victore, 418

I

IACOBI Regis Aragoniæ filii matrimonium initum cum Sclarmunda filia Comitis Fuxenſis, 251
Iacobi Regis Angl. & Majoric. conceſſio feudi, 267
Iacobi Aragon. Regis reſtitutio, 277
Iacobi Aragon. Regis edictum pro pace & treuga, 383
Iacobus de Vitriaco tunc Epiſcopus Acconenſ. epiſtolâ ad Honorium Papam III. à Chriſtianis rees geſtas narrat, 373, *& ſeq.*
Ieroſolym. Regum progenies, 504
Innocentius Papa II. captus à Rogero Guiſcardi, 420
Iohannis Angliæ Regis geſta, 565, *& ſeqq.*
s. Iohan. Baptiſtæ facies Ambianis reponitur, 547
Iohannis Borbonii Ducis leges in blaſpemos latæ, 345
Iohannes Brutoun. Herfordenſ. Epiſcop. librum de Iuribus Angliæ edidit, 637
Iohannis Cardinalis Albienſis propoſitio facta Henrico Regi Caſtellæ, qua ipſum inducere conatur, ut cum Rege Francor. pacem po-

Digitized by Google

tiùs ineat quàm cum Angl. 328
Iohanne Comite Cabilonenſ. nuper defuncto, ipſius bonis, &c. renunciat uxor ejus, 264
Iohannis Sareſberienſis ſcripta, 482
Iohannis Regis Anglorum geſta 336, *& ſeqq.*
Ionæ Eduenſi Epiſcopo villam, quam invaſerat Aldricus Comes, reſtitui jubet Lotharius Imperator, 141
Multa confert Canonicis Eduenſ. 142
Eccleſiam fundatam à Tancredo nobili viro conſecrat, 145
Ionas Epiſcopus Aurelian. Monaſticam diſciplinam inſtaurat in Miciacenſi Cœnobio, 138
Iordani Ordinis Prædicatorum acta & miracula, 581
Irmengardis Comitiſſa Cabilonenſ. &c. 151
Iſabella, *Vide* Ferrandus.
Iſidori Cardinal. Sabinenſ. aliàs Ruthenenſ. epiſtola de expugnatione Conſtantinop. 286
Iudæi in Anglia expelluntur, 498, 620, 654
Iunonis pacis & treugę edictum, 368

L

LEhunenſis Monaſterii bona à Roberto Comite Flandr. & Roberto Paironenſi data Godefridus Ambianenſ. Epiſc. approbat, 163
Monachis ablata à Boſone Milite reſtituuntur, 169
Otbertus Præpoſitus Ambianenſis Monachum induens Eccleſias de Harbonieres & Hangeſto confert, 171
Terra de Cais quam Robertus de Cais uſurpabat Lehunenſibus aſſeritur, 173
Philippus Belvac. Epiſcopus Eccleſiam Urſivillarenſem confert Lehunenſibus, 198
Quare, *ibid.*
Lotharius Rex Franc. confirmat quæ Monaſterio S. Michaëlis in valle Confluente in Coxano collata ſunt, 257
Ludovico Duci de Borbonio juramenti diſpenſatio à Iohanne Papa XXII. conceſſa, 283
Item conſanguinitatis ad matrimonium contrahendum, 284
Ludovici VI. Regis Francorum geſta, 415, *& ſeqq.*
Ludovicus VII. Rex Franc. ducit uxorem Alienoram, 415
Geſta, 416, *& ſeqq.*
s. Ludovici Franc. Regis acta, 575, *& ſeqq.*
Lugdunenſ. Archiep. & Eduenſ. Epiſcop. alter alterius ſedem vacantem adminiſtrat, 253
Ea de re ordinationes, 255

M

MAGORUM tria corpora inventa, 444
Tranſlata, 451
Manaſſes Epiſcopus Aurel. bona confert ſuæ Eccleſiæ, 197
Margareta de Bello-joco omni-

Digitized by Google

bus bonis mariti sui nuper defuncti cessit, 264
Maria Monspellienſis domina nubit Petro Aragoniæ Regi, 216
Dat marito suo Montempessulanum, 220
Matrimonium contrahere cum filia suscipientis se de sacro fonte vetitum, 113, 121, 122
Compatribus & commatribus interdicta conjugia, 119
s. Medardi Noviomensis Epispi vita, Auctore Fortunato, 291
Vide Præfationem nostram.
Actus ejusdem ab anonymo, 397
In Monasterio à se fundato Clotarius sepelitur, 405
s. Michaëlis Monasterio in valle Confluente in Coxano, quæ contulerat Gerberga approbat Lotharius Rex Franc. 357
in Miciacensi Monasterio disciplinam Monasticam instaurat Jonas Aurelianensis Episc. 138
Minimille domina de plano, 267
Missam solus non celebret Sacerdos, & nisi in locis ab Episcopo sacratis, 4
Studiosissimè & mundissimè panis, vinum & aqua in Missa tractentur, 5
Integra celebretur Missa, *ibid.*
Feminæ ad altare Missam Sacerdote celebrante non accedant, 5
de Mundi contemptu elegans Henrici Huntindonens. tractatus, 178

N

NICOLAI Trivethi Ord. Prædicatorum Chronicon, 411
Normanniam Regi Franc. cedit invitus Rex Angliæ, 601
Nuptiæ quæ vitandæ sint, 35

O

OLIBA Comes, 267
Otho Imperator quàm piè moritur, 557
Corpus Christi miraculo suscipit, *ibid.*

P

PACIS & treugæ edicta, 368, 383
Paulus Papa II. Ludovicum XI. hortatur ad ferendum suppetias adversus Turcos, 326
in Perduelles Concilium apud Northamton excommunicationis fert sententiam, 617
Petrus Albanensis Episcop. vexat Patres Concilii Basilienſis, 285
Petrus Aragoniæ Rex matrimonium init cum Maria Monspelienſi domina, 216
Donationes ob nuptias, *ibid.*
Hæc dat marito suo Montempessul. 228
Petrus Rex Aragon. spondet Duci Narbonens. filiam suam Sanciam se daturum

Digitized by Google

Raimundo ejus filio in matrimonium, 222
Petrus Autiſſiodor. Comes, ſit Imperator Conſtantinop. 565
Petrus Bituric. Archiepiſcopus ſine aſſenſu Regis ordinatus excluditur, 421
Petri de Blot pactum cum Archembaldo de Borbonio, 201
Petri Cardinal. Patriarch. Hieroſol. & Epiſc. Rutenenſis epiſtola hortatoria ad tranſmarinam expeditionem, 276
Petrus Comeſtor in Eccleſia S. Victoris Pariſ. ſepelitur, 479
Petrus Electus Archiep. Lugdun. fidelitatem Regi exhibet ea lege, ut id nullum ſibi afferat detrimentum, 250
Petrus Gaucerandi de Pinoſio contrahit matrimonium cum Saura filia Regis Majoric. 259
Petrus Lombardus Epiſcop. Pariſ. 431, 445
Petrus de Murone dictus Cœleſtinus V. Papa, 666
Papatui ceſſit, 667
Carceri mancipatur à Bonifacio Papa VIII. ubi obiit, 681
Philippus II. Rex Franc. Regalia reſtituit Eccleſiæ Eduenſi, 203
Philippi III. Regis Franc. geſta, 625, *& ſeqq.*
Philippi IV. Regis Franc. geſta, 651, *& ſeqq.*
Philippus Comes Fland. cum filia Comitis Viromand. conjugio copulatur, 451
Pii Papæ II. Oratio habita in conventu Mantuano, qua reſpondet Oratorum Regis Franciæ objectionibus in cauſa Renati Regis Siciliæ, *à pagina* 292, *ad* 324
Hortatur Johannem Borbonii Ducem, ut arma ſumat contra Turcos, 325
Pœnitentes quî à Presbyteris regantur, 32, *& ſeqq.*
Negotiis ſæcularibus ſe abſtineant, 34
S. Polycarpi Monaſterium ſub Regia poteſtate ac defenſione à Karlomanno conſtituitur, 352
Item ab Odone Rege, 354
Vide Præfationem noſtram.
Prædicatorum Ordo, *Vide* S. Dominicus.
Mittuntur Prædicatores in Angliam, & diverſis in partibus Regni inſtituuntur, 571
Inſignes viri inſtituta illius Ord. arripiunt, 573
Preſbytera quid in ſacris Canonibus intelligitur, 123, *& ſeqq.*
Preſbyteri, *Vide* Sacerdotes.

R

RAIMUNDUS Comes Toloſæ matrimonium contrahit an. 1241. cum Conſtantia R. Comitis Provinciæ filia. 231
Raimundus Comes Toloſanus an. 1189. approbat quæ donata ſunt Monaſterio S. Andreæ, 204

Digitized by Google

Raimundus Ordinis Prædicatorum Decretales in unum volumen redegit, 586
Quæ ſcripta poſteritati reliquerit, *ibid.*
Raimundus de Roca-folio, *Vide* Bertrandum de Anduſia.
Ranulfus Regis Angliæ Cancellarius vir impius, &c. 186
Ex equo corruens moritur, *ibid.*
Ratherii de Belloforte donationes factæ Canon. Cadurc. 365
Renatus Rex Siciliæ, 293, & *ſeqq.*
Quid de hoc Regno juris habet, *ibid.*
Reſtitutio fit à Reginardo Canonicis Auguſtodunenſ. 157
A Boſone Milite Monachis Lehunenſibus, 169
Robertus de Mellento quæ injuſtè abſtulerat reſtituere moribundus noluit, ne divitias filiorum minueret, 185
Rex Francorum Regalia reſtituit Eccleſiæ Eduenſi, 203
Reſtitutio Regis Aragon. &c. 277
Guillelmus Vicecomes ablata Eccleſiæ Cadurc. reſtituit, 364
Regem revereri debent Epiſcopus & qui divinis officiis ſunt addicti, 99, & *ſeqq.*
Nuſquam adverſus illum arma, & ſi injuſtè agat, ſumere licet Sacerdotibus, ſed orationes ad Deum fundere pro eo, & exhortationes adhibere oportet, *ibid.*
Potiùs fugiendum quàm Regiam Majeſtatem impugnare, *ibid.*
Reges ſæpiùs infelices; ſolus Deus felix Rex, 189
Regum Francorum geſta breviter deſcribuntur in Chronico Nicolai Trevet, 411
Ricardi Cantuar. Archiepiſcopi A. S. L. epiſtola contra maleficos Clericos, &c. 473
Ricardus Ord. Pręd. ſuper Sententias ſcriptum compoſuit, & ſuper Pſalterium, 587
Ricardus de S. Victore, 418
Ricardi Regis Angl. geſta 497, & *ſeqq.*
Ricard. Canonic. ejuſdem itinerarium ſcripſit, 498
Robertus de Beleſmo vir nequiſſimus periit in carcere, 187
Roberti Lincolnienſis Epiſcopi mores, 179
Mors, 180
Robertus Lincolnienſis ſcientiis variis clarus, 597
Multa ſcripſit, 598
Roberti de Mellento actus percurruntur, 184, & *ſeqq.*
Ablata reſtituere moribundus noluit, *ibid.*
Quare, 185
Roberti de Sorbona Teſtamentum, 247, & *ſeq.*
Robertus Kilewardeby Archiep. Cantuar. ex Divinis Scripturis & SS. Patribus librum compoſuit & alia, 625, & *ſeq.*
Rodericus de Villandrando auxilium fert Patribus Concilii Baſilienſis adverſus Petrum

Digitized by Google

Petrum Albanenſem Epiſcopum, 285
Roſtagni de Podio Teſtamentum, 241

S

SACERDOTIUM Epiſcopatûs eſt ſecundus gradus, 2
Sacerdotes Diſcipulorum Domini vicem tenent, *ibid.*
Quî ſe gerere debent, 3
Vitanda ipſis ignorantia, 2
Scripturas & Canones ſciant, *ibid.*
Fidem Catholicam, *j.* Symbolum Athanaſii memoriter teneant, 3
Legant & orent aſſiduè, 4
Miſſam ſolus non celebret, 4
Sæcularibus indumentis non debent uti, 7
Quomodo Baptiſmus celebrari ab ipſo oportet, *Vide* Baptiſmus.
Preſbyter abſque Diacono non ſit, 9
Quid populum docere debet, 35
Continentiæ addicuntur Sacerdotes, eíſque mulierum conſortium & cohabitatio prohibentur, 120, *& ſeqq.* 131
Caſtitatem amplecti debent, *ib. & ſeqq.*
Sancius filius Alfonſi Regis conjugium init cum Guillelma filia Gaſtonis Vicecomitis Bearnenſis, 241
Şaura filia Regis Majoric. contrahit matrimonium cum Petro Gaucerandi de Pinoſio, 259
Sclarmunda Comitis Fuxenſis filia nubit Jacobo Regis Aragon. filio, 251
Sepulturæ non fiant in Eccleſia, 10
Si vendantur grave peccatum committitur, 10
Siciliæ Regnum quî ad Francos pervenit, 301
De hoc Regno variæ diſceptationes, *a pag.* 293, *ad* 324
Carolus Rex Siciliæ coronatur à Papa, 617
Sigibertus Rex Franc. interfectus, in Abbatia S. Medardi tumulatur, 406
Sorbona, *Vide* Robertus de Sorbona.
Congregatio pauperum Magiſtrorum ſtudentium in Theologica Facultate appellatur, 247
Quæ ipſis donantur à Roberto de Sorbona, *ibid. & ſeqq.*
Stephanus Rex Anglorum ex Comite Andegavenſi, 413
Ejus geſta, 413, *& ſeqq.*
Stephanus Cantuar. Archiep. Biblia ſacra in Capitula diſtinxit, 577
Synodus ſingulis annis celebretur, 12
Ad eam majores Preſbyteri veniant, 12

T

TARTARORUM dominii initium, 541
S. Thomæ Aquinatis obitus, 632
Ejus virtutes, doctrina & Operum catalogus ſincerus, 632, *& ſeqq.*
Falsò ipſi ſcripta attributa, 634
Beati Thomæ Herford. Epiſcopi acta, 646

Digitized by Google

Thomas in Gallia Princeps crudelissimus impiè moritur, 186
S. Thomas fit Angliæ Cancellarius, 442
Archiepiscopus Cantuar. 449
In Galliam transfretat, 452
Redit in Angliam, 460
Interficitur, 461
Translatio corporis ejusdem, 701
Tornacensi Eccles. proprius Episcopus datur, 427
Trivethus, *Vide* Nicolaus.

V

VAllis-Scholarium Ordinis institutio, 227
Vasa & alia divino servitio mancipata illicitè non usurpentur, 6
Vestibus sacris nemo aliis usibus quàm Ecclesiasticis debet uti, 6
Vita præsens, &c. *Vide* Mundi contemptus, 192
B. Wlstani corpus in capsam argenteam transfertur, 567

FINIS INDICIS.

SVMMA PRIVILEGII.

LUDOVICI XIV. Galliæ & Navarræ Regis autoritate sancitum est, ne quis in Regno suo, aliisque locis suæ ditioni subjectis, Librum cui titulus: *Veterum aliquot Scriptorum, qui in Galliæ Bibliothecis, maximè Benedictinorum, latuerant*, SPICILEGIUM, absque Domni Lucæ d'Achery consensu aut eorum quibus permiserit, intra viginti annos imprimat, aut divendat. Si secus fecerit, mulcta indicta, prout amplius in ipso Diplomate continetur. Lutetiæ Parisiorum 19. Iunii. 1654.

Sic signatum,

De mandato Regis,

LE COQ.

CONCESSIO INDVLTI PRIVILEGII.

PRÆFATUS LUCAS D'ACHERY concessit Carolo Savreux, Bibliopolæ Parisiensi jurato, indulto Privilegio uti, in quantum attinet ad ea quæ in hoc Tomo Octavo continentur: Parisiis in Monasterio S. Germani à Pratis, die vigesima Octobris 1667.

Sic signatum,

F. LUCAS D'ACHERY.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google